FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

INSTITUTIONES
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ.

Quae jura a lege sunt, auctor sibi reservat.



208.9
H436

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AUCTORE

R. P. J. HERRMANN

CONGR. SS. REDEMPTORIS

VOLUMEN PRIMUM

CONTINENS

THEOLOGIAM GENERALEM

ET TRACTATUS

DE DEO UNO — DE DEO TRINO

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
H436
California

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA PACIS PHILIPPI CUGGIANI

Vico *della Pace* Num. 35

1897

263

APPROBATIO

Cum opus, cui titulus *Institutiones Theologiæ Dogmaticæ*, a P. JOANNE HERRMANN nostræ Congregationis sacerdote conscriptum, duo ejusdem Congregationis theologi, quibus id commisimus, recognoverint atque in lucem edi posse censeant, libenter facultatem concedimus, ut illud typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita visum fuerit.

Datum Romae, die 15 Octobris 1896,
festo Sanctæ Teresiæ Virginis.

L ✠ S

MATHIAS RAUS, CONGR. SS. RED.
Sup. Gen. et Rect. Maj.

FATHER'S LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

BENEVOLE LECTOR,

Plurimæ et eæ quidem egregiæ hucusque conscriptæ sunt theologiæ dogmaticæ institutiones, ex quibus aliæ quidem longiori discursu Sanctæ Religionis nostræ Dogmata evolvunt, et omnigenis argumentis roborant, illustrant atque tuentur; aliæ vero divinas scientias parciori calamo relatas, breviter, sicut in scholis fieri assolet, exponunt.

Cum igitur tot jam habeantur dogmaticæ institutiones, quæ jure meritoque maximi fiunt, supervacaneum utique videri potest antiquis novas adjungere. At, cum divinæ sapientiæ fons sit inexhaustus, neque una omnium sit studendi ratio, nihil obstat quominus nova in dies edantur theologiæ elementa, novæque discipulis proponantur institutiones.

Ne igitur mireris, Amice Lector, si hunc novum de theologia dogmatica librum elucubrare typisque mandare statuerim.

In hisce exarandis institutionibus, quas hodie publici juris facio, Ducem et Magistrum, S. Thomam, sequi conatus sum. S. Thomæ enim « *doctrina*, inquit Innocentius VI (sermo de S. Th.), *præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum; ita ut nunquam, qui eam tenuerint, inveniantur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus.* » S. Thomæ igitur doctrinam atque sententias, ipsius etiam verbis, quoad per compendii limites licuit, servatis, referre sategi.

Propositum etiam mihi fuit ut, præter Doctorem Angelicum, Sanctum quoque Doctorem Alphonsum de Ligorio in Ducem et Magistrum mihi assumerem, « *eo nomine*, (verba sunt SS. D. N. Leonis PP. XIII) [1], *quod cum Sanctus Auctor sæpe in scriptis suis Angeli scholarum doctrinam se sequutum fuisse glorietur; ex hujusmodi recentioris Ecclesiæ Doctoris erga illum obsequio nova S. Thomæ doctrinæ laus accedat et gloria.* »

Fuit et alia ratio cur S. Alphonsum in alterum mihi Magistrum et Ducem assumerem. Ipse enim, cum nostris temporibus vicinior exstiterit, errores hodiedum per mundum grassantes, jam magna ex parte scriptis suis refutavit. « *Hoc porro prædicari verissime potest*, inquit Pius IX, *nullum esse vel nostrorum temporum errorem qui, maxima saltem ex parte, non sit ab Alphonso refutatus. Quid quod ea quæ, tum de Immaculata Sanctæ Dei Genitricis Conceptione, tum de Romani Pontificis ex Cathedra loquentis Infallibilitate, plaudente christiano populo.... a Nobis sancita sunt, in Alphonsi operibus reperiuntur et nitidissime exposita, et validissimis argumentis demonstrata.* »

Et paucis interjectis, hæc graviter addit Pontifex: « *Hujus Doctoris libros, commentaria, opuscula, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiæ Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, Lectionibus, Disputationibus, Interpretationibus, Concionibus, Sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis christianisque exercitationibus, citari, proferri, atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus.* [2] »

[1] Ep. ad PP. Dujardin et Jul. Jac. 28 Aug. 1879. — [2] Breve pro concess. tituli Doctoris, die 7 Julii 1871.

In hisce igitur institutionibus invenies, Benevole Lector, quod tibi pergratum fore existimo, genuinam S. Thomæ et S. Alphonsi doctrinam.

Ad hoc meum opus, si ita Deo placuerit, accedet suo tempore compendium institutionum moralium P. Clementis Marc, in quo moralem disciplinam ex scriptis S. Alphonsi depromptam præ manibus habebis. Et hoc quidem compendium ita exarabitur, ut parti dogmaticæ perfecte respondeat, et cum ea integrum theologiæ corpus scholis accommodatum constituat. Atque hinc fuit cur, quæ ad praxim spectant, v. gr., in materia de Sacramentis, a parte dogmatica excluderentur, retentis iis solis quæ ad sacra Dogmata pertinent.

Plura in hoc opere minoribus typis excudenda curavi: hocque ex industria a me factum est, ut studentium utilitati consuleretur. Cum enim aliis longius, aliis vero brevius, quod theologicis studiis impendant, temporis spatium concedatur, facile evenire potest ut idem opus, quod uni non est sufficiens, alteri sit superabundans. Plura igitur, scitu quidem utilia, non adeo tamen necessaria, minoribus typis excusa volui, ut ita, una quidem ex parte, qui præ temporis angustiis longiores tractatus percurrere nequeunt, integrum doctrinæ corpus, omissis quæstionibus minoris momenti, præ manu habeant; altera autem ex parte, ut qui sacris studiis diutius incumbere intendunt, sufficienti materiarum copia instruantur; et in horum quidem utilitatem auctores plerumque indicavi, penes quos diligens lector uberiorem quæstionum dilucidationem invenire poterit.

Thuriaci, in festo S. Alphonsi de Ligorio, 1896.

AUCTOR.

PROLEGOMENA

SEU

INTRODUCTIO GENERALIS IN THEOLOGIAM [1]

1. — Accedenti ad studium alicujus disciplinæ nihil utilius est quam et disciplinæ, et objecti quod considerandum proponitur, statim ab initio accuratam accipere notitiam. Antequam igitur theologicam materiam discipulus aggrediatur, quædam generaliora, quæ tanquam præambula ad sacram doctrinam scitu magis sunt necessaria, recte proponuntur. Dicemus igitur: 1. De theologiæ notione atque objecto: 2. de ejus divisione: 3. de ejus necessitate atque præstantia; 4. de dogmatibus et conclusionibus theologicis; 5. de notis theologicis. — Quibus elucidatis, totius operis tradetur partitio.

ARTICULUS I.

DE THEOLOGIÆ NOTIONE ATQUE OBJECTO.

2. — Theologia, vi nominis, idem significat ac *sermo* seu *doctrina de Deo*. « Theologiæ nomine, *inquit S. Augustinus*, significari intelligimus de divinitate rationem seu sermonem. » *(De Civit. Dei, L. VIII, c. 1).*

Si sermo de Deo instituitur in quantum *invisibilia ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, (Rom., I, 20)*, et solo rationis lumine attinguntur, theologia

[1] Cf. S. Th., *Summa*, P. I, q. I; Grandi, *Curs. theol.*, In q. I; Isambert, In q. I; Gibbon, *Speculum theol.*, tract. I; Kleutgen, *Instit. theol.*, Introd.

est naturalis, circa quam occupatur philosophia. — Si vero sermo de Deo procedit in quantum placuit *ejus sapientiæ et bonitati alia, eaque supernaturali via seipsum ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi revelare*, theologia est supernaturalis, « quæ differt secundum genus ab illa theologia quæ pars philosophiæ ponitur », ut ait S. Th. *(P. I. q. I. a. 1, ad 2).*

Theologia supernaturalis definitur: *Dei rerumque divinarum scientia ex revelatione comparata:* vel brevius: *scientia fidei.*

Hacce definitione indicantur: 1° theologiæ genus proximum: *est scientia;* 2° ejus objectum: *Dei rerumque divinarum;* 3° ejus differentia specifica, seu objectum formale quo: *ex revelatione comparata.*

3. — I. Theologia dicitur *scientia*, id est cognitio non qualiscumque, sed ex certis notisque principiis rigorosa illatione deducta. Non est enim theologia nuda apprehensio veritatis revelatæ, cui ob Dei loquentis auctoritatem assentimur; sed est doctrina, quæ argumentando et discurrendo, ea quæ divinitus revelata sunt, ex fontibus fidei probat et illustrat, atque inter se methodice ordinat, et ex veritatibus revelatis tanquam ex principiis novas conclusiones deducit, quibus fides nostra saluberrime suadetur, roboratur, nutritur, explicatur atque defenditur.

Licet vero principia theologiæ, articuli scilicet fidei, nobis non sint evidentia, theologia tamen proprie dicenda est scientia, cum sit certa cognitio conclusionum per strictam argumentationem ex certissimis principiis deductarum. « Duplex est scientiarum genus, *ait S. Th.*, quædam enim sunt quæ procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut arithmetica, geometria et hujusmodi. Quædam vero sunt quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ, sicut perspectiva procedit ex principiis notificatis per geometriam, et musica ex principiis per arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei et

beatorum. Unde sicut musica credit principia tradita sibi ab arithmetica, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi a Deo. » *(Q. I, a. 2).*

4. — II. *Objectum* theologiæ multiplex assignatur. Triplex enim est scientiæ objectum: materiale, formale quod, et formale quo. Objectum *materiale* est illud circa quod versatur scientia; *formale quod*, quod etiam scientiæ *subjectum* nuncupatur, est ratio specialis, quam scientia in suo objecto materiali considerat: v. gr., omnia corpora sunt materiale visus objectum; ratio vero colorati, quam visus in corporibus unice considerat, est objectum formale quod; objectum *formale quo*, seu objectum *propter quod* est ratio sub qua mens res considerat, seu ratio movens intellectum ad præbendum assensum suo objecto. Igitur:

a) Theologiæ *objectum materiale adæquatum* sunt Deus resque ad Deum spectantes, seu omnes veritates, quæ nobis de Deo rebusque divinis revelatæ sunt, vel ex revelatis veritatibus illatione deducuntur. — Objectum materiale *inadæquatum primarium et principale* est ipse Deus, sub ratione Deitatis, cum omnibus suis attributis et relationibus intrinsecis; ipse enim per se et ratione sui theologia attingitur; cætera vero omnia objectum ejus secundarium constituunt, quia considerantur a theologia non ratione sui, sed ratione Dei, scilicet secundum quod referuntur ad Deum ut ad principium vel finem.

b) Objectum *formale quod* seu *subjectum* theologiæ est ipsa Deitas, quæ in Deo essentialiter, in creaturis vero participative relucet. Etenim, *ut ait S. Th.*, « omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei; vel quia sunt ipse Deus; vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. » *(Q. I, a. 7).* Ex quo patet præsentem scientiam, licet de multis agat, recte tamen a subjecto suo denominari *theologiam*, seu *sermonem de Deo.*

c) Objectum *formale quo* theologiæ est divina revelatio, non immediata sicut in habitu fidei, sed mediata. Assentitur enim theologia veritatibus revelatis, quia ope demonstrationis videt eas in verbo Dei contineri; et conclusionibus theologicis

ex fidei articulis deductis, quia illatione cognoscit eas in præmissis immediate revelatis virtualiter contineri. Unde ratio, ob quam theologia assensum præbet, est ipsa revelatio mediante discursu cognita, quæ dicitur revelatio mediata seu complexa. — Objectum formale *quo* est differentia specifica, qua habitus theologiæ ab omni alio habitu differt.

5. — *Ex dictis deduces:*

I. Theologiam, quamvis sit habitus entitative naturalis, qui per studium et discursum acquiritur, recte tamen dici scientiam sacram et supernaturalem. Est enim supernaturalis ratione principiorum, qui sunt articuli fidei; ratione objecti materialis, qui est Deus supernaturaliter cognitus; ratione subjecti, quia theologia nihil considerat nisi in ordine ad Deum; ratione objecti formalis quo, quod est lumen divinæ revelationis; et ratione finis, qui est supernaturalis Dei possessio, ad quam obtinendam sacra doctrina hominem adjuvat.

II. Theologiam esse habitum specie infima unicum; unitas enim habitus ex unitate objecti formalis desumitur. « Quia igitur, *inquit S. Th.*, sacra doctrina considerat aliqua secundum quod sunt divinitus revelata, omnia quæcumque sunt divinitus revelabilia, communicant in una ratione formali hujus scientiæ. Et ideo comprehenduntur sub sacra doctrina sicut sub scientia una. » *(Q. I, a. 3).*

III. Theologiam dependere a fide, esse tamen a fide distinctam. — 1. *Dependet a fide: a) ratione principiorum*, quæ sunt articuli fidei. « Ista doctrina, *ait S. Th.*, habet pro principiis primis articulos fidei, qui per lumen fidei infusum per se noti sunt habenti fidem... Et ex istis principiis, non respuens communia principia, procedit ista scientia. » *(In Sent., Prol. q. I, a. 3).*

b) Ratione objecti formalis quo, quod est lumen divinæ revelationis. Unde in hæreticis, qui fide supernaturali destituuntur, theologia proprie dicta esse nequit, licet et ipsi veritatum revelatarum necnon et conclusionum theologicarum notitiam habere possint, quæ tamen ob firmitatis absentiam ad rationem scientiæ pertingere nequit.

2. *Est tamen a fide distincta: a) ratione objecti:* Fidei objectum sunt ea sola, quæ a Deo immediate sunt revelata; theologia vero in suo ambitu complectitur non solum veritates immediate revelatas, sed etiam conclusiones, quae ex articulis fidei deducuntur, necnon et veritates, quæ licet revelatæ non sint, necessariæ tamen sunt ad depositum fidei custodiendum.

b) Ratione motivi assensus: Motivum assensus fidei est immediata Dei revelatio: fides credit ob solam Dei loquentis auctoritatem: motivum assensus theologici est revelatio mediata et complexa, quæ discursum involvit; unde theologia nititur principaliter revelatione, sed secundario etiam argumentatione, qua ostenditur veritatem in verbo Dei, et conclusionem in præmissis revelatis contineri.

c) Ratione firmitatis assensus: Assensus fidei, qui revelatione immediata innititur, semper firmior est assensu theologico, qui revelatione mediata nititur; præterea, assensus fidei est semper certus et infallibilis propter infallibilem Dei veracitatem, qua nititur; assensus vero theologicus, propter argumentationis infirmitatem, potest aliquando esse cum formidine oppositi, nec opinionis limites excedere.

d) Ratione processus: Fides simplici assensu veritates, quæ tanquam a Deo dictæ rite proponuntur, amplectitur; theologia vero argumentative et disputative procedit; probat quod affirmat: veritates ex verbo Dei demonstrat et defendit, et ex articulis fidei, vi strictæ argumentationis, novas conclusiones deducit, quibus ipsa fides roboratur et explicatur.

ARTICULUS II.

DE THEOLOGIÆ DIVISIONE.

Theologia, una quoad entitatem habitus, ex finis et objecti diversitate, accidentaliter in diversas species distinguitur.

6. — I. *Theologia vel generalis est vel specialis.*

Antequam theologus accedat ad accuratam particularium dogmatum notitiam tradendam, vel ad ea ex verbo Dei pro-

banda et rationibus illustranda, necesse est ut contra eos qui supernaturalem revelationem negant, ipsum factum revelationis probet, et demonstret quibusnam mediis depositum fidei ad nos usque intactum pervenerit: quod munus est theologiæ generalis, quæ definiri potest: *Scientia revelationis in genere et mediorum quibus ad nos pervenerit.* Vocatur *generalis*, quia non de aliquo dogmate in particulari, sed de omnibus conglobatim agit; vocatur etiam *fundamentalis*, quia speciali theologiæ tanquam fundamentum præmittitur; dicitur adhuc *demonstratio christiana et catholica*, quia ipsius est religionis christianæ divinitatem et Ecclesiæ catholicæ veritatem probare.

De argumento theologiæ generalis nullus apud antiquiores existit specialis tractatus. Cum enim priscorum temporum hæretici nec divinam revelationem in dubium revocaverint, nec Ecclesiæ divinam constitutionem aut infallibilem auctoritatem negaverint, nulla fuit apud eos talis disceptationis necessitas. Exortis vero hæreticis sæculi XVI, grassantibusque recentiorum rationalistarum et materialistarum nefariis doctrinis, qui non unam solum alteramve revelatam veritatem respuunt, sed totius etiam christianæ religionis fundamentum evellere affectant, omnino necesse est nostris temporibus, ut tam de ipsa revelatione quam de Ecclesiæ divina origine atque constitutione specialis tractatus instituatur.

Theologia specialis ea dicitur, quæ circa veritates revelatas in particulari versatur, tum ut earum accuratam notitiam acquirat, easque ex verbo Dei scripto et tradito demonstret, tum ut eas rationibus illustret, atque in unum corpus methodice coordinet, tum ut easdem contra adversariorum defendat cavillationes.

7. — II. *Theologia specialis vel speculativa est, vel practica.* Theologia *speculativa*, seu *dogmatica*, sistit in contemplatione veritatum revelatarum; *practica*, posita veritatum probatione, leges morum considerat, normamque tradit pie et sancte vivendi.

8. — III. Theologia practica subdividitur in *speculativo-practicam, casuisticam, asceticam, mysticam, pastoralem*, et *disciplinarem*.

Speculativo-practica leges et regulas morum considerat, explicat et demonstrat. Hæc proprie vocatur theologia moralis, id est, scientifica cognitio legum, quæ mores dirigunt.

Casuistica leges et regulas a theologia speculativo-practica demonstratas, ad casus particulares, visis omnibus eorum circumstantiis, applicat, et judicat an hic determinatus actus sit legi conformis necne.

Ascetica normas docet comparandæ et augendæ sanctitatis christianæ.

Mystica agit de contemplatione et de sublimiore commercio cum Deo in oratione, et regulas tradit moderandi animas, quæ in viis extraordinariis versantur.

Pastoralis normam tradit, qua pastores dominici gregis munere suo fungi et animarum curam gerere debeant.

Disciplinaris, quæ et jus canonicum vocatur, leges considerat, quæ ad externam Ecclesiæ gubernationem spectant.

9. — IV. *Theologia speculativa dividitur in positivam et scholasticam.*

Theologia positiva dicitur, quæ versatur in exponendis et probandis articulis fidei, nulla cura de controversiis, quæ in scholis agitantur, habita. Vocatur *positiva*, quia juxta proprium suum munus ea sola, quæ fidei sunt, probat, explicat et defendit, colligendo ex diversis Scripturæ textibus, Ecclesiæ definitionibus, Patrum testimoniis, aliisque documentis positivis, ea sic esse credenda, prout nobis credenda ab Ecclesia proponuntur. Hæc, licet argumenta rationis theologicæ non respuat, utitur præsertim auctoritatibus; « quædam disputatio, *ait S. Th.*, ordinatur ad removendum dubitationem an ita sit; et in tali disputatione theologica maxime utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi cum quibus disputatur. » *(Quodl. IV, a. 18).* — Utitur etiam plerumque stylo fusiori atque elegantiori. Talis fuit theologia Sanctorum Patrum, quorum fuit sacram doctrinam contra hæreticorum impugnationem defendere; talis est theologia multorum theologorum, ut Petavii, Thomassini, Bellarmini, qui post natam hæresim protestanticam theologiæ operam dederunt.

Theologia scholastica[1], sic dicta a doctoribus scholasticis, qui eam excoluerunt et in scholis tradiderunt, *a S. Thoma* describitur: « Quædam vero disputatio est magistralis in scholis non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit: et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur: alioquin si nudis auctoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita est; sed nihil scientiæ vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet. » *(Loc. cit.).*

Scholastica a positiva differt et ratione methodi et ratione materiæ.

A. *Ratione methodi:* Positiva stylo utitur fusiori et sæpe oratorio, nec regulis dialecticæ tam presse insistit; scholastica autem stylo utitur brevissimo, formaque incedit syllogistica; veritates analysi subjicit, singulaque dogmata terminis propriis et scientificis exprimit et definit; varios denique tractatus systematice coordinat et concatenat, ita ut ex omnibus religionis veritatibus unicum corpus efficiatur, cujus diversa membra se mutuo juvent et confirment.

B. *Ratione materiæ:* Positiva theologia circa sola fidei principia asserenda et defendenda occupatur; scholastica multiplici fungitur munere:

1. Ea quæ sunt fidei penetrare et intelligere conatur, quin tamen ad mysteriorum intelligentiam pertingere affectet. Etenim, ut ait Concil. Vatic. *(Const. Dei Filius):* « Ratio, fide illustrata, cum sedulo, pie, et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo. »

2. Ex articulis fidei, ope nervosæ argumentationis, conclusiones deducit, quæ in eis virtualiter continentur; v. gr., ex hac veritate revelata: Christus est perfectus Deus et perfectus

[1] Cf. SS. D. N. Leo. PP. XIII, Encycl. *Æterni Patris;* Cano, *De locis theol.,* l. VIII.

homo, concludit duas esse in Christo voluntates, divinam scilicet et humanam. — Item, altiores et subtiliores instituit disputationes, quibus fidei veritates illustrantur et defenduntur; v. gr., theologia positiva affirmat et probat hominem sub motione gratiæ efficacis remanere liberum; scholastica vero modum investigat, quo humana libertas cum motione istius gratiæ conciliari possit.

3. Scholastica fidei doctrinam ex disciplinis etiam humanis illustrare et confirmare conatur, vestigia premens Apostoli, qui ad fidei confirmationem inducit verbum Arati, dicens (Act., XVII, 28): *Sicut et quidam poetarum vestrorum dixerunt: Ipsius* (Dei) *enim et genus sumus.* — Item similitudines et analogias ex rebus naturalibus colligit, quibus fidei veritates, ad eas penitius intelligendas, adumbrat.

4. Hæreticorum fallacias, quæ contra fidei veritates moventur, solvit, et invicte probat eorum rationes nullius esse ponderis. Quod equidem munus etiam præstat theologia positiva: ast ratione methodi illud præstantius exsequitur scholastica. « Apta illa, *ait Sixtus V, (Bulla triumphalis)*, et inter se nexa rerum et causarum cohærentia, ille ordo et dispositio tanquam militum in pugnando instructio, illæ dilucidæ definitiones et distinctiones, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, hæreticorum mendacia multis præstigiis et fallaciis involuta tanquam veste detracta patefiunt et denudantur. » Inde est cur hæretici, tum protestantes, tum Jansenistae, in scholasticam tam acriter invehantur. Imo scholastica inter ipsosmet catholicos plures habuit oppugnatores, qui hujus scientiæ abusum, non autem usum considerantes, scholasticam vocant scientiam, « quæ artificiose magis quam theologice de divinis disserit, et nimia curiositate quæstiones sectatur subtiles magis quam utiles, altissimarum rerum omnium sinus penetrare cupiens, ut nihil sit cujus non velit rationem reddere [1]. »

10. — Quanti facienda sit scholastica, manifestum est, tum ex præconiis quibus eam SS. Pontifices extulerunt, tum ex

[1] Liebermann, n.° 7, cf. etiam n.° 28 et seq.

studio quocum SS. D. N. Leo PP. XIII *(Encycl. Æterni Patris)*, philosophiam scholasticam D. Thomæ commendat, et ubique in academiis vigere exoptat.

Non sufficeret equidem nostris praesertim temporibus theologiæ scholasticæ operam dare, positiva neglecta; cum enim hodiedum multi negent ipsa theologiæ scholasticæ principia, articulos scilicet fidei, necesse est omnino ut theologia sua probet principia; qua in re theologia positiva versatur; probatis autem principiis, veritatibus scilicet fidei, scholastica munus suum libere et fructuose explere potest.

In nostris igitur hisce institutionibus theologiam positivam cum scholastica ita sociare conati sumus, ut simul articuli divinæ nostræ fidei secundum methodum positivam sufficienter probarentur, et conclusiones ac disputationes scholasticæ scholastico more exponerentur; omissis tamen quibusdam levioris momenti quæstionibus, quæ legentibus parum utilitatis afferre possent.

ARTICULUS III.

DE THEOLOGIÆ NECESSITATE ATQUE PRÆSTANTIA.

11. — I. **Necessitas.** Theologia spectari potest vel quoad substantiam, in quantum scilicet est scientifica religionis cognitio; vel quoad specialem methodum, qua utitur.

1. *Si quoad substantiam consideratur*, dicendum est ipsam, quamvis cuilibet fideli necessaria non sit, Ecclesiæ tamen esse omnino necessariam. Ecclesiæ enim est fidem propagare, revelationis depositum intactum conservare, et contra impugnantes defendere: quod triplex munus ipsa præstare nequit, nisi in ea sint plurimi, qui in theologia apprime excellant.

Et re quidem vera, ad fidem propagandam, quod fit per prædicationem, *(Rom., X, 14)*, non sufficit ut ministri evangelicæ prædicationis dogmata historice tantum exponant, sed necesse est ut ea, quantum fieri potest, explicationibus dilucident, discursu credibilia reddant, rationibus suadeant, atque parati sint ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quae in nobis est spe. *(I Petr., III, 15)*.

Ad depositum fidei intactum custodiendum, atque inobedientes, vaniloquos et seductores redarguendum, sicut monet Apostolus *(Tit., I, 10)*, debet Ecclesia certa ab incertis sejungere, vera a falsis distinguere, credenda a non credendis secernere, formam habere sanorum verborum, quæ ab Apostolis audivit in fide *(II Tim., I, 13)*, devitare profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, *(I Tim., VI, 20)*. Quæ omnia absque accurata religionis scientia præstare nequit Ecclesia.

Ecclesiæ igitur absolute necessaria est theologia, qua, *ut ait S. August.*, « fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur ». *(De Trinit., L. XIV, c. I, n. 3)*. Et ideo ipse Christus Ecclesiæ *dedit quosdam quidem apostolos... alios vero pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi... Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* (Eph., VI, 11-14).

Non est autem scientia theologica cuivis fideli ad salutem necessaria, sicuti de se constat; sufficit enim ei ut credat et faciat quæ a Domino jubentur. « Hac scientia non pollent fideles plurimi, *ait S. Augst.*, quamvis polleant ipsa fide plurimum » *(loc. cit.)*. — Sacerdos vero, cujus labia custodire debent scientiam et a cujus ore fideles legem requirunt *(Malach., II, 7)*, theologia instructus sit oportet, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* (Tit., I, 9). Omni igitur, qua par est, sollicitudine, sacerdos scientiam theologicam excolere tenetur, ut populum sibi creditum in sana doctrina pascere, et contra luporum incursus, incredulorum scilicet et impiorum aggressiones, tueri possit.

12. — 2. *Si vero de theologia loquamur quoad methodum*, dicendum est theologiam scholasticam non esse absolute necessariam, Ecclesiæ tamen maximæ esse utilitati [1]. Ipsam non esse absolute necessariam, experientia manifestum est; primis

[1] Circa scholasticæ utilitatem cf. SS. D. N. Leo PP. XIII, Encycl. *Æterni Patris.*

enim Ecclesiæ sæculis numquam de scholastica mentio facta fuit, Sanctique Patres sola utebantur theologia positiva. — Ipsam nobis maximæ esse utilitati, ex iis sequitur quæ supra (N. 9) de scholastica dicta sunt; quod etiam constat ex vehementissima pugna, quam cujusvis generis hæretici contra scholasticam movent, sicut nos monet Sixtus V *(In Bulla Triumphalis):* « Hæreticorum invidiæ et diabolicæ machinationes, quibus sacram Theologiam, quæ scholastica appellatur, hoc luctuoso sæculo oppugnant vehementissime, nos magnopere admonent, ut eamdem theologiam, qua nihil Ecclesiæ Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus. »

13. — II. **Præstantia.** Theologia, sive consideretur ut practica, sive ut speculativa, est omnium scientiarum præstantissima.

1. *Est præstantissima inter practicas.* — « Practicarum scientiarum illa dignior est, *ait S. Th.*, quæ ad ulteriorem finem non ordinatur, sed ad ipsam aliæ velut ad finem ordinantur... Finis autem hujus doctrinæ, in quantum est practica, est beatitudo æterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. » *(Q. I, a. 5).*

2. *Est præstantissima inter speculativas.* — Speculativarum scientiarum præstantia tam ex nobilitate objecti, quam ex certitudinis gradu desumitur. *a) Ratione objecti* manifestissimum est theologiam omnem aliam scientiam superare, cum versetur circa objectum nobilissimum, Deum scilicet tanquam auctorem gratiæ totiusque ordinis supernaturalis cognoscendum.

b) Ratione certitudinis theologia omnes alias vincit scientias. Certitudo enim, seu firmitas intellectualis assensus, attenditur ex lumine quo innititur; sed omnis scientia naturalis innititur lumine rationis humanæ, quæ errare potest; theologia vero nititur lumine divinæ revelationis mediatæ, quæ fallere nequit et certitudine omnem creatam certitudinem superat. Quælibet igitur conclusio theologica, quæ per evidentem consequentiam deducitur sive ex duabus præmissis revelatis, sive ex una revelata et altera naturali certa, majorem, quam

quælibet conclusio cujusvis scientiæ naturalis, certitudinem præ se fert. Si enim utraque præmissa est revelata, conclusio totaliter revelatione mediata nititur, et ab ea inconcussam firmitatem accipit; si una tantum præmissa est revelata, altera naturaliter certa, conclusio non a sola naturali, sed etiam a revelata mutuatur certitudinem, et nititur simul revelatione mediata et ratione, unde et majorem habet certitudinem quam conclusio, quæ ex solis naturalibus colligitur [1].

3. *Tanta est theologiæ præstantia ut vere dici debeat perfecta sapientia.* Si enim, ut monet S. Th., [2] sapiens dicitur in aliquo genere qui considerat causam altissimam istius generis, ille dicitur maxime sapiens qui considerat causam simpliciter altissimam totius universi. Hoc autem præstat theologia, quæ considerat Deum, omnium rerum causam altissimam, tam in ordine naturæ quam in ordine gratiæ. Theologia igitur sapientia simpliciter dici debet.

14. — Corol.: Ex hoc quod theologia sit omnium scientiarum regina, perfectaque sit sapientia, sequitur:

I. Theologiæ munus proprium esse de omnibus aliis scientiis judicare. Unde « quidquid in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum. » *(S. Th. q. I, a. 6, ad 2).*

II. Aliarum scientiarum munus esse inservire theologiæ, ut ancillæ serviunt reginæ. « Ista scientia (Theologia), *ait S. Th.*, imperat omnibus scientiis tamquam principalis,... (et) utitur in obsequium sui omnibus aliis scientiis quasi vassalis; sicut patet in omnibus artibus ordinatis, quarum finis unius est sub fine alterius... Ita, cum finis totius philosophiæ sit infra finem theologiæ et ordinatus ad ipsum, theologia debet omnibus aliis scientiis imperare et uti his, quæ in eis traduntur. » *(I Sent. Prol. q. I, a. 1).*

III. In nullo studio laudabilius atque fructuosius occupari posse sacerdotem, quam in studio theologiæ. « Inter omnia

[1] Cf. Grandi, In q. I, a. 5, dub. 2, pag. 26; Isamb. q. I, Disp. VI, a. 4, pag. 24. — [2] Q. I, a. 6.

studia hominum, *ait S. Th.*, sapientiæ studium est perfectius, sublimius, et utilius et jucundius. — Perfectius quidem, quia, inquantum homo sapientiæ studio dat se, intantum veræ beatitudinis jam aliquam partem habet. Unde Sapiens dicit: *Beatus vir qui in sapientia morabitur.* (Eccle., XIV, 22). — Sublimius autem est, quia per ipsum homo ad divinam similitudinem præcipue accedit, qui omnia in sapientia fecit. Unde quia similitudo causa est dilectionis, sapientiæ studium præcipue Deo per amicitiam conjungit; propter quod dicitur quod *sapientia est infinitus thesaurus hominibus; quo qui usi sunt, facti sunt participes amicitiæ Dei.* (Sap. VII, 14). — Utilius autem est, quia per ipsam sapientiam ad immortalitatis regnum pervenitur; *concupiscentia autem sapientiæ deducet ad regnum perpetuum.* (Sap. VI, 21). — Jucundius autem est, quia *non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.* (Sap. VIII. 16). » *(Cont. Gent. L. I, c. 2).* — Unde « minimum quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum, desiderabilius est quam certissima cognitio de minimis rebus. » (P. I, q. I, a. 5, ad 1).

IV. Cum tanta sublimitate alias scientias vincat theologia, ideirco perfectioribus etiam ornatus dispositionibus, qui cum fructu ei operam impendere intendit, ad eam accedat, necesse est. — Præter accuratam philosophiæ cultuiam aliasque naturales dispositiones, requiritur: *a) vivida fides;* quo vividior est enim fides, eo perfectius aderit desiderium sciendi et intelligendi quæ fides credit.

b) Fervens oratio: tractat theologia de rebus supernaturalibus, ad quas recte intelligendas plurimum confert interna mentis illuminatio per Spiritus Sancti gratiam, quæ oratione comparatur; unde monet S. Jacobus (Ep. I, 5): *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.*

c) Puritas cordis. « Vis theologus fieri, *inquit S. Gregor. Naz.*, ac divinitate dignus? Serva mandata, per Dei præcepta incede; actio enim gradus est ad contemplationem » *(Orat. 20). Et S. August.:* « Errat quisquis putat se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat; nam *in malevolam animam non introibit sapientia.* (Sap., I, 4) » *(De Agone Christ. c. 15).*

d) Mentis recollectio et solitudinis amor; nihil enim magis a sapientiæ consideratione retrahit, quam mentis dissipatio et rerum mundanarum strepitus ac sollicitudo [1].

ARTICULUS IV.

DE FONTIBUS FIDEI, SEU DE LOCIS THEOLOGICIS [2].

15. — Locus dialectice sumptus in genere est: *Commune promptuarium ex quo ad propositam quæstionem conveniens ducitur argumentum* (Polm.). Loci igitur theologici recte definiuntur: « *Sedes in quibus theologus argumenta inveniet ad probandam, explanandam et tuendam theologicam veritatem* [3]. »

Locos theologicos alii plures, pauciores alii enumerant; decem a Melchiore Cano ponuntur, scilicet: 1. Scriptura Sacra; 2. Traditio; 3. Auctoritas Ecclesiæ; 4. Concilia generalia, vel particularia, a Romano Pontifice approbata; 5. Decisiones Romani Pontificis ex cathedra loquentis; 6. Auctoritas SS. Patrum; 7. Auctoritas theologorum; 8. Ratio naturalis; 9. Auctoritas philosophorum; 10. Auctoritas historiæ.

Ex his, septem priores sunt loci theologici proprie dicti et intrinseci: Scriptura quidem et traditio divino-apostolica tanquam revelationis depositum continentes; alii vero quinque tanquam testificantes aliquam veritatem esse in Scriptura vel traditione contentam. — Tres vero, qui ultimo recensentur, sunt loci improprie dicti, externi, et non necessarii; per se enim circa solam materiam naturalem versantur.

Ex omnibus his locis theologus argumenta sumere potest; quæ tamen omnia non æqualem habent efficaciam ad probandum. Ex aliis enim locis argumentum desumitur quod efficaciter, necessario et infallibiter probat; ex aliis vero desumitur argumentum quod nonnisi probabilitatem ingerit.

[1] Cf. S. Th. Op. 61, alias 68. (Edit. parm. T. 17, p. 338). — [2] Cf. Melch. Cano, *De locis theol.;* Berthier, *De locis theol.;* Gotti, *De locis theol.;* Grandi, In q. I, a. 8, p. 32. — [3] Berthier, prol., n° 4.

Cum de principalioribus locis theologicis plura in decursu theologiæ generalis dicenda sint, in præsenti eæ tantum indicantur notiones generaliores, quæ scitu magis necessariæ sunt, necnon et regulæ, quibus theologiæ candidatus quoad prædictorum locorum usum et vim probativam dirigi debeat.

1. *Scriptura Sacra.*

16. — Scriptura Sacra est Verbum Dei, afflante Spiritu Sancto, ab hominibus scriptum; seu, est collectio librorum ab auctoribus sacris afflante Deo conscriptorum, quos Ecclesia ut divinitus inspiratos suscepit. (Cf. Trid. Sess. IV, et Vatic. Const. *Dei Filius*). Dividitur in libros Veteris et Novi Testamenti. prout scilicet ante vel post Christum natum conscripti fuerunt.

Sensus Scripturae S. intelligitur id quod Spiritus Sanctus. hujus libri Auctor, per eam sive verbis sive rebus nobis manifestare intendit. — Sensus alter est litteralis, alter mysticus seu spiritualis. Sensus litteralis est quem ipsa verba significant; mysticus est quem non verba, sed res verbis significatæ exprimunt; sicut, v. gr., in Ps. XCIV, 11, terra promissionis sensu litterali Judæam, sensu vero mystico cælestem patriam exprimit.

Præter hos sensus a Spiritu Sancto intentos, distinguitur adhuc sensus accommodatitius, qui in hoc consistit quod verba aut facta S. Scripturæ propter aliquam similitudinem accommodantur ad aliquid significandum, quod a Spiritu S. non intendebatur. Sic v. gr., Ecclesia accommodat Confessoribus verba Eccl., XLIV, 20, quæ de solo Abrahamo dicta sunt a Deo: *Non est inventus similis illi qui conservaret legem Excelsi.*

Ad vim probandi S. Scripturæ quod attinet, hæ possunt statui regulæ.

I. Ad propositionem theologicam probandam, sensus S. Scripturæ litteralis clarus et obvius per se et immediate theologo argumentum infallibilis certitudinis suppeditat. Ratio est evidens: iste enim sensus est a Deo immediate intentus, et ut talis nobis manifestus per hoc quod Ecclesia totam Scrip-

turam nobis tanquam Verbum Dei fide divina credendum proponit.

II. Sensus litteralis subobscurus et sensus mysticus non immediate et per se, sed mediate et per aliud, theologo argumentum infallibilis certitudinis suppeditant. *Non immediate et per se:* si sensus litteralis est subobscurus, per se et immediate nobis constare non potest an hic determinatus sensus, quem sub verbis deprehendimus, sit verus sensus a Deo intentus, nec proinde ullam quoad nos divinam ad probandum auctoritatem habere potest. De sensu vero mystico, cum pendeat a libera Dei voluntate, nobis etiam directe et per se certo constare non potest, an fuerit reapse a Deo intentus: unde nec per se argumentum infallibilis certitudinis præbet. — *Sed mediate et per aliud:* Si sensus litteralis subobscurus, et sensus mysticus a Traditione, vel ab Ecclesia, vel in aliis Scripturæ locis explicantur, et nobis manifestantur ut a Deo intenti, argumentum præbent infallibilis certitudinis. Sic v. gr. verba, quæ leguntur Deuter., XXV, 4: *Non alligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, per se et immediate non probant Apostolum ab eis, quibus verbum divinum annuntiat, victum accipere posse. Sed quia testatur S. Paulus (I Cor., IX), hæc verba scripta fuisse propter Apostolos ad manifestandum ipsos a fidelibus victum accipere posse; vi istius testimonii prædicta verba ad hanc veritatem probandam argumentum sunt infallibile, divina auctoritate nixum.

III. Sensus accommodatitius nullam a Deo habet in se vim probandi, cum a Deo non sit intentus: utilis tamen est ad cognoscendum mentem et doctrinam illius, qui Scripturæ **textus ad alia accommodat.**

2. *Traditio.*

17. — Traditio sensu stricto accepta, prout scilicet a S. Scriptura distinguitur, est fidei morumve doctrina, quæ non scriptis, sed ore tenus Ecclesiæ fuit communicata, etsi postea a scriptoribus non sacris scriptis consignata fuerit. Dicitur *traditio*, quia de ore in aurem quasi per manus ab uno traditur alteri.

Traditiones diversæ distinguuntur.

Ratione originis, traditiones sunt divinæ, divino-apostolicæ, pure apostolicæ et ecclesiasticæ. *Divinæ* vocantur, quæ a Deo revelante vel a Christo loquente immediate ortum habent, et libris canonicis non fuerunt consignatæ. Talis fuit in lege naturæ doctrina de remedio pro delendo peccato originali; et in lege mosaica doctrina de remedio pro delendo peccato originali in feminis; talis est in lege gratiæ doctrina de perpetua V. Mariæ virginitate, de septenario sacramentorum numero, etc. — *Divino-apostolicæ* vocantur, quæ ab Apostolis nomine Christi ex inspiratione Spiritus Sancti viva voce Ecclesiæ traditæ sunt. — *Apostolicæ* vocantur consuetudines vel facta, quæ ab Apostolis propria auctoritate introducta sunt; v. gr. præcipuæ cæremoniæ in celebratione Sacrificii missæ; jejunium quadragesimale; etc. — *Ecclesiasticæ* sunt consuetudines, quæ antiquitus a pastoribus vel fidelibus introductæ sunt in Ecclesia, et decursu temporis vim legis obtinuerunt; v. gr. recitatio officii pro clericis in sacris constitutis, abstinentia a carne die sabbati, etc.

Ratione materiæ, traditiones sunt dogmaticæ vel morales, prout credenda vel agenda referunt.

Ratione obligationis, aliæ sunt obligatoriæ, ut admixtio aquæ cum vino in Sacrificio missæ; aliæ liberæ, ut usus signandi frontem cruce, vel aspergendi se aqua benedicta.

Ratione durationis, aliæ sunt perpetuæ, aliæ temporariæ.

Ratione extensionis, aliæ sunt universales, aliæ locales.

Ad vim probativam traditionum quod spectat, hæc notentur:

1. Traditio, de qua per Ecclesiæ definitionem constat eam esse divinam aut divino-apostolicam, habet vim infallibilem ad probandam veritatem, non secus ac ipsa Scriptura; siquidem et ipsa est verbum Dei. « Supernaturalis revelatio, *inquit Vaticanum*, secundum universalis Ecclesiæ fidem, a S. Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis, et sine scripto traditionibus. » *(Constit. Dei Filius, C. 2).*

2. Traditio, de cujus divina origine certo non constat, argumentum non equidem omnimodæ certitudinis, sed majoris

vel minoris probabilitatis pro gradu certitudinis divinæ ejus originis, suppeditat.

3. Traditio apostolica vel ecclesiastica, quæ ubique et semper in Ecclesia fuit recepta, tutissimum ad veritatem probandam subministrat argumentum; sic, v. gr., ex hoc quod ubique et semper aqua mixta fuit vino in Sacrificio missæ, recte inferri potest non esse licitum absque illa mixtione missam celebrare.

3. *Auctoritas Ecclesiæ.*

18. — Ecclesia est: « Cœtus baptizatorum, ejusdem fidei christianæ professione et eorumdem sacramentorum communione, sub uno Christi in terris Vicario adunatus. »

Ecclesia est docens vel credens. *Docens,* si consideratur ejus magisterium, cui a Christo officium docendi commissum est; *credens,* si consideratur ut congregatio fidelium, constans ex populo et pastoribus, in quantum doctrinam a Christo traditam credit. — Ecclesia etiam dicitur universalis vel particularis. *Universalis* est, quæ ad omnes populos extenditur; *particularis* dicitur, quæ ratione loci in una regione versatur, ut, v. gr., ecclesia orientalis, ecclesia gallicana.

Ecclesia quæ in praesenti intelligitur ut specialis locus theologicus, est Ecclesia credens; de Ecclesia docente infra dicetur.

Ecclesia ex speciali Christi privilegio et Spiritus Sancti assistentia in credendo errare non potest: non potest, quod revelatum non est, ut divinitus revelatum credere; vel quod revelatum est, negare revelatum. Ac proinde:

1. Si certo constat aliquam veritatem esse a fidelibus universaliter admissam tanquam divinitus revelatam, etiamsi in Scripturis non inveniatur, vel antiquitus explicite non fuerit tradita, ex hoc theologus infallibiliter arguere potest divinam istius veritatis originem; talis, v. gr. est doctrina de corporea Virginis assumptione in cœlum.

2. Si qua veritas a particulari Ecclesia tanquam revelata admittitur, ex hoc theologus argumentum non firmum,

sed majoris vel minoris probabilitatis pro hujus particularis Ecclesiæ auctoritate, desumere potest.

4. *Concilia a Romano Pontifice approbata.*

19. — Concilium vocatur legitimus conventus pastorum Ecclesiæ ad ordinandas res ecclesiasticas institutus. Unum est universale, alterum particulare. Universale est quod ex Episcopis totius Ecclesiæ coalescit; si ejus decisiones approbatione SS. Pontificis gaudent, *œcumenicum* vocatur: ea si carent approbatione, *generale* dicitur. — Particulare est quod ex episcopis alicujus partis Ecclesiæ coalescit; et est vel nationale vel provinciale, prout ex episcopis alicujus nationis vel alicujus provinciæ ecclesiasticæ constat.

Cum concilium universale sit legitima Ecclesiæ repræsentatio, imo sit ipsa Ecclesia docens in unum congregata, eadem in rebus fidei ac morum decernendis auctoritate atque infallibilitate gaudet ac ipsa Ecclesia, dummodo a Romano Pontifice sit confirmatum.

Quoad vim probativam argumentorum, quæ ex Conciliorum auctoritate desumuntur, duplex statuitur regula:

I. Concilii œcumenici definitiones in materia fidei et morum sunt infallibiles et irreformabiles. Eadem infallibilitate donantur decisiones concilii particularis, quod a Romano Pontifice approbatur, confirmatur atque toti Ecclesiæ imponitur. Istæ igitur definitiones ad veritatem probandam argumentum infallibilis certitudinis suppeditant.

II. Decisiones concilii generalis vel particularis a R. Pontifice non approbati, infallibiles non sunt; sed tantam habent auctoritatem, quantam Ecclesiæ, quas repræsentant. Pro Ecclesiarum igitur majori vel minori auctoritate, argumentum majoris vel minoris probabilitatis præbent ad veritatem confirmandam.

Dicitur in regula prima *definitiones concilii œcumenici in materia fidei et morum esse infallibiles.* Disputationes enim, considerationes, expositiones, probationes, et omnia generatim quæ in capitibus prævis præmitti solent decretis, magnam

quidem habent auctoritatem, et theologo ad veritatem probandam multum inservire possunt, ad fidem tamen catholicam non pertinent, nisi hoc expresse declaretur; propter quam expressam declarationem, v. gr., in Vaticano, non solum canones, sed etiam capita eisdem præmissa in Const. *Dei Filius*, et *Pastor æternus*, et in Tridentino, Sess. VI De Justificatione, tam canones quam capita prævia, objectum fidei catholicæ exhibent, et sunt veræ definitiones fidei fide divina credendæ.

Quæ ex actis conciliariis tanquam infallibiles definitiones habenda sint, ex sequentibus notis dijudicari potest:

1. Si opposita doctrina declaratur hæretica: aut contrarium asserentes declarantur vel hæretici esse, vel in fide naufragium fecisse, vel Spiritui Sancto contradicere.

2. Si in eos, qui aliquam veritatem negant, aut contrarium asserunt, dicitur anathema, vel fertur excommunicatio.

3. Si aliquid expressis terminis omnibus fidelibus credendum proponitur ut revelatum.

4. Si aliquid simpliciter declaratur dogma fidei catholicæ, aut Apostolorum vel Ecclesiæ doctrina.

5. *Romani Pontifices.*

20. — Romani Pontifices sunt B. Petri successores in primatu Ecclesiæ, eademque auctoritate et infallibilitate in rebus fidei et morum pollent ac ipse Apostolorum princeps, cui a Domino cura ovile suum regendi et pascendi immediate fuit commissa.

Romanus Pontifex in munere docendi sub triplici aspectu considerari potest. Etenim:

1. Docere potest *loquens ex cathedra*, id est, «cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit.» *(Vatic., Constit. Pastor æternus, C. IV)*. Definitiones S. Pontificis ex cathedra loquentis sunt infallibiles et irreformabiles, ut decrevit Vaticanum.

2. Docere potest ut omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, quin tamen definitivam sententiam proferat; sæpius enim R. Pontifex pro suprema sua auctoritate aliquam doctrinam proponit monendo, dirigendo, sed non definiendo; vel aliquam opinionem ut falsam, erroneam, temerariam, etc., damnat, quin tamen præcipiat ut eam omnes ut talem habeant. — Quo in casu, etsi ex Vaticano de fide non sit Romanum Pontificem infallibilitate gaudere, concedendum tamen est ipsum speciali Spiritus Sancti assistentia muniri, ne in errorem incidat, neve fidelibus nociva præbeat alimenta.

3. Docere denique potest non ut Supremus Pastor, sed ut Doctor privatus. Unde:

I. Definitiones S. Pontificis ex cathedra loquentis infallibile suppeditant argumentum ad veritatem probandam vel ad errorem refellendum. Ex omnibus igitur pontificiis documentis, ut Bullis, Constitutionibus, litteris encyclicis, decretis, etc., in quibus S. Pontifex loquitur ex cathedra, infallibile desumi potest argumentum. Sed notandum est solum punctum, de quo expresse agitur, censeri infallibiliter definitum; non vero considerationes, probationes, rationes, quæ eidem præmitti solent, ut supra de conciliorum decretis jam notatum est.

II. Decisiones et definitiones R. Pontificis, cum loquitur ut Supremus Pastor, quin definiat ex cathedra, omnino certum suppeditant argumentum, licet de fide non sit illud esse infallibile.

III. Decisiones et sententiæ R. Pontificis, cum loquitur ut Doctor privatus, tantam habent auctoritatem quantam rationes, quibus nititur.

6. *Auctoritas Patrum.*

21. S. Patres vocantur *Scriptores ecclesiastici doctrina et sanctitate conspicui et apostolicis temporibus viciniores, qui ab Ecclesia catholica ut testes doctrinæ a Christo et Apostolis propositæ, omni fide digni declarati sunt et approbati.*

Dicuntur: *Scriptores ecclesiastici*, qui scilicet scripta de rebus fidei tractantia posteris reliquerunt, vel saltem quorum doctrina ab ipsorum discipulis conscripta, ad nos usque pervenit, sicut, v. gr., Patrum Eremitarum dicta a Cassiano nobis sunt conservata. Unde sancti qui in primitiva Ecclesia populum fidei præcepta docuerunt, qui tamen nihil scriptis tradiderunt posteris, Patribus Ecclesiae adnumerari nullatenus possunt.

Doctrina et sanctitate conspicui: Cum Patris spiritualis sit alios verbis et exemplis docere sanctam Christi doctrinam, eosque in vitam spiritualem generare, idcirco ut aliquis scriptor vocari possit Pater Ecclesiae, conspicua in eo requiritur doctrina, et sanctitas eximia. Unde scriptores ecclesiastici qui doctrina floruerunt, sed sanctitate caruerunt, *scriptoris ecclesiastici* nomen conservant, nec Patribus connumerari possunt. Quam ob causam Origenes et Tertullianus, licet ob doctrinæ excellentiam Patribus Ecclesiæ adnumerari soleant, simpliciter tamen sunt scriptores ecclesiastici.

Apostolicis temporibus viciniores: Sicut illi, qui regnum aliquod temporale fundaverunt vel suis laboribus ad illud solide stabiliendum contulerunt, patres vel majores vocantur a posteris: ita in Ecclesia Patres nominantur majores nostri in fide, qui doctrinam a Christo et Apostolis acceptam ubique prædicando aut contra hæreticos defendendo, ad Ecclesiæ propagationem, ædificationem atque defensionem adlaborarunt, nobisque veram Christi doctrinam conservarunt. Quod primis præsertim Ecclesiæ temporibus obtinuit.

Qui ab Ecclesia testes doctrinæ a Christo propositæ sunt declarati et approbati: Ecclesiæ enim solius est declarare quinam sint testes traditionis, quinam depositum fidei scriptis suis sancte custodierint et ad posteros transmiserint. — Hæc Ecclesiæ declaratio multipliciter fieri potest: vel *explicite* per expressam alicujus concilii œcumenici aut S. Pontificis declarationem; vel *implicite*, qualis v. gr., est ea quæ fit per hoc quod in aliquo universali concilio alicujus testimonium ad veritatem revelatam comprobandam allegatur.

Ex dictis manifestum est plures requiri conditiones ut aliquis dici possit Pater Ecclesiæ. Requiritur ut sit: 1. tempore

antiquus; 2. doctrina et sanctitate conspicuus; 3. scriptis suis traditionis divinæ testis; et 4. ab Ecclesia ut testis fidei declaratus.

Ratione antiquitatis S. Patres in tres classes distingui solent. In prima classe illi inveniuntur, qui tribus primis sæculis vixerunt. Horum maxima est auctoritas, utpote Apostolis proximiorum. — Secunda classis eos complectitur, qui a sæculo quarto ad sextum inclusive Ecclesiam illustrarunt. — Tertiæ classi adscribuntur qui a sæculo septimo ad duodecimum scripserunt. S. Bernardus, anno 1153 mortuus, ultimus Patrum recenseri solet.

S. Patres considerari possunt vel ut testes traditionis, vel ut Doctores privata auctoritate loquentes.

Censentur loqui *ut testes traditionis* et doctrinam sacram tradere: 1. Si verbis utuntur, quæ fidei professionem exprimunt; v. gr., credimus, confitemur, Ecclesia docet, etc. — 2. Si in concionibus aut cathechesibus fideles credenda aut agenda edocent. — 3. Si exorto errore, eum ut a fide alienum reprobant, ejusque auctorem ut hæreticum habent. — 4. Si in scriptis polemicis sensum Scripturæ scrutantur, quem errori opponant.

Censentur loqui *ut Doctores privati*, quando de scientiis naturalibus cum fide non connexis agunt, aut fidei articulos proprio ingenio illustrant, atque ex eis consectaria deducunt.

Quoad auctoritatem, qua S. Patres pollent, dicendum est:

Si loquuntur tanquam Doctores privati, tanti valere eorum auctoritatem, quanti valent rationes quibus utuntur.

Si loquuntur ut testes traditionis, eorum auctoritatem ex sequentibus esse dimetiendam:

I. Moralis unanimitas Patrum in asserenda veritate ut revelata, est infallibile veritatis testimonium. Ratio est, quia si unanimis Patrum consensus erroneus esse posset, cum sint traditionis testes et pedagogi in fide, omnes fideles in errorem induci possent, imo et ipsa Ecclesia labefactari posset. Sed ex promissione Christi Ecclesiæ fides deficere nequit.

II. Si plures S. Patres magnæ auctoritatis veritatem affirmant, cæteris non contradicentibus, illorum consensus unanimi æquivalet, et eamdem præbet certitudinem. Ratio est,

quia cæteri Patres, nisi eamdem veritatem ut certam habuissent, ad fidei custodiam certo reclamassent; unde eorum silentium ut tacita approbatio habendum est.

III. Si unus Pater magnæ doctrinæ et sanctitatis, cæteris silentibus, veritatem affirmat, ejus testimonium est gravissimum, præsertim si accedat approbatio Ecclesiæ, ut factum est, v. gr., pro scriptis S. Augustini de Gratia; nullatenus tamen haberi potest ut infallibile veritatis argumentum.

IV. Si Patres inter se dissentiunt, tanti valet ipsorum testimonium quanti rationes, quas pro sua sententia afferunt.

22. — Notioni Patris Ecclesiae affinis est notio *Doctoris Ecclesiæ*. Doctores vocantur viri sanctitate insignes, quibus ob singularem doctrinæ eminentiam et Ecclesiæ approbationem peculiaris competit auctoritas. Ut aliquis Doctor Ecclesiæ censeatur, non requiritur antiquitas; sed præter scientiæ et sanctitatis eminentiam requiritur solemnis Ecclesiæ declaratio, qua aliis ut Doctor proponatur.

Doctores Ecclesiæ sunt: *inter Græcos*, S. Basilius, S. Athanasius, S. Gregorius Naz., S. Joannes Chrysostomus, quibus a Leone XIII adnumerati sunt S. Cyrillus Alex., et S. Cyrillus Hieros; *inter Latinos* quatuor præcipui sunt: S. Gregorius, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus; deinde S. Leo, S. Petrus Chrysologus, S. Isidorus, S. Petrus Damianus, S. Anselmus, S. Bernardus, S. Hilarius, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Alphonsus de Liguori, S. Franciscus Salesius.

7. *Theologorum auctoritas.*

23. — Ad doctrinam christianam excolendam et defendendam, Patribus in Ecclesia successerunt theologi. Theologi vocantur viri scientia insignes, qui fidei dogmata ex Sacris Litteris, Conciliorum et S. Pontificum decisionibus, et scriptis Patrum eruta methodice probant, confirmant et defendunt; et conclusionibus inde deductis illustrant et evolvunt, adhibitis etiam scientiarum naturalium adjumentis.

Ad rationem theologi sufficit scientia excellens, nec requiritur eminens vitæ sanctitas; qui tamen scientia simul et sanctitate fulgent, cæteris paribus, majori sunt æstimatione digni.

Ad theologorum auctoritatem quod attinet, hæc sunt statuenda:

I. Concors omnium theologorum toto orbe diffusorum sententia in re fidei aut morum, ita certum præbet argumentum, ut ei contradicere sit saltem hæresi proximum.

Etenim « si qua in quæstione, *ait Gotti*[1], universi theologi idem omnino concinunt, profecto, si in eo errant, Ecclesiam item errandi periculo exponunt, quia sive qui confessiones excipiunt, sive qui conciones spargunt, sive qui ut Pastores fideles sibi commissos docent, omnes instruunt in rebus fidei et morum, prout a schola accepere; ergo si tota schola erraret, et Ecclesia communem errorem dissimulans, omnes Christi fideles suo silentio deciperet. Quod si esset, Deus Ecclesiæ suæ deficeret in necessariis. »

II. Si theologi unanimiter per congruum tempus consentiunt aliquam doctrinam ex principiis fidei deduci, adeo certum est argumentum, ut illi doctrinæ refragari sit omnino temerarium et erroneum. Si enim diversarum scholarum theologi, qui in multis contraria opinantur, in eadem asserenda conclusione theologica consentiunt, inde arguitur illam adeo clare ex veritate revelata deduci, ut negari non possit. Qui igitur contrarium sentiret, temere et erronee ageret.

III. Plurium theologorum sententia, quibus alii contradicunt, tanti valet quanti rationes quibus nituntur; atque eo gravior existit, quo major eorum est auctoritas.

8. *Ratio Naturalis.*

24. — Ratio naturalis, in quantum statuitur locus theologicus, non est ipsa ratiocinandi facultas, sed scientiæ naturales quæcumque, quæ solo rationis lumine acquiri possunt,

[1] De locis theol., q. III, dub. 8.

ut sunt physica, arithmetica, astronomia, et præsertim philosophia.

Etsi fides auctoritate nitatur, et dogmata naturali lumine probari nequeant, mirum tamen in modum theologo inservit ratio naturalis, præsertim philosophia. « Philosophia, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII*, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter præparare: quam olim a veteribus modo *prævia ad christianam fidem institutio*, modo *christianismi præludium et auxilium*, modo *ad Evangelium pedagogus* non immerito appellata est ». *(Encycl. Æterni Patris).*

Et quidem, ut prosequitur laudatus S. Pontifex, ratio naturalis: *præambula fidei præbet*, demonstrando Deum existere, omniumque perfectionum cumulo singulariter excellere, ideoque Deum non solum veracem esse, sed ipsam etiam veritatem falli et fallere nesciam. — *Motiva credibilitatis adstruit*, declarando evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tanquam certis certæ veritatis argumentis ab origine emicuisse; et in perspicuo ponit Ecclesiam a Christo institutam veram esse ecclesiam. — *Medium suppeditat* ad accuratiorem atque uberiorem rerum, quæ creduntur, cognitionem, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad ejus fieri potest, lucidiorem intelligentiam acquirendam; « tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscuntur, analogia; tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo ». *(Vatican., Const. Dei Filius, c. 4).* — *Arma ministrat* ad adversariorum argutias ex scientiis naturalibus desumptas refellendum. — Præterea, principia naturaliter cognita permultum inserviunt ad eruendas ex veritatibus fidei conclusiones theologicas, quibus ipsa fides illustratur et defenditur.

Ex ratione igitur naturali multa argumenta desumere debet theologus, præsertim scholasticus, non quidem ad fidei dogmata probanda; sed ad ea uberius confirmanda, explananda, illustranda et defendenda.

Argumenta ex ratione petita, si duabus constant præmissis naturalibus, dicuntur *meræ rationis;* si vero una præmissa

est naturalis, altera autem revelata, dicuntur *rationes theologicæ;* quarum usus frequentissimus est apud theologos.

9. *Philosophorum auctoritas.*

25. — Philosophi vocantur qui scientiarum naturalium, præsertim metaphysicarum, altiores rationes solo rationis lumine inquirunt.

Philosophorum dicta, etsi ad fidei dogmata probanda inservire nequeant, theologo tamen magnæ possunt esse utilitati, tum ad fidei dogmata illustranda et confirmanda, tum ad ea contra infidelium aggressiones tuenda.

Quoad usum auctoritatis philosophorum, animadvertendum est:

I. Si omnes philosophi in eadem veritate naturali asserenda consentiunt, eorum auctoritas præstat certum illius veritatis argumentum. Fieri enim vix potest ut hi omnes, qui in multis dissentiunt, in eamdem veritatem conspirent, nisi hæc evidenter ratione apprehendatur.

II. Si dissentiunt philosophi, tanti valet eorum auctoritas quanti eorum rationes, vel scientia. — Cæteris autem paribus, aliis anteponitur Aristotelis auctoritas, cum propter suam scientiam, tum propter æstimationem, qua a doctis honoratur.

10. *Auctoritas historiæ.*

26. — Historia est de factis præteritis humanum testimonium. Altera est ecclesiastica, quæ vitam Ecclesiæ enarrat, gesta ad religionem attinentia refert, dogmatum evolutionem exhibet, hæreticorum errores, eorumque ortum et exitum describit. — Altera est profana, quæ de factis ad Ecclesiam non pertinentibus tractat.

Facta præterita non solum libris consignantur: sed plurima etiam alia dantur documenta, quibus eorum memoria ad nos usque transmissa est. Hujusmodi sunt antiqua ædificia, puta: templa, baptisteria, sepulcra, inscriptiones lapidibus vel ære excisæ, numismata, picturæ, sculpturæ, aliaque ejus-

dem generis, quæ omnia de fide moribusque primitivæ Ecclesiæ, atque de priscorum temporum factis testes sunt indubii.

Ex historia dogmata fidei proprie probari nequeunt; ipsa tamen theologo non solum magnæ est utilitati, sed etiam omnimodo necessaria est. Ope solius historiæ notæ sunt theologo cum admirabilis Ecclesiæ propagatio a primis jam sæculis; tum martyrium constantia; tum Ecclesiæ eximia sanctitas et inexhausta in omnibus bonis fœcunditas; tum Ecclesiæ unitas et invicta stabilitas: ex quibus omnibus theologo divinam esse Romanæ Ecclesiæ originem manifestatur. — Ope solius historiæ notum est theologo B. Petrum Romam venisse, ibi sedem suam collocasse et mortem subiisse; ac proinde Romanum Pontificem merito haberi ut Petri successorem in primatu. Item, ex historia cognoscimus, et disciplinæ ecclesiasticæ ac rituum antiquitatem atque universalitatem; et rerum ecclesiasticarum originem; et festorum institutionem; et errorum ortum atque progressum, qui Ecclesiæ magisterio dogmata fidei solemniter definiendi occasionem dedere. Ex quibus omnibus theologo magna lux affulget ad fidei veritates confirmandas, illustrandas, evolvendas atque defendendas.

Ad historicorum auctoritatem quod attinet, sequentes regulas statuit Canus, De loc. theol. L. XI, c. 4:

I. « Præter auctores sacros nullus historicus certus esse potest, id est, idoneus ad faciendam certam in Theologia fidem.

II. « Historici graves ac fide digni probabile argumentum theologo suppeditant, cum ad ea, quæ sua sunt, corroboranda, tum ad falsas adversariorum opiniones refellendas.

III. « Si omnes probati ac graves historici in eamdem rem gestam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum argumentum promitur, ut theologiæ dogmata firma etiam ratione constituantur. V. gr. Petrum Romæ et collocasse sedem, et pro Christo martyrii gloria coronatum esse, omnes graves historiæ tradunt: unde nos certa argumentatione confecimus Romanum Episcopum Petro in pontificatu succedere. »

ARTICULUS V.

DE PROPOSITIONIBUS THEOLOGICIS, DOGMATIBUS, ET CONCLUSIONIBUS THEOLOGICIS.

27. — I. **Propositio theologica** dicitur quælibet affirmatio vel negatio in materia fidei; aliæ sunt orthodoxæ, revelationi consentientes; aliæ heterodoxæ, quæ fidei plus minusve adversantur.

28. — II. **Dogma** in disciplinis theologicis vocatur propositio, quæ fide divina et catholica credenda est; quæ scilicet a Deo revelata est, et ut talis ab Ecclesia omnibus credenda proponitur. — Ad Dogma fidei duæ requiruntur conditiones: *prima*, ut veritas sit a Deo formaliter sive explicite sive implicite revelata; fides enim nititur Dei testimonio: ea autem sola, quæ Deus formaliter revelavit, ob ejus testimonium credi possunt. *Secunda*, ut hæc eadem veritas ab authentico Ecclesiæ magisterio tamquam revelata et credenda proponatur; ut enim aliqua veritas fide catholica credi possit, necesse est ut nobis absque erroris periculo tanquam divinitus revelata innotescat; taliter autem non innotescit nisi per infallibile Ecclesiae magisterium, cui fidei depositum concreditum est.

Veritas, quæ adeo explicite et manifeste in S. Scripturis continetur, ut neminem latere possit, sufficienter proposita censetur tanquam objectum fidei catholicæ per hoc solum, quod ipsa Scriptura nobis ut verbum Dei proponitur; si qua autem veritas non ita manifeste in Scripturis S. continetur, interveniat necesse est Ecclesiæ expressa propositio; qualis v. gr. data est a P. Pio IX in Bulla *Ineffabilis* de immaculata B. Virginis Conceptione.

Dogma fidei etiam *articulus* fidei communiter vocatur; strictiore tamen sermone theologico dogma differt ab articulo; dogmata enim vocantur quælibet veritates ab Ecclesia propositæ ut revelatæ et credendæ; articuli vero vocantur veritates principaliores et omnibus scitu magis necessariæ, quæ

sunt quasi capita totius doctrinæ christianæ. Tales sunt veritates, quæ in Symbolo Apostolorum continentur.

29. — III. **Conclusio theologica** definitur [1]: *Propositio quæ ex una aut pluribus fidei veritatibus a Deo immediate revelatis certo et evidenter eruitur.* — Duplex distinguitur conclusio theologica. *a*) Una exhibet propositionem, quæ implicite formaliter continetur in præmissis explicite revelatis, ex quibus per discursum late sumptum, per simplicem scilicet terminorum expositionem et declarationem, deducitur. Hujusmodi sunt propositiones, vel quæ ex duabus præmissis revelatis eruuntur; v. gr. Omnes Apostoli acceperunt potestatem remittendi peccata; atqui Petrus erat Apostolus: ergo accepit potestatem remittendi peccata: vel quæ inferuntur ex una revelata et altera naturali, ita tamen ut subjectum conclusionis contineatur in præmissa revelata ut pars in toto, vel singulare in universali: v. gr. Christus est homo; atqui homo habet animam rationalem: ergo Christus habet animam rationalem; — In Adamo omnes peccaverunt: atqui Paulus est homo; ergo Paulus peccavit in Adamo.

Hujusmodi conclusiones vocantur theologicæ *late* vel *improprie;* dicuntur etiam conclusiones *dogmaticæ*. Ipsæ secundum communem doctorum sententiam exhibent objectum fidei divinæ, cum sit a Deo immediate et formaliter licet implicite et obscure dictum; et si accesserit Ecclesiæ definitio, fit objectum fidei divinæ catholicæ.

b) Altera, quæ dicitur conclusio theologica *stricte et proprie*, vel *conclusio scholastica*, est propositio quæ ex veritate formaliter revelata, in qua virtualiter continetur, ope alterius propositionis naturaliter notæ vi strictæ argumentationis certo et evidenter deducitur. — Dicitur: *in qua virtualiter continetur:* quæ scilicet non immediate in se et secundum se revelata est atque a Deo intenta; sed connectitur necessario aliquo vinculo cum altera revelata, in cujus conceptu includitur; sic v. gr., revelata essentia alicujus rei, virtualiter re-

[1] Cf. Tournely, *De locis theol.*, § De Censuris, art. 2.

velantur proprietates, quæ ex essentia necessario fluunt. — *Ope alterius naturaliter notæ:* si utraque enim præmissa revelata esset, ipsa conclusio censeretur immediate revelata, ut supra dictum est. — *Vi strictæ argumentationis:* quæ scilicet non est simplex præmissarum explicatio, aut clarior determinatio; talis argumentatio supponit conclusionem in præmissis jam formaliter contineri, ut v. gr., in hoc argumento: Omnis homo est immortalis; atqui Petrus est homo; ergo est immortalis; — sed quæ est vera deductio; in vera autem deductione conclusio ab utraque praemissa seorsim sumpta realiter differt, in eis tamen virtualiter continetur, ut v. gr., *Homo est liber;* quæ proposito est revelata; *atqui omne ens liberum lege morali regulatur;* quæ propositio est naturaliter nota: *ergo homo lege morali regulatur;* quæ conclusio ab utraque præmissa differt, in eis tamen virtualiter continetur. — Additur *certo et evidenter;* conclusio quæ fluit ex præmissis *probabiliter* tantum, fundat opinionem, non autem sententiam certam, qualis debet esse conclusio theologica.

Conclusio stricte theologica, secundum communiorem sententiam, non est objectum fidei divinæ, quia non nititur revelatione immediata, quæ ad fidem requiritur, sed sola revelatione mediata, per discursum scilicet apprehensa. Unde, licet ab Ecclesia possit definiri et quidem infallibiliter, nunquam tamen definitur tanquam objectum fide divina tenendum, sed tanquam tenendum fide ecclesiastica. Et qui talem negaret conclusionem ab Ecclesia definitam, peccaret utique graviter, et vocandus esset *temerarius, erroneus, hæreticus præsumptivus*, non autem foret hæreticus formaliter.

NB. Fieri potest ut aliqua propositio, quæ deducitur tanquam conclusio ex veritate revelata, sit in aliis Scripturæ locis formaliter et immediate revelata, ut patet, v. gr., de hac propositione: *Christus duas habet voluntates*, quæ sequitur ex hoc principio: *Christus est perfectus Deus et perfectus homo;* et aliis in locis est clare enuntiata. Tales propositiones sunt objectum fidei, non ratione deductionis, sed ratione immediatæ revelationis.

ARTICULUS VI.

DE NOTIS THEOLOGICIS.

30. — Nota theologica in genere est alicujus propositionis qualificatio exprimens ejus gradum certitudinis in materia fidei, vel ejus a recta fide dissonantiam.

Nota, qua qualificatur propositio heterodoxa, *censura* vocatur, et definitur: *judicium, quo doctrina aliqua tanquam fidei ac religioni nociva declaratur.* Censura est doctrinalis vel judicialis: *doctrinalis* est, quæ a theologis fertur, et pro theologorum auctoritate majus vel minus pondus habet; talis, v. gr., fuit censura, qua facultas parisiensis quasdam Lutheri propositiones condemnavit. — *Judicialis* est, quæ fertur a S. Pontifice, vel a concilio œcumenico, vel ab Episcopis in quantum sunt pastores sui gregis et judices fidei. Talis, v. gr., fuit censura, qua Innocentius X, die 31 Maii 1653, quinque Jansenii propositiones proscripsit.

31. — I. **Propositiones orthodoxæ** considerari possunt vel ratione declarationis, seu medii quo veritas ut revelata declaratur; vel ratione necessitatis, qua propositam veritatem amplecti tenemur.

A. **Ratione declarationis** propositio est de fide catholica, de fide theologica, fidei proxima, fide certa, communis, probabilis, probabilior.

1. *De fide catholica* dicitur propositio, quæ est a Deo immediate revelata, et ab authentico Ecclesiæ magisterio omnibus proposita tanquam fide divina credenda. « Fide divina et catholica, ait Vaticanum, ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur. » *(Const. Dei Filius, C. 3).*

Veritas de fide catholica est aut de fide definita, aut de fide definibili. — *De fide definita* est omne id, quod ab Ec-

clesiæ magisterio solemni judicio expresse propositum est tanquam de fide definita credendum; ad quod pertinet etiam omnis veritas, quæ tam evidenter in Sacra Scriptura continetur, ut nulla expressa definitione indigeat; nam tales veritates in Scriptura evidenter contentæ sunt æquivalenter definitæ per hoc, quod tota Scriptura nobis ut Verbum Dei proponitur.

De fide definibili est ea veritas, quæ ab universali et ordinario Ecclesiæ magisterio ut divinitus revelata proponitur; quæ scilicet unanimi vel fere unanimi prælatorum et theologorum sententia, prædicatorum et catechistarum consensu, et ipsa liturgia exhibetur ut divinitus revelata, approbante saltem tacite supremo Ecclesiæ magisterio. Talis, v. gr., fuit doctrina de immaculata B. Virginis conceptione ante Bullam *Ineffabilis;* et doctrina de infallibilitate S. Pontificis ante Concilium Vaticanum; et adhuc hodiedum doctrina de corporea Virginis assumptione in cœlum.

Qui negat propositionem *de fide definita*, infidelis est et hæreticus coram Ecclesia; qui negat propositionem de *fide definibili*, non est hæreticus formalis coram Ecclesia, sed est infidelis coram Deo.

In decursu nostrarum institutionum, quando alicui propositioni adnectitur nota *de fide*, intelligenda est de fide divino-catholica definita.

2. *De fide theologica* ea dicitur propositio, quæ privata scientia alicui certo innotescit ut divinitus revelata, et ideo ab eo fide divina credi debet.

3. *Fidei proxima* ea dicitur, de qua non omnino evidenter constat eam esse revelatam, sed quæ ut revelata habetur ex judicio sanioris partis theologorum. — Ab aliis proxima fidei ea dicitur, quam supra de fide definibili vocavimus.

4. *Fide certa, ad fidem pertinens* ea dicitur, quæ ab Ecclesia definita est ut vera, sed non proposita tanquam fide divina credenda. Cujusmodi sunt propositiones, quæ tanquam conclusiones theologicæ proprie dictæ eruuntur ex una præmissa revelata, ope alterius non revelatæ; et propositiones ordinis naturalis, quæ cum veritate revelata ita connectuntur ut negari non possint, quin ipsa fides detrimentum capiat.

Hæ veritates dicuntur etiam *de fide ecclesiastica*, quæ innititur assistentia Spiritus Sancti, qua Christi Ecclesia in custodiendo fidei deposito ab errore quocumque immunis servatur.

5. *Simpliciter certa* ea est, cujus veritas rationabili dubio subjici nequit, licet ad gradum, in quo propositio fide certa vel fidei proxima collocata est, non pertingat.

6. *Communis* dicitur propositio, quæ a plerisque theologis habetur vel ut revelata, vel ut conclusio theologica. — *Communior*, quæ, relate ad alteram sibi oppositam, majorem pro se habet numerum theologorum.

7. *Probabilis* est intrinsece vel extrinsece. Intrinsece probabilis vocatur, quæ fundamento ita firmo nititur, ut viri prudentis assensum ad se trahere valeat, etsi cum formidine de opposito. — Extrinsece probabilis est, quæ docetur cum pace Ecclesiæ ab aliqua schola magnæ auctoritatis, vel a quibusdam theologis magni nominis, imo aliquando, licet raro, quæ docetur ab uno doctore maximæ auctoritatis, modo pro sua sententia validam rationem, quæ ab aliis sufficienter non fuerit soluta, adducat. — *Probabilior* dicitur, quæ pondere rationum vel numero patronorum sibi oppositam superat.

32. — B. **Ratione necessitatis** propositio dicitur necessaria, libera, vel tolerata.

1. *Necessaria* dicitur illa, quam omnes fideles vel explicite vel implicite amplecti tenentur; et cui absque jactura fidei nullus scienter contradicere potest. Talia sunt fidei dogmata. De his valet adagium: *In necessariis unitas.*

2. *Libera* dicitur illa, quæ neque est de fide definita, neque fidei aut bonis moribus quocumque modo opponitur, atque a multis publice traditur in scholis catholicis; v. gr., diversa systemata de gratiæ efficacia. De his valet adagium: *In dubiis libertas.*

3. *Tolerata* dicitur illa, quæ, etsi videtur aliquo modo fidei bonisve moribus opposita, nondum tamen est ab Ecclesia condemnata. Talis fuit olim doctrina de millenario Christi regno, vel de dilata justorum visione beatifica usque ad extremum diem judicii.

33. — II. **Propositiones heterodoxae.** Propositiones erroneæ multipliciter ab Ecclesia proscribi consueverunt. Quandoque enim aliqua propositio condemnatur unica censura in specie determinata, v. gr., est hæretica. — Aliquando una eademque propositio pluribus condemnatur censuris; quo in casu unius et ejusdem propositionis diversi gradus oppositionis cum fide exprimuntur. Exemplum habes in prima propositione Jansenii, quam Innocentius X declaravit *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam.* — Plures demum propositiones damnantur *in globo*, censura cumulativa, quin exprimatur quænam cuique propositioni conveniat censura. Exemplum habes in Constitutione *Unigenitus*, qua a Clemente XI propositiones 101 Quesnelli damnatæ sunt tanquam respective *falsæ, captiosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, scandalosæ, perniciosæ, temerariæ, Ecclesiæ et ejus praxi injuriosæ, ...seditiosæ, impiæ, blasphemæ, suspectæ de hæresi*, etc. Si tali censura cumulativa plures propositiones damnantur in globo, tenendum est nullam esse notam, quæ non cadat in unam saltem e propositionibus damnatis; nec ullam esse propositionem, quin unam saltem ex notis expressis mereatur.

Censuræ, quibus notantur propositiones heterodoxæ, plurimæ sunt, ut videre est in citata constitutione *Unigenitus*. Præcipuæ sunt: hæretica, hæresi proxima, hæresim sapiens, de hæresi suspecta, erronea, temeraria, male sonans, piarum aurium offensiva, scandalosa, schismatica, blasphema, impia, captiosa, falsa.

Hæretica dicitur propositio, vel quæ veritati revelatæ ab Ecclesia definitæ directe, certo et evidenter opponitur; vel quæ veritati in S. Scriptura contentæ contradicit; vel quæ ab Ecclesia ut hæretica explicite est condemnata.

Hæresi proxima est, quæ veritati de fide definibili adversatur; quæ contra unanimem Patrum et theologorum sententiam aliquid asserit; quæ directe et immediate fluit ab hæretica; de qua etsi dogmati definito adversatur, dubitari tamen potest an ei directe et evidenter adversetur.

Hæresim sapiens, de hæresi suspecta dicitur, quæ sensu catholico simul et hæretico accipi potest, sed in qua, circumstantiarum loci, temporis, personarum ratione habita, sensus hæreticus prævalere videtur. Talis est: *Christus est Creatura;* quæ apud catholicos est orthodoxa, hæretica autem apud Arianos.

Erronea vocatur, quæ, vel adversatur veritati fide certæ, conclusioni scilicet theologicæ ab Ecclesia definitæ; vel veritati naturali cum dogmate connexæ.

Temeraria est, vel quæ in materia fidei aut morum aliquid imprudenter, sine gravi argumento asserit; vel quæ absque gravi fundamento contradicit communi Patrum ac theologorum sententiæ.

Male sonans, quæ in bonum quidem sensum exponi potest, sed ex natura sua vel ex circumstantiis malum sensum præ se fert apud fideles.

Piarum aurium offensiva, quæ de Deo aut sanctis aliquid indecorum profert.

Scandalosa, quæ per se proximo est causa spiritualis ruinæ, eum ad peccata inclinando, vel retrahendo a virtute.

Schismatica, quæ fideles ab obedientia Summo Pontifici vel Superioribus ecclesiasticis debita retrahit; vel quæ aliquam prærogativam SS. Pontifici tanquam Capiti Ecclesiæ concessam negat; v. gr., quæ negat Papam habere jus ferendi leges in tota Ecclesia.

Blasphema, quæ aliquod divinum attributum negat; vel in Deiparam Virginem aut alios sanctos convicium continet, ab illis debitam perfectionem auferendo, vel eis indebitum defectum attribuendo.

Impia, quæ a cultu Deo sanctisque debito avertit, vel quæ ab honore parentibus superioribusque exhibendo retrahit.

Captiosa, quæ sub specie veri vel boni ad falsum vel malum inducit.

Falsa, quæ facto historico vel veritati naturali adversatur.

TOTIUS OPERIS PARTITIO

34. — Theologia, ut ex dictis patet, est scientifica cognitio religionis, seu dogmatum divinitus revelatorum, quæ fide credimus. Antequam autem de veritatibus revelatis in particulari aliquid speculari possit, necesse est ut probe noscat homo se ad eam amplectendam religionem teneri, quam Christus Dominus revelavit, hancque in sola Ecclesia Romano-catholica puram atque intactam conservari. Qua in re theologiæ generalis objectum versatur.

In theologia igitur generali duo ponuntur tractatus:

I. de vera religione.

II. de vera Christi Ecclesia.

35. — *Theologia specialis* circa particularia versatur dogmata, quæ nobis fide credenda proponuntur. Theologiæ vero, sicut fidei, objectum principale est Deus, non solum ut auctor naturæ, sed ut auctor gratiæ; cætera autem ejus constituunt objectum, secundum quod ad Deum referuntur ut ad principium vel finem, et secundum quod ex divina revelatione nobis innotescunt. (Cf. n. 4).

In theologia igitur primo et per se loquendum est de Deo in se spectato, prout scilicet est unus in essentia, et trinus in personis; exinde duplex tractatus: prior de Deo uno; de Deo trino posterior.

Expleta disputatione de Deo in se spectato, theologica consideratio versari debet circa Deum in quantum est creaturarum principium et finis, necnon et circa ipsam creaturam, quæ a Deo per creationem exivit, et ad eum tanquam ad finem ordinatur. In tertio igitur tractatu loquendum est de Deo Creatore, necnon et de creatura, speciatim de angelica, specialius adhuc de humana, quam Deus ad ordinem supernaturalem evectam atque gratia et virtutibus infusis ornatam his posuit in terris, ut propria sua operatione in Deum, objec-

tum suæ beatitudinis et finem suum ultimum, facie ad faciem videndum, revertatur.

Cum vero homo in hac sua supernaturali dignitate non steterit, sed per Adami prævaricationem gratiam, donaque annexa amiserit, Deus humano generi misit Redemptorem, qui naturam collapsam restauraret, eique pristinam restitueret vitam gratiæ. Unde post considerationem de Deo Creatore sequitur consideratio 1. de Deo Recreatore, seu de Deo Redemptore, necnon et de Virgine Deipara, quæ nobis Redemptorem protulit; 2. de vita reddita, seu de gratia. Cum vero a gratia sanctificante inseparabilis sit ille comitatus virtutum infusarum, quibus homo ad salutariter operandum indiget, tractatum de Gratia excipiet tractatus de Virtutibus infusis.

Ut autem fructus Redemptionis ad finem usque mundi hominibus apte applicaretur ad vitam gratiæ generandam, alendam et perficiendam, Christus in Ecclesia septem instituit sacramenta, in quibus virtutem passionis suæ quasi recondidit. Apte igitur post tractatum de Gratia et Virtutibus, sermo instituitur de Sacramentis tum in genere tum in specie.

Sed tam Christi Redemptio quam alia salutis media, necnon et omnia mundana ad hoc ordinata sunt, ut impleatur numerus electorum, quo completo, mundi adveniet consummatio. Ultima igitur theologiæ consideratio erit de Deo consummatore; qui tractatus inscribitur: de finibus ultimis.

Hæc est igitur in theologia speciali series tractatuum:

I. De Deo Uno.
II. De Deo Trino.
III. De Deo Creatore.
IV. De Deo Redemptore.
V. De B. V. Maria.
IV. De Gratia.
VII. De Virtutibus infusis.
VIII. De Sacramentis in genere.
IX. De Baptismo.
X. De Confirmatione.
XI. De SS. Eucharistia.
XII. De Pœnitentia.
XIII. De Extrema-Unct.
XIV. De Ordine.
XV. De Matrimonio.
XVI. De finibus ultimis.

THEOLOGIA GENERALIS

36. — Sancta religio nostra, cujus veritates theologia specialis assumit considerandas, omni ex parte supernaturalis est, ac revelatione tota innititur. Religionis igitur et theologiæ fundamentum ac principium est divina revelatio, qua Deus per prophetas et Christum Dominum homines agenda et credenda edocuit. *Multifariam*, inquit Apostolus, (Hebr. I, 1), *multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis; novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio.*

Religionis ergo ac fidei scientifica cognitio a theologiæ candidato in primis exigit, ut vel ipsius revelationis rationem reddere valeat: nutante enim vel deficiente fundamento, incassum laborat qui ædificii molem exstruere satagit. Sed nec adhuc sufficit revelationis scientia; prærequiritur etiam scientifica cognitio mediorum, quibus revelatio, qua olim Deus patribus in prophetis et in Filio suo locutus est, ad nos usque intacta pervenit. Medium autem quo Christiana revelatio nobis infallibiliter traditur, non aliud est atque Ecclesia, quam Christus Redemptor hunc in finem instituit, ut ipsi usque ad consummationem sæculi depositum fidei custodiendum demandaret.

Ex his manifestum est theologiam generalem recte definiri: *Scientiam revelationis in genere, et mediorum quibus ad nos pervenit.* Quæ definitio duplicem theologiæ generalis scopum ejusque divisionem exhibet. Prior scopus in hoc positus est, ut christianæ revelationis in genere scientifica tradatur cognitio: quod in primo tractatu fiet, cui titulus: De vera Religione. — Posterior in eo situs est, ut veræ Christi Ecclesiæ, in qua sola divina revelatio servatur intacta, scientifica co-

gnitio tradatur; quod in secundo tractatu fiet, cui titulus: De vera Christi Ecclesia.

Hæc generalis consideratio de religione et Ecclesia nostris temporibus eo magis est necessaria, quo in dies numerosiores et acerbiores contra Christi regnum, quod est Ecclesia, hostes exsurgunt. Hi enim, cum unam alteramve revelatam veritatem inficiari aut proterve explicare satis non habeant, vel divinam revelationem omnino negant, vel Ecclesiæ Romanæ divinitatem evertere conantur, vel ejus infallibile magisterium destruere moliuntur.

Contra eos igitur, qui christianam revelationem negant, religionem christianam esse vere divinam atque omnibus obligatoriam, in primo tractatu demonstrabitur.

Contra eos vero, qui christiana religione admissa, eam non in Ecclesia Romana, vel non in sola Ecclesia Romana intactam conservari contendunt, revelationem christianam in sola Ecclesia Romana puram et intactam conservari, ipsamque in Scriptura simul et traditione contentam infallibili Ecclesiæ Romanæ magisterio custodiendam et interpretandam exclusive fuisse commissam, in secundo tractatu demonstrabitur.

TRACTATUS PRIMUS.[1]

DE VERA RELIGIONE.

Conspectus generalis.

Pars I. De Religione in genere.

Pars II. De Revelatione in genere.

- CAP. I. Notio revelationis.
- CAP. II. Possibilitas.
- CAP. III. Necessitas.
- CAP. IV. Obligatio et inquisitio.
- CAP. V. Cognoscibilitas seu notæ revel.
  - A. 1. Notæ in genere.
  - A. 2. Notæ externæ.
    - § 1. Miracula.
    - § 2. Prophetia.
    - § 3. Alia facta divina.

Pars III. De Divinitate religionis christianæ.

- CAP. I. Auct. Libror. Vet. et Novi Test.
  - A. 1. Auct. Pentateuchi.
  - A. 2. Auct. aliorum Libr. Vet. Test.
  - A. 3. Auct. Libr. Novi Test.
- CAP. II. Divinitas rel. christ. in sua præparatione.
  - A. 1. Revelatio primæva.
  - A. 2. Revel. mosaica.
    - § 1. Divinitas.
    - § 2. Ordinatio ad legem christ. et abrogatio.
- CAP. III. Divinitas relig. christ. in se consideratæ.
  - A. 1. Prophetiæ messianæ in Christo impletæ.
  - A. 2. Criteria proprie dicta.
    - § 1. Notæ intrinsecæ.
    - § 2. Persona præconis.
    - § 3. Notæ extrinsecæ.
      - Miracula.
      - Prophetiæ.
      - Alia facta div.

Appendix: falsæ religiones.
- I. Judaismus hodiernus.
- II. Mahumetismus.

[1] **Auctores consulendi:** *S. Alph.* Ver. fidei. — Evidentia fidei. — Consider. de verit. div. revelationis. — *Hooke:* Religionis principia. — *Valsecchi:* De fundamentis religionis. — *Gatti:* Instit. apologetico-polemicæ. — *Egger:* Enchiridion theol. dogm. generalis. — *Liebermann:* Instit. theolog. — *Knoll:* Instit. theol. dogm. generalis. — *Leboucher:* De vera religione. — *Lambrecht:* Demonstratio christiana. — *Jansen:* Prælectiones theol. fundamentalis.

INTRODUCTIO.

37. — I. **Scopus tractatus.** — Tractatus de vera Religione in eo versatur ut veram esse, quam Christus Dominus instituit religionem, ex motivis credibilitatis scientifice demonstret, probetque eam omnibus, qui salutem consequi exoptent, esse necessariam.

Scopum duplicem habet: prior et principalis in eo positus est, ut fideles, qui suæ religionis divinitatem ex toto corde agnoscunt, in fide plenius confirmentur, et intimius instruantur quam rationabile sit obsequium quod Deo loquenti exhibent, et reddantur *parati ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea quæ in eis est spe*, ut monet B. Petrus. (I Petr., III, 15.) — Posterior situs est in eo, ut christianæ revelationis, et religionis in ea fundatæ veritas contra adversariorum argutias defendatur.

38. — II. **Divisio tractatus.** — Tria in hoc tractatu investiganda occurrunt. Cum de religione christiana agatur, in primis inquirendum est de religione in genere; quæ investigatio tanquam præambula necessario præire debet. Dato enim per impossibile quod nullius religionis professio homini incumbat, funditus ruit totius argumentationis basis atque fundamentum. — Quam speculationem excipere debet consideratio de revelatione in genere; ut ex principiis ibidem ponendis revelationis seu religionis christianæ divinam originem atque omnimodam necessitatem arguere possimus.

Tres igitur partes complectitur tractatus: In I sermo erit de religione in genere; in II de revelatione in genere; in III de revelatione seu religione christiana.

39. — III. **Errores.** — Triplici enunciata demonstratione non solum scientifica exhibebitur religionis notitia, sed triplex etiam confutabitur adversariorum classis, qui christianam religionem impugnare non desistunt.

Alii directe vel indirecte omnem religionem tam naturalem quam supernaturalem penitus abjiciunt, humanamque statuunt rationem ut suum supremum principium, totius veritatis fon-

tem et judicem, supremamque sibi agendorum regulam [1]. Tales sunt materialistæ, pantheistæ, fatalistæ, sceptici et idealistæ, quorum nefarias doctrinas ex philosophia jam confutatas supponimus. — Ad hos referuntur indifferentistæ qui docent nullam religionem esse necessariam, ac proinde « integrum cuique esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem », *ut ait SS. D. N. Leo PP. XIII. (Encycl. Libertas).* Contra quos statuitur prima pars tractatus.

Alii, rationalistæ scilicet, naturalistæ et deistæ, solam religionem naturalem agnoscunt; revelatam vero impugnant, eique omni ex parte opponuntur. Qui in secunda parte tractatus refutabuntur.

Alii demum, judæi scilicet et mahumetani, revelationi supernaturali non adversantur, imo religionem divinitus revelatam se admittere gloriantur; revelationi tamen christianæ penitus opponuntur. Contra quos in tertia tractatus parte agetur.

40. — IV. **Modus procedendi.** — Non una est in hocce tractatu argumentandi ratio. « Quilibet actus, *inquit S. Th.*, exequendus est secundum quod convenit ad suum finem. » *(Quodl. IV, a. 18).* Cum, ut ex dictis constat, duplex sit tractatus finis, pro finis diversitate varianda est argumentatio.

Si contra incredulos, qui nullam veritatem divinitus revelatam admittunt, instituatur disputatio, sive ad eos de religionis veritate convincendos, sive ad eorum fallacias refutandas, tunc desumenda sunt argumenta unice ex ratione naturali, vel ex Scriptura et Traditione prout auctoritate mere humana pollent.

Si contra Judæos controversia dirigatur, ad eorum religionis inanitatem, christianæ vero revelationis veritatem stabiliendam, divinam eorum librorum Vet. Testamenti, quos ipsi ut inspiratos venerantur, auctoritatem afferre possumus.

Si demum scientifica, fideles quo in fide profundius radicentur, religionis instituatur probatio, tunc prospicere nobis licet ut fidelibus, quippe qui totius S. Scripturæ et traditionis

[1] Cf. SS. D. N. Leo. PP. XIII, Encycl. *Libertas.*

divinam auctoritatem, necnon et Ecclesiæ infallibile magisterium agnoscant, præter argumenta rationis, tum divinam totius Scripturæ et traditionis auctoritatem, tum decisiones Ecclesiæ afferamus; etenim pro fidelibus hic « locus ab auctoritate, quæ fundatur super revelatione divina, est efficacissimus. » *S. Th., Q. I, a. 8, ad 2.* — In hoc procedendi modo nullus adest circulus vitiosus, quasi ex revelatione divinam ipsius revelationis auctoritatem probare vellemus. Cum enim fidelibus revelationis divinitas et Ecclesiæ infallibilis auctoritas aliunde jam sint notæ, nullatenus revelationis auctoritas ad primam fidem eis faciendam, afferetur, sed unice ad rationem firmissimæ fidei, quam veritati religionis christianæ adhibent, reddendam, et ad scientifice demonstrandum, quam amice, in religionis veritate adstruenda, fides et ratio consocientur.

Propositionibus igitur notam non solum philosophicæ vel historicæ, sed etiam theologicæ certitudinis sæpius prafigemus, easque non unice argumentis ex ratione petitis, sed etiam theologicis argumentis plerumque probabimus.

41. — V. **Argumentationis caput.** — Quæ in hocce tractatu dicenda occurrunt, in unicum syllogismum compendiose contrahi possunt; scilicet: Religio christiana est omnibus hominibus divinitus obligatoria 1.° si quilibet homo ad veram religionem profitendam tenetur; 2.° si quilibet tenetur ad revelatam, si qua forte existat, religionem amplectendam; 3.° si constat religionem christianam esse a Christo revelatam, eamque solam esse veram et divinitus revelatam. Atqui 1.° quilibet homo absolute tenetur religionem quamdam, eamque veram profiteri; quod in prima parte tractatus demonstrabitur. — 2.° Quilibet tenetur ad revelatam, si qua existit, religionem amplectendam; quod argumentum in secunda parte evolvetur. — 3.° Certissimum atque evidentissimum est Christum religionem instituisse, eamque solam veram esse atque divinitus revelatam; de quo in tertia parte agetur. Ergo religio christiana est omnibus hominibus divinitus obligatoria.

PARS I.

DE RELIGIONE IN GENERE.

42. — Dissertatio de religione in genere ad philosophiam præcipue pertinet: unde ea tantum et quidem brevissime pertractabimus puncta, quæ principalius ad scopum nostrum collineant. Præmissa igitur religionis et cultus notione, religionis necessitas et unitas adstruetur; deinde probabitur a quolibet homine cultum non solum internum sed et externum, a societate vero cultum publicum Deo esse exhibendum; ex quibus hæc eruetur conclusio, scilicet civilem religionum tolerantiam esse reprobandam.

Hisce doctrinis et fideles de religionis necessitate ac natura certiores reddentur, et simul retundentur liberalismi necnon indifferentismi placita, scilicet: « integrum cuique esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem... Nihil esse quod ullum Deo cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit: nullum anteferri alteri, sed æquo jure omnes haberi oportere. » *(SS. D. N. Leo PP. XIII, Encycl. Libertas).*

43. — **Notio religionis et cultus.** — I. *Religio*, a religando dicta, vi nominis est *unio seu conjunctio moralis hominis cum Deo*, teste *Lactantio:* « Hoc vinculo pietatis obstricti Deo religati sumus, unde ipsa religio nomen accepit ». *(De Instit. div. L. IV, c. 28);* et *S. Thoma:* « Religio, inquit, importat ordinem ad Deum. Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio ». *(II. II, q. 81, a. 1.)*

Religio dicitur unio *moralis*, quæ scilicet actibus intellectus et voluntatis perficitur. Duplex enim est hominis relatio ad Deum, physica et moralis. Relatio *physica* seu *ontologica* in eo consistit, quod homo, sicut quælibet creatura, a Deo Creatore et Gubernatore quoad totum suum esse dependeat. — Relatio *moralis*, quæ creaturis intellectualibus propria est, in eo consistit, quod homo hanc suam a Deo dependentiam

agnoscat, et sese Deo, supremo legislatori, libere subjiciat. — Prior relatio est religionis fundamentum: si enim homo a Deo quoad suum esse non dependeret, nullis erga eum teneretur officiis; posterior relatio est ratio formalis religionis: religio enim tota consistit in hoc, quod homo suam a Deo dependentiam agnoscat, et omnia exequatur officia, quæ ex hac dependentia nascuntur.

Religio considerari potest objective et subjective. *Objective,* seu *in se* considerata, religio est *complexio omnium veritatum et officiorum, quibus homo erga Deum obstrictus est.* — *Subjective,* prout scilicet in homine residet, religio est *virtus moralis inclinans hominem ad acceptandas veritates et explenda officia, quibus erga Deum obstrictus est.* — Religio objectiva, in quantum est complexio veritatum, vocatur religio *theoretica;* in quantum vero est complexio officiorum, vocatur religio *practica.*

Religio tam objective quam subjective sumpta bifariam dividitur: altera est naturalis, altera supernaturalis. *Naturalis* hominem ordinat in Deum ut auctorem naturæ et ut finem naturalem. Dogmata et præcepta complectitur solo naturalis rationis lumine comparata. — *Supernaturalis,* seu *revelata,* hominem ordinat in Deum ut auctorem gratiæ et ut finem supernaturalem. Dogmata et præcepta complectitur, quæ non vi naturalis rationis, sed extraordinaria et gratuita Dei manifestatione homini innotescunt. Vocatur etiam *positiva,* quia præcepta continet, quæ ex libera Dei voluntate præceptis naturalibus sunt superaddita.

44. — **Cultus** in genere definitur: *Testimonium excellentiæ alienæ et submissionis propriæ.* (Polm.) — Cultus religiosus, de quo in præsenti agitur, est *exercitium seu praxis religionis objectivæ in testimonium supremæ Dei excellentiæ et nostræ ad eum submissionis.* Omnes complectitur actus, quibus Deo obsequium et honorem deferimus.

Cultus est internus vel externus; privatus vel publicus. — *Internus* consistit in internis actibus intellectus et voluntatis; v. gr., in actibus fidei, spei, caritatis, gratitudinis. — *Externus* actibus externis ministerio corporis exercetur, puta, capitis

inclinatione, genuflexione, oratione vocali. — *Privatus* est, qui Deo exhibetur ab homine ut a persona privata. — *Publicus*, qui a tota communitate, vel ab aliquo individuo nomine communitatis defertur.

45. — Prop. I. *Religio est homini absolute necessaria.*

Philosophice *certa;* theologice *de fide*, ex apertis Scripturæ testimoniis.

Agitur in propositione de religione subjectiva connotante objectivæ exercitium.

Prob. I. **Ex Scriptura Sacra.** Legimus (Matth. IV, 10): *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* — (Malach. I, 6): *Si pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Sed omnis homo Deum Patrem et Dominum habet. Quilibet ergo eum honorare, timere, illique servire tenetur. Unde, teste Apostolo, qui Deum agnitum glorificare recusant, pœnis plectuntur acerrimis. (Rom. I): *Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.... Propterea tradidit illos in passiones ignominiæ.*

II. **Ex conditione naturæ humanæ.** Talis est humanæ naturæ conditio, ut perspecta sive ejus origine sive ejus fine, omnimoda incumbat homini obligatio Deum religione colendi. « Ex omnibus hominum officiis, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, illud est sine dubitatione maximum et sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines jubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti, ad eum reverti debemus. » *(Encycl. Libertas).*

Etenim: 1. *Ratione originis:* Homo est a Deo creatione productus; ab eo pendet quoad conservationem; et quidquid est in homine, ad Deum illud ut ad Dominum pertinet. Cujuslibet igitur hominis Deus est Dominus, Benefactor, Pater et Rex. Sed recta ratio dictat subjectionem et obsequium deberi domino, benefactori gratias, patri reverentiam et amorem, regi vero honorem. Quilibet igitur homo ex conditione suæ naturæ Deo subjectionem et obsequium præstare, gratias per-

solvere, reverentiam et amorem exhibere, atque honorem deferre tenetur. In his autem cultus religionis versatur.

2. *Ratione finis*, et quidem ratione finis *ipsius Dei*, et ratione *finis nostri*. — Primo quoad finem, quem ipse Deus in rebus omnibus creandis et gubernandis sibi præstituit: hic non potest esse alius, quam gloria Ipsius manifestanda et a creaturis adoranda et laudanda. Necesse est igitur ut quælibet creatura juxta naturam suam Dei gloriam procuret. Homo ergo, qui intellectu et voluntate præditus est, actibus intellectus et voluntatis Deum glorificare tenetur: hoc autem ipsius religionis finis est. — *Ratione finis hominis*, qui est propria hominis beatitudo: Homo, non secus ac quodlibet ens creatum, ex conditione naturæ suæ tenetur in suam beatitudinem tendere. Atqui in solo Deo cognito et amato consistit vera hominis beatitudo. Necesse est igitur ut homo actibus intellectus et voluntatis Deo ut fini suo inhæreat, ipsumque consequi nitatur: sed in hoc præcise consistit religio.

III. **Ex ordine morali.** Lex moralis regulam quamdam supremam et immutabilem expostulat, juxta quam operari pium et sanctum est; contra quam agere vitiosum est et culpabile. Sublata vero religione, hominisque dependentia a Deo supremo legislatore, sola superest humana ratio tanquam suprema agendorum regula. Sed, *teste SS. D. N. Leone PP. XIII:* « Rejecto ad humanam rationem et solam et unam veri bonique arbitrio, proprium tollitur boni et mali discrimen; turpia ab honestis non re, sed opinione judicioque singulorum differunt: quod libeat, idem licebit; constitutaque morum disciplina, cujus ad coercendos sedandosque motus animi turbidos nulla fere vis est, sponte fiet ad omnem vitæ corruptelam aditus. » *(Encycl. Libertas).*

IV. **Ex ratione societatis.** Deficiente religione, nulla societas firma et tranquilla consistere potest. « Omnis humanæ societatis fundamentum convellit, *ait Plato*, qui religionem convellit. » *(De Legib. l. X).* Et *Plutarchus:* « Facilius esse, ait, urbem in aere ædificare, quam rem publicam sine cultu religionis fundare. » *(Adv. Colot.).* Enimvero, ratio societatis exigit ut civium mutua jura et officia serventur; ut subditi

legitimæ societati debitam præstent obedientiam, atque auctoritas justo moderamine subditos regat: quæ omnia, religio ni adsit, deficiant necesse est.

a) Nativa civium jura et officia, ut firma sint et tuta, non propria cujusque ratione, sed lege suprema et immutabili firmari debent. Qui autem religionem abnuit, ille supremum ac immutabilem legislatorem negat, propriamque rationem ut supremam normam statuit: exinde jurium et officiorum perturbatio, ut modo pro ordine morali notavimus.

b) Ad subditos quod spectat, ratio cur obediant auctoritati. Deus est, cujus potestas in præsidibus relucet. *Omnis anima*, inquit Apostolus, (Rom. XIII, 1-2), *potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo.... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Illis ergo, qui Deum nulla religione colunt, ratio cur obediant legemque servent, deficit; et « facile ad seditionem turbasque labitur multitudo, frenisque officii et conscientiæ sublatis, nihil præter vim relinquitur: quæ tamen vis tanti non est, ut populares cupiditates continere sola possit. Quod satis testatur dimicatio propemodum quotidiana contra socialistas, aliosque seditiosorum greges, qui funditus permovere civitates diu moliuntur. » *(Leo XIII Encycl. Libertas).*

c) Qui vero multitudini præsunt, ni probe meminerint se esse ministros Dei, sicut monet Apostolus *(Rom. XIII, 6)*; et *quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet, (Sap. VI, 6)*, in tyrannidem mox incident, populumque injustis prement exactionibus, quibus pax et tranquillitas exulant a regno [1].

V. **Ex consensu populorum.** Omni ætate ac ubique terrarum gentes aliquam divinitatem, cui cultum detulere, agnoverunt. « Sua cuique civitati, *ait Cicero* [2], religio est. Deum quippe natura venerari novit; nec quisquam est homo, qui lege, quæ hoc præcipiat, careat. » Idem testantur recentiores viatores et missionarii. — Ille autem universalis populorum

[1] Cf. S. Alph. *Consid. de veritate dir. revel.* c. III, n. 50. — [2] *De Legibus*, l. X.

consensus, certus est testis veritatis, secundum illud *Guillelmi Parisiensis*: « Quod natura universaliter et naturaliter confitetur, necesse est verum esse. Naturam enim universaliter et naturaliter mentiri impossibile est ». *(De Virt. c. 2).*

46. — Prop. II. *Vera religio non potest esse nisi una.*

Philosophice *certa;* theologice *de fide,* ex apertis Scripturæ testimoniis.

Agitur in propositione de religione objectiva, necnon et de ejus cultu.

Prob. I. **Ex Scriptura Sacra.** Legimus *(Marc., XVI, 16)*: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ex quo illud consequitur, ut in sola Christi religione homo salutem consequi possit; sed illa sola est vera, in qua homo finem suum ultimum assequi potest. Vera ergo religio non potest esse nisi una.

II. **Ex Ratione:** 1. *Ex ratione doctrinæ.* Ex diversis doctrinis, quarum una, quod aliæ falsum reputant, illud verum existimat; quarum una, quod aliæ ut malum prohibent, illud ut bonum permittit; ex diversis, inquam, hisce doctrinis, una sola potest esse vera; aliæ vero falsæ sint, necesse est: verum enim vero contradicere repugnat. Atqui ex diversis religionibus, quod aliæ falsum de Deo arbitrantur, illud aliæ verum reputant; quod aliæ proscribunt tanquam Deo injuriosum, illud, tanquam ipsi honorificum, præscribunt aliæ. Ergo una sola potest esse vera religio.

2. *Ex natura religionis.* Cultus Deo exhibendus necessario fundari debet in vera Dei cognitione; ex Dei enim cognitione oriuntur actus voluntatis, quibus Deus colitur. Sed vera Dei cognitio non potest esse nisi una: unius enim rei non est nisi una vera cognitio, cum veritas sit adæquatio intellectus et rei. Ergo et cultus Deo exhibendus non potest esse nisi unus.

3. *Ex Dei veracitate.* Cum diversæ religiones opposita de Deo doceant, si quælibet æque vera, æque bona, æque Deo grata reputanda esset, Deus errorem approbare dicendus foret. Sic, v. gr., Catholici Christum ut Deum venerantur; Judæi vero eum ut malefactorem respuunt; si igitur utraque

religio æque vera, bona et Deo grata foret, tunc placeret Deo Christum simul ut Deum et ut malefactorem agnosci; quod absolute repugnat, cum Deus, summa veritas, nullum errorem approbare possit. Diversæ igitur religiones nequeunt esse æqualiter veræ: sed una sit vera, aliæ falsæ sint, oportet [1].

4. *Ex supremo Dei dominio.* Deo, omnium supremo Domino, jus competit intimandi quonam cultu honorari velit. Si ergo constat Deum aliquam positive revelasse religionem, hæc sola erit vera religio ab omnibus tenenda. Sed, ut ex dicendis patebit, Deus religionem positive revelavit; hæc ergo est unica vera, ab omnibus tenenda.

Coroll. Ex dictis colliges homini, cum ad religionem profitendam teneatur, et hæc non possit esse nisi una vera, gravem obligationem incumbere veram religionem, in ea si non versetur, inquirendi; eamque, cum invenerit, sequendi; rectequе damnatum fuisse indifferentismum (qui dicitur etiam tolerantismus theologicus et latitudinarismus) qui hoc docet, scilicet: «Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus, veram putaverit.» Syll. XV. — Et: «Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire, æternam que salutem assequi possunt.» Syll. XVI.

47. — Prop. III. *Homo Deo cultum tam internum quam externum exhibere tenetur.*

Philosophice *certa*, theologice *de fide*, ex manifestis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. *Quoad cultum internum.* — I. **Ex Script. Sacra.** Plures in Script. Sacris præscribuntur actus interni, quibus homo Deo obsequium præstare tenetur; inter alios eminent actus fidei, *(Hebr. XI, 6): Sine fide impossibile est placere Deo;* actus spei, *(I Petr. I, 21): Dedit ei* (Christo) *gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo;* actus caritatis, *(Luc. X, 27): Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

II. **Ex Ratione.** Ex supradictis manifestum est quemlibet teneri ad præstandum Deo reverentiam, honorem, amorem, etc. (cf. n. 45). Hæc autem absque internis animæ sensibus nullatenus esse possunt.

[1] Cfr. S. Alph. *Ver. fid.*, P. II, c. 1.

Prob. II. *Quoad cultum externum.* — I. **Ex Script. Sacra.** Legimus in libris Vet. Test., præsertim in Levitico, ipsum Deum cultum externum indicasse, sacrificia et sacramenta instituisse, et mandasse ut statis diebus populus a laboribus abstineret. In Novo Fœdere, Christus sacrificium instituit, Sacramentaque dedit, ex quibus quædam ut omnes stricta ex obligatione susciperent, mandavit. Quæ omnia ad cultum externum pertinent.

II. **Ex Ratione.** 1. Homo, non solum ratione animæ, sed etiam ratione corporis, Deo obstringitur propter ea beneficia, de quibus supra dictum est (n. 45) Totus igitur homo, id est, compositum humanum ex anima et corpore constans, Deo cultum exhibere tenetur: ex parte animæ, per internos actus intellectus et voluntatis; ex parte corporis, per externa signa, quibus internos animæ sensus exterius manifestet.

2. Ejusmodi est hominis natura, ut quibus interne animatus fuerit affectionibus, eas exterius manifestet. Natura igitur comparatum est, ut ipse cultum internum signis etiam prodat externis.

3. His accedit populorum consensus: nulla enim fuit natio exculta quin sive sacrificiis, sive publicis precibus, aliisve externis cæremoniis divinitatem coluerit. « Si terram obeas, *inquit Plutarchus*, invenire possis urbes muris, litteris, domibus, opibus, numismate carentes: urbem vero templis diisque destitutam, quæ precibus, oraculis, jurejurando non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. » *(Cont. Colotem.).*

48. — **Prop. IV.** *Societas civilis, qua societas, veram religionem profiteri tenetur.*

Philosophice *certa*, theologice *fide certa.*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Dicitur (Is. LX, 12): *Gens enim et regnum quod non servierit tibi, peribit.* Quæ verba *servierit tibi*, de Jerusalem, vera Christi Ecclesia, dicuntur, ut ex toto citato capite constat. Inde inferre possumus non privatos solum homines, sed gentes etiam et regna ad veram Christi religionem profitendam obligari. — Idem eruitur ex omnibus

quæ fecit Deus, ut apud Judæos in antiquo fœdere publica veræ religionis professio intacta servaretur.

II. **Ex Ratione.** 1. Societas civilis, non secus ac privatus homo, Deum auctorem habet. Ergo, non secus ac privatus homo, obsequium Deo deferre tenetur. « Natura et ratio, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII.* quæ jubet vel singulos sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate conjuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli: neque minorem quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere.... eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tanquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abjicere, aut asciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle. » *(Encycl. Immortale Dei).*

2. Societas civilis temporale bonum civium ita procurare debet, ut eos ad bonorum maximum, felicitatem æternam, acquirendum simul adjuvet. Sed hoc præcipue fit per religionem. « Nati susceptique omnes homines sumus, *ait iterum SS. D. N. Leo PP. XIII.* ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitæ in cœlis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem communi utilitati natam in tuenda prosperitate reipublicæ necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum præcipua est, ut detur opera religioni sancte

inviolateque servandæ, cujus officia hominem Deo conjungunt. » *(loc. cit.)*.

49. — **Coroll.** Cum status civilis ad religionem eamque veram profitendam teneatur, recte deduces, civilem falsarum religionum tolerantiam, etsi aliquando propter societatis pacem et tranquilitatem concedi possit, esse tamen quid mali, et generaliter loquendo rejiciendam, propter mala quæ ex ipsa enasci solent, præsertim si eo usque progrediatur, ut omnibus religionibus æqualem coram lege civili concedat potestatem [1]. Recte igitur ac merito proscriptæ sunt sequentes propositiones: « Laudabilius in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut omnibus illic immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere. « *Syll. 78.* — « Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam. » *Syll. 79.*

[1] Cf. SS. D. N. Leo PP. XIII, Encycl. *Libertas.* — S. Alph. *Ver. fid., Consid. de Verit. Revel.* c. 3.

PARS II.

DE REVELATIONE IN GENERE.

50. — Christiana religio, cujus veritas et necessitas probandæ sunt, ex revelatione tota hauritur. Priusquam igitur de ipsa religione christiana in se tractare possimus, ordo logicus expostulat ut de religionis fonte, de revelatione scilicet in generali, disputatio præmittatur. Agemus proinde in hac parte: I. De revelationis notione; II. de ejus possibilitate; III. de ejus utilitate atque necessitate; IV. de ejus obligatione; V. de ejus cognoscibilitate.

CAPUT I.

DE REVELATIONIS NOTIONE.

51. — Definitio. — Revelatio generatim sumpta, vi etymologiæ, est *rei occultæ manifestatio*, seu *veritatis ignotæ manifestatio, aut veritatis jam notæ clarior propositio.*

Homo in Dei divinorumque attributorum cognitionem duplici via assurgere potest. Potest enim Deum ejusque attributa cognoscere ex creaturis, ope naturalis luminis intellectus. Hæc Dei manifestatio per creaturas *revelatio naturalis* vocatur, et improprie tantum revelatio dicitur; unde hæc naturalis Dei cognitio nunquam in theologia vocatur revelatio. — Potest homo Deum ejusque attributa cognoscere, quia Deus seipsum ac æterna suæ voluntatis decreta supernaturali via homini manifestat, loquendo scilicet immediate cum hominibus, sive per seipsum sive angelorum ministerio. Hæc est revelatio proprie dicta, de qua in hac parte quæstio movetur. Vocatur *revelatio supernaturalis*, quia homini non est debita, et humanæ naturæ exigentias supergreditur, atque a sola Dei misericordia atque libera voluntate pendet.

Revelatio proprie dicta potest igitur definiri: *Locutio Dei ad homines supernaturaliter facta.*

Revelatio supernaturalis spectari potest objective et subjective. *Objective* spectata, revelatio est ipsa religio a Deo nobis tradita; seu est complexus veritatum et officiorum, quæ Deus nobis supernaturali modo manifestavit; *subjective* sumpta est ipse actus, quo Deus nobis illas veritates illave officia manifestat. De revelatione subiective sumpta agimus.

52. — Divisio. — Revelatio dividitur: 1. *Ratione modi*, in immediatam et mediatam. *Immediata* est, quando Deus ipse, vel Angelus ab eo deputatus, absque alterius hominis interventu, alicui veritatem directe manifestat; talis facta est Prophetis et Apostolis. — *Mediata* est veritatis manifestatio ministerio alterius hominis; talis est quæ fit nobis, quando evangelica veritas nobis proponitur.

Ratione modi revelatio immediata subdividitur in internam et externam. *Interna* est, quando Deus in alicujus intelligentiam operatur, eam immediate illuminando, in eaque immediate ideas suscitando ad ea percipienda, quæ manifestare intendit. Hæc dicitur locutio seu revelatio *intellectualis*. Cujus exemplum habemus in Salomone et Apostolis, qui sapientiam et scientiam infusam acceperunt. — Ad hanc refertur revelatio, quæ fit per imagines phantasiæ, visiones, somnia, quæ a Deo, illuminato simul ad horum significationem rite penetrandam intellectu, immittuntur. Talis facta est B. Joanni in Apocalypsi, et interdum Prophetis. — *Externa* est, quando Deus signis externis, sive verbis, sive imaginibus aliisve signis, veritatem manifestat. Talis fuit qua Christus sermone Apostolos edocuit. *(Cf. S. Th. Cont. Gent., L. III, c. 154).*

In revelatione tam interna quam externa, Deus, semetipsum esse qui illas manifestet veritates, homini ad quem loquitur, sive lumine interius infuso, sive prodigiis exterius patratis, certitudinem impertitur.

2. *Ratione objecti*, revelatio dividitur in supernaturalem quoad substantiam, et in supernaturalem quoad modum. — Supernaturalis *quoad substantiam* est, quando veritas manifestata captum intellectus ita supergreditur, ut absque revelatione nec ejus existentia cognosci, nec post revelationem ejus natura ab homine intelligi queat: talis est revelatio mys-

teriorum. Ad hanc pertinet revelatio præceptorum legi naturali superadditorum. — Supernaturalis *quoad modum tantum* est, quando veritas revelata ordinis est naturalis, neque nativas intellectus vires supergreditur: talis est revelatio existentiæ Dei, et præceptorum legis naturalis.

3. *Ratione subjecti* cui destinatur, revelatio dividitur in publicam et privatam. — *Publica* est, quæ a Deo pro omnibus hominibus, vel pro notabili parte generis humani facta est; cujusmodi est revelatio Moysi vel Apostolis data. — *Privata* est, quæ pro uno tantum vel paucis edita est; v. gr., ejusmodi est revelatio, quæ interdum adhuc nunc quibusdam sanctis communicatur.

53. — Errores. — Revelationi adversantur non ii solum qui nullam omnino religionem admittunt; de quibus actum est in I parte: sed illi etiam et præsertim, qui deistæ et semirationalistæ nuncupantur.

1. *Deistæ*, qui et *rationalistæ* et *naturalistæ* vocantur, « religionem sic dictam naturalem summis laudibus efferunt, imo hanc religionem naturalem considerant ut quamdam chartam magnam constitutionis theocraticæ, id est relationis quæ est inter Deum et hominem: ita quidem ut Deus summus rerum Dominus nec latum unguem recedere possit ab illa charta magna religionis naturalis. » *(Vinc. Gasser, coll. Lac. T. VII, p. 148).*

Rationalismi originem indicat Vaticanum *(Const. Dei Filius, Introd.)* dicens: « Tum (despecta scilicet a Protestantibus Scripturarum auctoritate) nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quæ religioni christianæ utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, meræ quod vocant rationis vel naturæ regnum stabiliatur. »

Rationalistæ omnes in hoc conveniunt, ut solam religionem naturalem admittant, revelatam vero rejiciant. In rejicienda autem religione revelata, alii aliis nituntur rationibus; alii enim revelationem in se impossibilem judicant; alii vero inutilem; alii demum, etsi concedant possibilem aut utilem fore

revelationem, ejus tamen obligationem inficiantur, cum, ut aiunt, de ejus existentia nobis certo constare non possit.

2. *Semirationalistæ* revelationem non negant, sed contendunt nihil in ea contineri nisi quod ratione intelligi ac demonstrari queat. Mysteria proinde vel rejiciunt, vel ratione penetrari posse admittunt.

« Error, *inquiunt theologi Conc. Vaticani*, quo negatur contineri in revelatione mysteria supra captum rationis... constituit ipsum logicum principium semirationalismi. Aiunt scilicet (semirationalistæ), veritates proponi historice in revelatione, sed eas omnes, saltem postquam ita historice innotuerunt, posse etiam ex intrinsecis principiis lumine rationis perspectis intelligi et demonstrari, immo hoc ipsum esse proprium munus philosophiæ. » — *(Coll. Lac. p. 525)*. Inter semirationalistas recensentur imprimis Hermes et Gunther.

CAPUT II.

DE REVELATIONIS POSSIBILITATE.

54. — Revelationis possibilitatem æqualiter non impugnant omnes deistæ: alii enim ipsi adversantur ut in se repugnanti; alii solam revelationem supernaturalem quoad substantiam impossibilem dicunt, illam scilicet quæ mysteria credenda proponit, vel præcepta positiva legi naturali superaddita imponit. Tria sunt igitur probanda, scilicet 1. revelationem supernaturalem in se esse possibilem; 2. possibilem esse revelationem mysteriorum; 3. possibilem esse revelationem præceptorum positivorum.

55. — **Prop. I.** — *Revelatio supernaturalis est in se possibilis.*

Philosophice *certa;* theologice *de fide*, ex Vatic. Const. *Dei Filius*, c. II, can. 2: « Si quis dixerit fieri non posse aut non expedire ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, A. S. ».

Prob. I. **Ex Scriptura Sacra.** Scriptura tam Vet. quam Novi Fœderis tota in eo est, ut nobis veritates proponat, quas

Deus manifestavit. *Multifariam*, inquit Apostolus, (Hebr. I, 1), *multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio.* Sed ab esse ad posse valet conclusio. Possibilis est igitur revelatio.

II. **Ex Ratione.** Repugnantia, si in revelatione adesset, oriretur vel ex parte Dei revelantis; vel ex parte hominis, cui fit revelatio: vel demum ex parte veritatis quæ manifestatur. Atqui ex nullo capite datur repugnantia.

1. *Non ex parte Dei.* Hæc revelationis repugnantia, si qua ex parte Dei adest, ex hoc unice provenire potest, vel quia Deus medio caret, quo suas hominibus ideas communicet, vel quia hæc veritatis manifestatio alicui divino attributo adversatur. Jamvero Deus est omnipotens, et Ipse est qui loquelam dedit hominibus; non potest igitur ipsi deesse medium, quo consilia voluntatis suæ aliis manifestet, sive per internam mentis illuminationem, sive per externam locutionem, aut alia quæcumque signa. — Præterea, hæc veritatis manifestatio divinis non adversatur attributis; contra, plura mirifice commendat, ut, v. gr., providentiam, bonitatem, misericordiam, etc.

2. *Non ex parte hominis.* Talis est hominis natura, ut ad veritatis cognitionem multo magis per institutionem quam per propriam investigationem sit perventurus, sicut quotidiana testatur experientia. Si igitur homo ab homine veritatem accipere potest, nihil obstat quominus eamdem, dummodo apto modo proponatur, ab ipso Deo accipiat.

3. *Non ex parte ipsius veritatis.* Veritas est objectum intellectus; ejus igitur manifestatio, sive fiat ab homine, sive a Deo, humanæ menti est omnino conveniens.

III. **Ex humani generis consensu.** Qui diversorum populorum vel leviter attigerit historiam, huic illico luce clarius patebit ita omnibus fuisse persuasum, Deos, et suas hominibus quandoque manifestare voluntates, et suis legislatoribus leges quibus populi regantur inspirasse, et cultum, quo numen honorare debeant, indicasse: huic etiam manifestum erit, apud omnes populos oracula, auguria, divinationes, quæ ut divinæ voluntatis significationes habebantur, exstitisse.

56. — Prop. II. *Revelatio mysteriorum est possibilis* [1].

Philosophice *certa*, theologice *de fide* ex Vaticano, Cap. II, can. 3, et cap. IV, can. 1, in quo legimus: « Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, A. S. »

Mysterium in genere dicitur quælibet veritas occulta. Theologice, *mysterium* dicitur veritas, quæ creatam mentem ita excedit, ut ratio propriis suis viribus nec ejus existentiam invenire, nec ejus essentiam, facta etiam ejusdem revelatione, intelligere possit. « Præter ea, *inquit Vatic., loc. cit. c. 4.*, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt.... Divina mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt ut, etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino. »

Prob. prop. I. **Ex Script. Sacra.** « Apostolus, ait Conc. Vatic. loc. cit., disserens de gratia et veritate, quæ per Jesum Christum facta est, pronuntiat: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* (1 Cor. II, 7-9), Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit *hæc a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis.* (Matth., XI, 25). »

II. **Ex Ratione.** Si mysteriorum revelatio impossibilis esset, hoc ex triplici capite provenire posset, vel quia nullæ dantur in Deo veritates, quæ captum nostrum superant; vel quia Deus eas nobis manifestare non posset: vel demum quia talis revelatio ex parte hominis repugnaret. Sed nullum dici potest. Etenim:

1. *Existunt mysteria, seu dantur veritates, quæ captum nostrum superant.* Homo natura sua ita comparatus est, ut de Deo propriis viribus ea sola cognoscere possit, ad quæ per sensibilia ascendere valet. Creaturæ autem, licet nobis Dei existen-

[1] Cf. Theologos Vatic., Collect. Lac., p. 526.

tiam atque aliqua ejus attributa patefaciant, intimam tamen ejus naturam non manifestant. Existunt igitur circa naturam Dei divinorumque attributorum et operationum veritates multæ, nobis naturaliter imperviæ, quæ mysteria vocantur. Et re quidem vera, si humanus intellectus, utpote limitatus, multarum rerum naturalium, quarum existentia comprobata est, naturam scire non potest, v. gr. luminis, electricitatis, generationis plantarum, etc., quomodo se Dei naturam aut divinarum operationum rationes cognoscere posse, contendere audeat?

2. *Deus mysteria revelare potest:* ipsi enim nec scientia deest, nec potentia. *Non scientia:* intellectus divinus divinam adæquat substantiam; cognoscit igitur Deus suam essentiam in quantum est cognoscibilis, nec ulla veritas eum latet. — *Non potentia:* Non est Deo difficilius ea manifestare, quæ ordinem naturalem superant, quam ea, quæ intra limites ordinis naturalis continentur. — Præterea cum Deus sit omnium supremus Dominus, jus habet homini mysteria imponendi, sive ad fidem nostram exercendam, sive ad intellectus nostri obsequium recipiendum, teste Vaticano, Const. *Dei Filius*, C. III, can. 1. « Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse ut fides ei a Deo imperari non possit, A. S. »

3. *Nec revelatio mysteriorum repugnat ex parte hominis.* Repugnantia hæc, fatentibus adversariis, ex eo desumitur, vel quia mysteria sunt contra rationem, vel quia de eorum revelatione certitudo haberi nequit, vel quia irrationabile est alteri fidem adhibere circa rem, quam quis non intelligit. Sed ex nullo capite stat repugnantia. Etenim:

a) Mysteria sunt quidem supra rationem, non autem contra rationem; sed ex eo quod aliquid est supra rationem non sequitur ipsum simul esse contra rationem, ut contendit Bayle [1]. Ut aliquid dicatur esse supra rationem, sufficit ut intellectus propriis viribus nec illius existentiam invenire, nec ejus essentiam comprehendere possit. Ut autem aliquid dicatur esse contra rationem, necesse est ut intellectus intrinsecam ipsius

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.* P. II, c. I, n. 12; Et *Consid. de verit. Rev.* c. I, n. 9.

repugnantiam percipiat: quod impossibile est cum de mysteriis agitur. Ad intrinsecam enim alicujus rei repugnantiam cernendam, intrinseca ipsius natura penitus innotescat, necesse est; sed intrinseca mysteriorum natura captum mentis superat, nullique homini naturaliter nota est.

b) De mysteriis non potest utique homo his in terris intrinsecam evidentiam obtinere; habere tamen potest evidentiam extrinsecam, per motiva scilicet credibilitatis, quibus veritatem talem existere, qualis proponitur, invictissime demonstratur. — Potest etiam homo cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequi, ut loquitur Vaticanum. *(Const. Dei Filius, C. 4).*

c) Nec irrationabile, sed rationi omnino consentaneum est, Deo, mysteria revelanti, fidem adhibere; sicut etiam in naturalibus rationi consentaneum est alteri doctiori rem, quam intelligere non possumus, nobis proponenti fidem adhibere, dummodo constet illum veritatem affirmare. « Sicut igitur maximæ amentiæ esset idiota, *ait S. Th.*, qui ea quæ a philosopho proponuntur falsa esse assereret, propter hoc quod ea capere non potest; ita et multo amplius nimiæ stultitiæ esset homo, si ea quæ divinitus angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicaretur, ex hoc quod ratione investigari non possunt. » *(Cont. Gent. I, c. 3).*

57. — Prop. III. *Revelatio, quæ legi naturali præcepta positiva superaddit, est possibilis.*

Philosophice *certa*, theologice *de fide*, ex manifestis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Scriptura Sacra.** Ex historia Vet. et Novi Testamenti clare constat Deum multa præcepta positiva, quæ in lege naturali non continentur, imposuisse. Sic v. gr., in Levitico ea legimus, quæ ipse Deus statuit quoad cultum sibi a Judæis exhibendum; et ex verbis Christi constat susceptionem baptismi esse omnibus ad salutem absolute necessariam. Sed ex facti existentia ejus possibilitas innotescit.

II. **Ex Ratione.** Possibilis est revelatio præceptorum positivorum, si lex naturalis non omnia determinat hominis officia; si Deus jus habet talia imponendi præcepta, homoque eis sese subjicere tenetur. Sed hæc ita se habent. Etenim:

1. Cum, teste Vaticano, C. II, can. 3, homo ad perfectionem, quæ naturalem superat, evehi possit, præcepta dari possunt huic perfectionis statui proportionata: hæc autem a lege naturali ortum habere nequeunt. — Præterea, lex naturalis non omnia determinat hominis officia erga Deum: v. gr., lex naturalis jubet cultum externum esse Deo exhibendum, speciales autem ritus in hoc cultu adhibendos non determinat.

2. Deus, supremus omnium Dominus, non minorem in homines habet potestatem, quam legislatores humani; his autem nemo jus denegat condendi leges positivas ad societatis bonum promovendum. Igitur nec Deo jus leges positivas imponendi denegari potest.

3. Homo, qui totus a Deo pendet, non minus tenetur Deo obsequium voluntatis quam intellectus impendere; ac proinde Deo legem positivam imponenti homo parere tenetur. Neque vero hujusmodi obedientia humanæ derogatur dignitati, haud secus atque obedientia humanis legislatoribus præstita, eidem nulla injuria irrogatur.

CAPUT III.

DE REVELATIONIS NECESSITATE.

58. — Stabilita Revelationis possibilitate, de ejus necessitate agendum est, ut cognoscamus an et quousque supernaturalis revelatio homini, ad finem suum ut valeat pervenire, necessaria existat.

Prænotanda. — Ut in hac maximi momenti quæstione omnis tollatur æquivocatio, notandum est:

I. Hominem in ordine ad Deum, finem suum, sub duplici respectu considerari posse: vel simpliciter ut ordinatum ad fruendum Deo tanquam fine naturali, ad quem per reli-

gionem naturalem, ab ipsa lege naturali præscriptam, tendere debet; vel ut elevatum ad perfectionem, quæ naturalem superat, ad fruendum scilicet Deo tanquam fine supernaturali, ad quem mediis etiam supernaturalibus tendere tenetur. Pro utraque positione quæritur an et quomodo revelatio sit necessaria.

II. Medii ad finem attingendum adhibendi duplex distinguitur necessitas, physica et moralis. Necessarium *physice* seu *absolute* dicitur medium, quando, eo deficiente, finis absolute non potest attingi; sic, v. gr., oculus physice necessarius est ad videndum. Huic necessitati respondet *impotentia physica*, quæ in eo consistit quod virtus activa agentis non est proportionata operi exequendo; sicut v. gr., sensus est intrinsece impotens cogitandi. — Necessarium *moraliter* dicitur medium, sine quo finis, absolute loquendo, attingi potest; quo tamen deficiente, ob circumstantias in quibus agens versatur, finis aut nunquam aut rarissime tantum attingitur. Huic respondet *impotentia moralis*, quæ in eo consistit quod agens, intrinsece potens agendi, tantis objicitur impedimentis, ut, perspecta humana conditione, aut nunquam aut rarissime tantum actum ponat. — Necessitas moralis dicitur etiam *relativa*, quia pro impedimentorum gravitate major minorve esse potest.

III. In necessitatem revelationis alii peccant per excessum, per defectum alii. Traditionalistæ supernaturalem revelationem absolute necessariam dicunt ad quamcumque veritatem religiosam et ad ipsam Dei existentiam certo cognoscendam. Damnati sunt in Vaticano, *Const. Dei Filius Cap. II. can.* 1 [1]. De his non est agendum in hoc capite. — Rationalistæ vero revelationem ut inutilem rejiciunt, quippe qui solam admittant religionem naturalem, ad quam perfecte cognoscendam atque adimplendam, necnon ad vitam humanam recte instituendam, sufficere dicunt rationem naturalem.

59. — Prop. I. *Posita hominis elevatione ad finem supernaturalem, revelatio est absolute necessaria.*

[1] Cf. Theologos Vatic., Coll. Lac. VII. p. 520. 6.

Philosophice *certa :* theologice *de fide*, ex Vatic. c. II: « Hac de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quæ humanæ mentis intelligentiam omnino superant. »

Prob. **Ex Ratione.** Quæ sunt supra rationem et a libera Dei voluntate pendent, a ratione propriis viribus absolute cognosci non possunt: sed ad ea cognoscenda absolute necessaria est supernaturalis eorum manifestatio. Atqui finis supernaturalis et media ad eum ducentia sunt supra rationem, et a libera Dei voluntate unice pendent. Ergo per solam revelationem innotescere possunt.

« Finis supernaturalis, *inquiunt theologi Conc. Vatic.* [1], et huic fini proportionata proindeque supernaturalia media sicut sunt supra vires totius naturæ creatæ, supra ejus exigentiam, et supra totam perfectibilitatem intra limites naturæ; ita ordinatio ad talem finem per talia media (supposita etiam quacumque perfectione naturali) non potest esse nisi ex libero infinitæ bonitatis consilio. Unde hoc consilium, et proinde ordinatio ad talem finem et media ei proportionata non possunt cognosci per ea quæ facta sunt, seu ex naturali manifestatione Dei; sed necessaria est alia Dei manifestatio, quæ sicut ipsa res manifestanda, est supra exigentiam naturæ humanæ. Hæc supernaturalis revelatio pro vita præsenti... nobis fit per verbum Dei. »

60. — Prop. II. *In præsenti generis humani conditione revelatio non est homini absolute necessaria ad religionem naturalem cognoscendam; verum necessaria est moraliter ut eam omnes expedite, firma certitudine, nec ullo admixto errore cognoscere valeant* [2].

Philosophice *certa*, theologice *de fide*, ex Vatic. C. II: « Huic divinæ revelationi tribuendum quidem est ut ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non tamen hac de causa revelatio absolute necessaria dicenda est. »

[1] Coll. Lac. VII, pag. 524; Cf. S. Th. P. I, q. I, a. 1. — [2] Cf. S. Th. P. I, q. I, a. 1; et *Cont. Gent.* l. I, c. 4.

Dicitur in propositione revelationem esse moraliter necessariam ut *omnes homines:* non agitur enim de aliquo homine in speciali, sed de hominibus in genere; licet enim forsan aliquis eximii ingenii totam legem naturalem propriis viribus cognoscere posset, inde non sequeretur omnes eamdem cognitionem proprio ingenio sibi comparare posse: — *eam,* non agitur de una alterave veritate seorsim sumpta, sed de toto complexu veritatum, quæ scitu necessariæ sunt; — nec sermo est de cognitione quacumque, dubia, conjecturali, et tarde accepta: sed de cognitione expedita, firma et certa.

Prob. I Pars. *Revelatio non est absolute necessaria.*

Ex Ratione. Revelatio non est absolute necessaria ad ea cognoscenda, quæ per se sunt humanæ rationi proportionata. Atqui omnes veritates ordinis naturalis, etiam in præsenti generis humani conditione, per se sunt humanæ rationi proportionatæ. Ergo ad eas cognoscendas revelatio non est absolute necessaria.

In hac parte immorandum non est, cum propositio contra rationalistas speciatim statuatur.

Prob. II Pars: *Revelatio est moraliter necessaria.*

I. *Ex impotentia multitudinis ad veritatem religiosam absque revelationis adjutorio cognoscendam.* — Homo quilibet, etiam tardioris ingenii, « cum certitudine et absque erroris periculo, *ait S. Alphonsus* [1], cognoscere debet Dei naturam atque attributa, animæ naturam, ejus spiritualitatem ac immortalitatem, omnia sua officia erga Deum, necnon et debitum cultum Deo exhibendum. Deficientibus hisce cognitionibus, nec sanctitas, nec salus, nec religio est possibilis. Atqui ut homo absque divinæ revelationis adjutorio, ope solius naturalis luminis, religionis naturalis veritates, saltem principaliores inveniat, puta: Dei existentiam, ejus perfectiones atque providentiam, leges justitiæ ac honestatis, omnes animæ proprietates, longissimo et laboriosissimo incumbere debet studio. Huic autem studio major pars hominum impar existit: alii enim tardioris sunt ingenii, alii rebus temporalibus dediti, alii in publicis officiis occupati. Unde et major pars hominum de veritatibus religionis pauca tantum cognoscerent, nec propter

[1] *Consid. de verit. Relig.* c. I, n. 3.

hanc ignorantiam officia sua adimplerent. Religio tamen, quia omnes tam doctos quam indoctos ad salutem perducere debet, universalis sit oportet, et omnium, sive acuti sive tardioris sint ingenii, intellectui pervia esse debet. »

Multitudini igitur, ut religionem naturalem expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore cognoscere valeat, externo subveniendum est subsidio, quod, divina disponente providentia, supernaturalis est revelatio.

II. *Ex insufficientia sapientissimorum etiam hominum ad integram veritatem inveniendam, aut multitudini communicandam.* Esto, reponunt rationalistæ, ratio individua, qualis in hominibus communiter invenitur, non sufficit ut a multitudine noscatur tota religio naturalis, et externo indiget præsidio: illud vero in philosophia reponendum est. Sed contra: Sapientissimi inter homines, absque revelationis adjutorio, populorum ignorantiæ sublevandæ omnino impares sunt. Quod constat:

A. — *Ex defectu scientiæ.* Doctissimi inter philosophos totam legem naturalem certo et absque erroris admixtione, revelatio si deficiat, cognoscere non valent. Philosophi antiquiores in multis scitu maxime necessariis turpiter erravere, teste Apostolo (Rom. I, 21): *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Alii plures deos, aut Deum corporeum, vel unum et eumdem atque mundum admiserunt; alii divinam negaverunt providentiam. Socrates, Plato, Cicero existimabant fœdissimas paganismi cæremonias esse retinendas. — Ad mores quod attinet, plurimi animæ immortalitatem et spiritualitatem, totius moralitatis fontem, e medio tulerunt; vindictam alii, alii mulierum communitatem, aut perjurium, mendacium, licita habuerunt[1].

Recentiorum philosophia, quæ se a revelatione independentem prædicat, non paucioribus scatet erroribus. Alii nullum Deum, alii omnia mundana Deum esse prædicant, atque ani-

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.* P. II, c. I, n. 6; *Consid. de verit. revel.* c. I, n. 5.

mæ spiritualitatem et immortalitatem tollunt. Alii unicam morum disciplinam et honestatem collocant « in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis. » *(Syll. 58)* [1]; alii demum ob bonum patriæ perjuria et flagitiosissima permittunt crimina, *teste Syll. 64:* « Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur. » Vera igitur est omnino Ciceronis sententia: « Nihil tam absurde dici potest, quod non dicitur ab aliquo philosophorum [2]. » — Philosophia igitur humanæ ignorantiæ in religionis negotio non solum mederi non scivit, sed et ipsa, ut a veritatis tramite ne aberret, superno indiget præsidio.

B. — *Ex defectu voluntatis.* Nullus citari potest philosophus, qui multitudinem veram religionem bonosve mores sincere docere voluerit; contra, plerique adlaborarunt ut vulgo veritas ignota maneret populusque in vanis superstitionibus detineretur. Sapientissimus *Cicero*, qui fatetur « se mirari cum Catone, quod non rideret aruspex aruspicem cum videret [3]. » jubet tamen aruspicum instituta etiam sub mortis pœna esse servanda.

C. — *Ex defectu consensus.* Mira inter philosophos viget opinionum contrarietas, etiam circa res maximi momenti, ut sunt Dei existentia, animæ immortalitas, leges morum. « Plerique, *inquit Cicero* [4], deos esse dixerunt, dubitare se Protagoras; nullos esse omnino Diagoras, Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate et dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. » Ast in tanta opinionum varietate et contrarietate, cuinam fides sit adhibenda, cognitum ut habeamus, fieri non potest.

D. — *Ex defectu auctoritatis.* Philosophi ad homines religionem docendos eosque, ut ad bonam frugem se recipiant,

[1] Cf. S. Alph. Confut. libri: *De l'Esprit.* (Marietti VIII, p. 772; Jul. Jac. II, p. 348). — [2] *De Divinat.*, II, 58. — [3] *De Divinit.*, l. 2. — [4] *De Nat. deor.*, l. I, c. 1.

perducendos, omni semper auctoritate destituti erant. *Nullam habuerunt auctoritatem divinam*, ut per se patet. *Nullam habuerunt humanam: non legalem* a lege acceptam; talem philosophis fuisse concessam nullibi legitur; contra, principes populum in religionibus fallere hominum prudentium et sapientium negotium existimarunt, *ut ait S. Augustinus* [1]; — *non doctrinalem*, quæ habetur ex doctrinæ eminentia: in eorum enim dictis populus multas assertiones deprehendere potuit, quæ cum recta ratione aut inter se aperte pugnant; — *non moralem*, quæ habetur ex sanctitate vitæ, cum plerique philosophi corruptis essent moribus, *ut ipse testatur Cicero* [2]: « Quotus enim quisque philosophorum invenitur, inquit, qui sit ita moratus, ita animo et vita constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? Qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat? etc. »

III. *Ex corruptione religionis et morum apud omnes populos, etiam cultissimos, revelatione destitutos.* Testatur experientia, gentes, etiam excultas, quæ revelatione caruerunt, ad debitam cognitionem religionis aut morum regulæ nunquam pervenisse. « Ad Deum quod attinet, *ait S. Alphonsus* [3], scimus multos tanquam Deos adorasse homines infames, adulteros, latrones et crudeles; alios, fortunam, febrim, timorem; alios, stellas, bestias, petras, imo etiam hortorum herbas. — Ad virtutem quod spectat, multi populi scelestissimas ac crudelissimas, quæ excogitari possunt, infamias patrarunt, quibus Deos placare eisque placere existimaverunt. Thraces in Dei honorem homines devoraverunt vivos; Mexicani die eadem in Deorum aris viginti millia hominum mactarunt; Carthaginienses infantes in ardentem Saturni inclusere statuam; Ægyptii eidem Saturno proprios filios immolaverunt; Spartiatæ furtum habuere licitum; alii demum populi diis suis adscripserunt furta, adulteria, homicidia, et hæc crimina ut virtutes heroicas prædicaverunt. »

[1] *De Civit. Dei*, l. IV, c. 32. — [2] *Quæst. Tuscul.*, II, 4. — [3] *Brevis diss. cont. deistas*, c. I; Cf. *Ver. fid.* P. II, c. 1, n. 4.

Sed ex hoc constanti universalique facto legitime inferimus, homines veritatibus religionis naturalis acquirendis impares esse, revelationem vero esse moraliter necessariam.

« Homo igitur, *concludit S. Alph.*[1], in medio tantarum tenebrarum constitutus, atque immoderatis, quibus ad malum impellitur, obnoxius cupiditatibus, lumine altiori, quam est lumen naturale, indiget, quo ipsi et veritates quas credere, et lex quam observare, et media quibus, salutis æternæ causa, uti debeat, manifestentur ».

Coroll. Ex dictis sequitur revelationem legis naturalis magnum esse divinæ bonitatis erga homines testimonium, cum per eam omnes expedite, firma certitudine et nullo admixto errore ea, quæ ad salutem scitu sunt maxime necessaria edoceantur; contra vero, « veritas de Deo per rationem investigata, *ut ait S. Th.*, a paucis hominibus et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum proveniret. » *(P. I, q. I, a. 1).*

61. — Objicitur I. Sapientis opificis est opus suum mediis sufficientibus instruere, quibus illud ad finem suum pertingere valeat. Sed ratio data est homini, ut veritates religiosas cognoscat, et finem suum attingat. Ergo ratio est sufficiens ad veritates religiosas cognoscendas, et superflua est revelatio.

Resp. Sapientis est opus suum mediis sufficientibus instruere: *concedo;* sed nequaquam necesse est ut omnia media, quibus opus ad finem indiget, sint ei intrinseca; sufficit ut aliqua adsint extrinseca, ita ut nulli eis uti volenti deficiant. — *Ad minorem:* sed ratio data est homini ut veritates religiosas cognoscat: *distinguo:* ut per se cognoscat veritates ordinis supernaturalis et attingat finem supernaturalem, *nego;* mediante medio extrinseco, revelatione scilicet, *concedo.* — Item, ut per se cognoscat veritates religiosas ordinis naturalis, potentia physica, *concedo;* potentia morali, *subdistinguo:* si ratio in primo suo vigore, in quo a Deo primitus condita erat, remansisset, *concedo;* in præsenti statu generis humani, quod per Adami prævaricationem quoad corpus et animam in deterius commutatum est, *nego.* Totus siquidem homo ob prævaricationem Adami in deterius est commutatus, obtenebratus in intellectu, et pravis illectus concupiscentiis; inde moralis necessitas revelationis supernaturalis, ut religionem naturalem expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognoscere valeat.

62. — Obj. II. Si revelatio omnibus ad salutem est necessaria, Deus eam omnibus manifestare tenetur; alioquin qui ea carent, etiam inculpabiliter, necessario perirent. Sed non omnibus manifestata est.

[1] *Ver. fid.*, P. II, c. I, n. 7.

revelatio, cum multæ gentes de Evangelio nihil unquam audierint. Ergo revelatio non est necessaria.

Resp. *Deus omnibus revelationem manifestare tenetur, distinguo:* revelationem, quæ est necessaria necessitate physica, *concedo;* quæ est necessaria necessitate morali, quæ a Deo ortum haberet, *concedo* etiam; quæ ortum habet ex culpa hominis, *nego.* Iamvero actualis hominis impossibilitas moralis ad legem naturalem perfecte cognoscendam non a Deo, sed ab homine processit, qui sese libere per Adami prævaricationem in hanc impossibilitatem dejecit. — *Sed non omnibus manifestata est revelatio,* evangelica revelatio a Christo facta, *concedo;* primæva revelatio, quæ a Deo homini ab initio mundi data est, *nego.* Hominibus enim, ut infra dicetur, primitus data est supernaturalis revelatio, qua salutem consequi possent. Quod si apud multos decursu temporis oblivione deleta est, iidem propria culpa ea carent. Nec tamen ob solam ignorantiam primævæ aut christianæ revelationis, sed propter alia sua peccata, hujusmodi infideles damnantur. Cuilibet enim infideli adulto lex naturalis quoad quædam primaria morum principia propria ratione innotescit. Quod si legem naturalem, qualem eam cognoverit, observabit infidelis, providebit ipse Deus, ut ante obitum, salutis æternæ causa, revelatio ei sufficienter manifestetur. Qui vero legem naturalem, qualem eam cognoscit, observare renuit, graviter peccat; et illud peccatum damnationis causa erit.

CAPUT IV.

DE REVELATIONIS OBLIGATIONE ATQUE INQUISITIONE.

63. — Perspecta Revelationis necessitate, de hujus obligatione inquirendum est, an scilicet homo eam amplecti, et quod consequens est, eam investigare teneatur. — Ex rationalistis eos habemus ut adversarios, qui rationem revelationi æquiparant, et cuilibet licentiam, vel solam sequendi religionem naturalem, vel amplectendi revelationem concedunt. Revelatio enim, aiunt, est donum; sed donum acceptare vel recusare cuique integrum est [1].

64. — **Prop. I.** *Unicuique gravis obligatio incumbit, revelatam, si qua existit, amplectendi religionem.*

[1] Cf. Mgr. Pie, Alloc. Syn. 7 Juill. 1855, n. XI, (T. II, p. 382. 3.ª édit.)

Philosophice *certa*, theologice *de fide*, ex Vatic. C. III: « Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatæ Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur. » Cf. etiam can. 1 ejusdem cap.

Prob. I. **Ex Script. Sacra.** Plurima sunt in S. Scripturis testimonia, quibus supernaturalis revelationis suscipiendæ obligatio omnibus imponitur. Legimus (Hebr. XI, 6): *Sine fide impossibile est placere Deo.* Sed fides ex sola revelatione hauritur. — Idem constat (Marc. XVI, 16): *Qui non crediderit, condemnabitur.* — Et B. Petrus testatur (Act. IV, 12): *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* — Hanc demum propositionem, quotquot testimonia Ecclesiæ christianæ probant necessitatem, luculenter confirmant.

II. **Ex Ratione:** 1. *Quoad obligationem suscipiendi revelationem veritatum naturalium:* Qui tenetur ad finem, tenetur ad media, sine quibus finis obtineri nequit. Atqui homo tenetur totam legem naturalem servare: ex dictis autem (n. 60) constat perfectam legis naturalis cognitionem, ac proinde observantiam, homini absque revelatione moraliter impossibilem esse. Ergo, supposita legis naturalis revelatione, homo ejus amplectendæ strictam habet obligationem.

2. *Quoad obligationem suscipiendi revelationem veritatum supernaturalium.* A. *Ex supremo Dei Dominio.* Deus, supremus omnium Dominus, sicut ex gratuita bonitate hominem in esse naturæ producere potuit, ita potest etiam ex superabundantia bonitatis finem ei assignare naturali superiorem, mediaque huic fini assequendo necessaria suppeditare; homo vero, utpote factura Dei, tenetur se semper Dei voluntati subjicere. Si igitur certo constat hominem a Deo ad finem supernaturalem fuisse elevatum, religionemque huic fini convenientem fuisse revelatam, secundum dictamen rectæ rationis homo religionem revelatam amplecti tenetur.

B. *Ex obligatione in finem ultimum tendendi.* Homo quilibet stricta obligatione tenetur salutem operari, ac proinde mediis uti, sine quibus salus est impossibilis. Sed ad salutem

non sufficit religionis naturalis observatio, ut infra dicetur; requiritur etiam supernaturalis religionis, extra quam nulla est salus, observantia. Quilibet igitur homo religionem revelatam amplecti tenetur.

65. — **Objicitur I.** Si ratio legem naturalem ignorat, ea ignorantia vel est vincibilis, vel invincibilis. Si vincibilis, ratio potest in legis cognitionem absque revelatione pervenire; si invincibilis, non tenetur homo legem observare, cum nemo culpandus sit propter id, quod invincibiliter ignorat. Revelatio igitur legis naturalis non est necessaria, nec proinde obligatoria.

Resp. 1. Etiamsi legis ignorantia foret naturaliter vincibilis, homo revelationem illius legis, quando sufficienter proponitur, acceptare adhuc teneretur: tenetur enim legis cognitionem, ut eam quam primum impleat, quam primum accipere; inquisitio autem sola ratione instituta longum ordinarie tempus expostulat.

2. Nullus est culpandus in eo quod invincibiliter ignorat, dummodo in veritate inquirenda diligentem adhibuerit curam. Qui autem revelationem cum sufficientibus motivis credibilitatis propositam accipere recusat, non amplius in invincibili, sed in affectata, quæ a culpa non excusat, ignorantia versatur.

66. — **Obj. II.** Revelatio supernaturalis est donum. Sed doni acceptandi nulla est obligatio. Ergo revelatio supernaturalis non est obligatoria. [1]

Resp. Nulla doni acceptandi est obligatio, si, qui donum offert, doni jus non habet imponendi, *concedo*; si jus illud habet, *nego*. Deus autem, cum sit supremus Dominus, ita potest sua dona creaturæ elargiri, et ea de facto ita elargitur, ut homo ea acceptare teneatur, nec possit ea detrectare, quin gravem Deo irroget injuriam, ejusque indignationem incurrat. Religio igitur supernaturalis, quamvis ex parte Dei rationem doni et favoris habeat, hominibus tamen est penitus obligatoria.

67. — **Prop. II.** *Qui in tranquilla revelatæ religionis possessione non requiescunt, eam inquirere stricte tenentur* [2].

Philosophice *certa*, theologice *fide certa*.

Dicitur in propositione *qui in tranquilla religionis possessione non requiescunt*; iis enim, qui fidem divinam seu revelatam religionem jam possident, an fides vera sit, examinare non licet, cum talis dubitatio fidem destruat. «Si quis dixerit, *inquit Vatic. c. III, can. 6,* parem

[1] Cf. Mgr. Pie, *loc. cit.* — [2] Cf. Gatti, Tr. III, c. II, § 2, concl. 5. (T. 2, p. 424).

esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint fidem, quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint, anathema sit.» Possunt tamen fideles ex amore fidei, credibilitatis motiva expendere, ut idonei fiant qui fidei suæ reddant rationem, alios ad eam adducant et adversariorum redarguant cavillationes. Agitur ergo de illis, qui veram religionem nondum possident, et quibus aliqua religio, quæ se revelatam dicit, annuntiatur: his profecto talem religionem a priori rejicere non licet, et eam positive examinare tenentur.

Prob. **Ex Ratione.** 1. Enuntiata veritas tanquam corollarium fluit ex propositione præcedente. Homo, ut vidimus, strictam obligationem habet revelatam suscipiendi religionem, quæ non potest esse nisi una vera. Ex hac autem obligatione sequitur ut religio, quæ tanquam revelata proponitur, sit examinanda, ut appareat an ipsa sit ea, quæ sola est a Deo revelata et omnibus ad salutem necessaria. Non potest igitur homo quamcumque religionem revelatam a priori rejicere, sed ad eam examinandam tenetur.

2. Qui absque prævio examine propositam revelationem rejicit, injuriam Deo irrogat, et rationi contradicit. *Deo injuriam irrogat:* Supernaturalis revelatio est divinæ voluntatis manifestatio, cui omnes obsequium præstare tenentur. Qui igitur revelationem a priori rejicit, ipsam Dei voluntatem contemnit, eique debitum obsequium præstare recusat. — *Agit contra rationem: a)* recta ratio dictat supernaturalem revelationem esse possibilem, hominemque ad eam, si existit, amplectendam teneri. Quando igitur alicui revelatio proponitur ut existens, is contra rationem peccat, si absque prævio examine eam rejicit. — *b)* Eadem ratio dictat publicum quoddam factum a viris probis, ingenio perspicacissimo et scientia eximia, admissum, a nullo sapiente a priori posse negari. Atqui supernaturalis revelatio jam antiquitus per totum mundum publice diffusa, a viris eximiæ sanctitatis et scientiæ tanquam vera admittitur. Non potest igitur homo, quin rationi contradicat, talem revelationem a priori abjicere.

68. — **Objicitur I.** Obligatoria ut esse possit revelatio, requiritur ut de ejus veritate nobis certo constare possit. Atqui veritatem

revelationis, qualis nobis hodie proponitur, pro certo habere non possumus: hoc enim certo scire non possumus, nempe utrum hagiographi, qui revelationem nobis transmiserunt, decepti fuerint an deceptores, necne; utrum revelatio decursu sæculorum fuerit adulterata, necne.

Resp. Concedo majorem; nego minorem. Sicut enim, tum de veritate facti cujusdam naturalis, cujus testes non fuimus, tum de integritate narrationis, qua factum ad nos fuit transmissum, per criteria nobis certo constare potest, quippe quum alioquin tota veritas historiæ pessumdaretur: ita etiam, tum revelationis existentiam atque veritatem, tum incorruptam ipsius usque ad nos transmissionem, per criteria quædam, quæ dicuntur motiva credibilitatis, evidenter cognoscere possumus.

69. — Obj. II. Veræ religionis inquisitio est onus supra communes hominum vires. Ergo ad eam nullus tenetur. Etenim: cum una tantum possit esse vera revelatio, omnesque religiones supernam penes se esse revelationem jactitent, idcirco, ut vera a falsis revelatio discernatur, omnes religiones sunt sedulo examinandæ, ac proinde innumeræ addiscendæ sunt linguæ, innumeri perlegendi libri, immensæ peragrandæ regiones: ad quem laborem vix sufficeret longioris vitæ spatium. Sed non est credibile Deum hominem tantis voluisse oneratum laboribus. (Rousseau, *Emile,* L. IV.)

Resp. Ad veram revelationem inquirendam necesse non est, ut homo tantis oneretur laboribus. Cum enim vera religio non possit esse nisi una, characteribus quibusdam necessario insignitur, quibus evidenter a falsis dignoscatur. Cognita igitur evidenter per motiva credibilitatis unius religionis veritate, aliæ a priori ut falsæ rejici debent. Qui igitur inter catholicos vitam degunt, et de veritate christianæ revelationis magnam habent præsumptionem, examen de hac religione instituere possunt; cujus veritate semel perspecta, aliæ absque examine sunt rejiciendæ. - Qui vero tali præsumptione carent, et aliarum religionum collationem cum catholica instituere coguntur, in dubio non diu remanebunt. Cum enim aliæ religiones multis erroribus necessario scateant, qui serio de eis inquirit, mox unum saltem errorem vel contra legem naturalem, vel contra Dei sanctitatem, evidenter deprehendet. Uno autem errore evidente semel reperto, illa religio ut falsa est rejicienda; siquidem vera religio, utpote a Deo data, omni errore sit immunis oportet. Ex hac igitur collatione aliquis facili negotio ad veram religionem cognoscendam deveniet[1].

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.,* P. II, c. 1, n. 10.

CAPUT V.

DE REVELATIONIS COGNOSCIBILITATE, SEU DE NOTIS REVELATIONIS.

70. — Revelationis possibilitate atque necessitate demonstratis, unum adhuc et illud quidem maximi momenti probandum superest, an scilicet et quibusnam signis divinæ revelationis existentiam certo cognoscere possimus. Quod ut præstetur, agemus 1. de notis Revelationis in genere; 2. de quibusdam notis in specie, nimirum, de miraculis et prophetiis, quia inter notas miracula et prophetiæ primarium locum obtinent.

ARTICULUS I.

DE NOTIS REVELATIONIS IN GENERE.

71. — Definitio. — Revelationis notæ dicuntur signa quædam seu media « quibus Deus suam revelationem velut sigillis divinis cognoscibilem reddidit [1]. » — Hæc signa vocantur *notæ*, quia per illa supernaturalis revelatio nobis innotescit; vocantur *criteria*, quia per ea vera revelatio a falsis evidenter dignosci potest; vocantur etiam *motiva credibilitatis*, quia ipsa factum revelationis evidenter credibile reddunt, nosque ad credendum movent.

72. — Notarum necessitas. — Cum veram religionem unicam esse oporteat, multæque religiones sese tanquam revelatas exhibeant, revelationem suam Deus necessario sigillis suis insignire debuit, quibus eam omnes a falsis evidenter dignoscere possent. Quæ notæ nisi exstarent, dicendum foret vel omnes religiones esse Deo æque gratas, posseque hominem quamlibet pro libitu amplecti: quod summæ Sanctitati repugnat; vel Deum humano generi non satis providisse, quippe qui causa foret, cur homo veram agnoscere religionem æternamque consequi salutem non posset.

[1] Theol. Conc. Vat. Coll. Lac. VII, p. 529.

Liberum equidem Deo fuisset, veluti revelationem nonnullis immediate impertivit, ita quemlibet hominem, interiori lumine communicato veritatibusque immediate manifestatis, ad religionem, absque exteriorum signorum adminiculo adducere. Ast, posito præsenti ordine providentiæ, in quo fides ex auditu percipitur *(Rom. X, 14-17)*, ut homo rationabile possit exhibere obsequium *(Rom. XII, 1)*, homini quædam media necessario danda erant, quibus annuntiatam religionem vere a Deo esse revelatam, pro manifesto haberet. Unde ait Psaltes Regius (Ps. 92, 5): *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* [1]. Et in Vaticano, C. 3, legimus: « Ut fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque in primis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata. » — « Examen motivorum credibilitatis, *inquit etiam S. Alphonsus* [2], nobis est necessarium ut inter diversas religiones veram discernamus; et Deus ipse vult ut ratio nostra naturalis in hoc nobis inserviat, eo fine, ut, vera religione inventa, licet mysteria ab ea proposita non penetremus, tamen auxilio gratiæ ad credendum, quidquid ipsa nos docet, adducamur. Alioquin, si cæcis oculis religionem, quæ nobis proponitur, sequi vellemus, quin de ejus veritate certitudinem haberemus, quamcumque religionem, judaicam, mahumetanam, imo et idololatriam, sequi possemus. »

73. — Notarum distinctio. — Ratione *originis* notæ sunt vel intrinsecæ, vel extrinsecæ. *Intrinsecæ* sunt, quæ ex ipsa natura doctrinæ desumuntur; *extrinsecæ* sunt, quæ desumuntur vel ex persona præconis, vel ex factis supernaturalibus externis, præsertim ex miraculis et prophetiis. — Ratione *efficaciæ*, notæ sunt negativæ vel positivæ. *Negativæ* dicuntur eæ, quibus, si desint, religionis falsitas evidenter vel probabiliter demonstratur; quibus vero, si adsint, hoc tantum probatur, talem esse doctrinam ut *possit esse* revelata. — *Positivæ* dicuntur eæ, quibus aliquam doctrinam esse a Deo revelatam sive probabiliter sive evidenter demonstratur.

Notæ negativæ, quibus alicujus religionis falsitas evidenter probatur, notæ sunt intrinsecæ. Tres hujusmodi enumerantur. 1. *Doctrinæ sanctitas.* Cum revelatio a Deo, summe

[1] Cf. S. Th. *Cont. Gent.* III, c. 154; Gatti, *Instit. De Deo revel.*, c. III, a. 1, (T. 2, p. 431). — [2] *Ver. fid.* P. I, c. 1, n. 2.

sancto, oriatur, nihil continere potest quod sit obscœnum, contra mores, vel Dei sanctitati quocumque modo contrarium. — 2. *Doctrinæ cum recta ratione convenientia.* Etenim « nulla unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non potest, nec verum vero unquam contradicere. » (*Vatic. c. 4*). — 3. *Doctrinæ convenientia* tum cum seipsa, tum cum aliis veritatibus antea certe revelatis: cum idem Deus omnia revelet, nec sibi contradicere possit. Dicitur *doctrinæ* conformitas, non autem præceptorum positivorum, quæ quippe pro rerum circumstantiis variari et abrogari possunt. — Ex hisce notis evidenter probatur polytheismum, dualismum, mahumetismum, et hodiernum judaismum falsas esse religiones et prorsus rejiciendas.

2. Notæ negativæ, quæ de falsitate alicujus religionis probabile suppeditant argumentum, consistunt in absentia notarum ex parte præconis. Ex parte præconis notæ sunt probitas, sinceritas et sanctitas: quæ si desint, probabile est doctrinam ex Deo non manare, cum hujus sanctitati, eum per viros pravos et improbos sua aliis manifestare consilia, saltem generaliter loquendo, repugnet. Dixi: *probabile suppeditant argumentum*, non autem evidens, quia et impiis donum prophetiæ communicari potest, ut patet de Caipha, qui *cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* (Joan. XI, 51).

3. *Notæ positivæ*, quibus de alicujus religionis divinitate probabile suppeditatur argumentum, sunt tum notæ intrinsecæ, præsertim doctrinæ sublimitas, tum notæ extrinsecæ ex parte præconis. A) Cum experientia compertum sit, nullum ex antiquis philosophis systema doctrinæ concinnare potuisse, quin in multis erraret circa Deum, circa hominis officia erga Deum et seipsum, quin multa doceret principia absurda aut sibi contradicentia, exinde nobis inferendum est systema religiosum, quod doctrinæ sublimitate fulgeat, quod ab omni errore, ab omni contradictione, ab omni labe sit immune, magno nobis eo ipso esse probabilitatis argumento, non hominem, sed Deum illius auctorem existere. — B) Item, cum Dei sanctitatem deceat

veritates religiosas per viros probos, sinceros, sanctos, aliis revelare, eo ipso quod veritatis præco sit probus, sincerus, magnæ sanctitatis, atque paratus ad sanguinem pro testanda veritate effundendum, valde probabile est doctrinam, quam annuntiat, Deum habere auctorem.

4. *Notæ positivæ*, quibus *evidenter* et *decretorie* religionis divinitas probatur, sunt notæ extrinsecæ, ex factis supernaturalibus, speciatim ex miraculis et prophetiis desumptæ, quæ, teste Vatic. c. 3, divinæ revelationis signa sunt certissima, et omnium intelligentiæ accommodata; — de quibus, cum pro demonstratione evangelica maximi sint ponderis, specialius disserendum est.

74. — Errores. — 1. « Inter Protestantes, *aiunt Theologi Conc. Vaticani* (p. 528), multi sunt, qui rejectis criteriis ad cognoscendum et probandum factum revelationis idoneis, unice provocant ad *internam experientiam*, ad *sensum religiosum*, ad *testimonium spiritus*, ad *immediatam certitudinem fidei*. Valorem itaque aut necessitatem motivorum credibilitatis, quæ inducantur ex miraculis, prophetiis adimpletis, etc., vel omnino negant, vel ea solum admittunt tanquam subsidia quædam, si fides jam supponitur.... Jam Pseudo-reformatores verbum Dei genuinum ex *sapore* et *gustu* discernere consuerunt, ad quem finem in unoquoque homine fideli ponebant immediatum testimonium Spiritus Sancti. »

Hic autem error quam funestus sit, indicant *idem Cl. Theologi* (p. 530): « Si pro vera religione a Deo revelata nulli exstant objectivi characteres, ex quibus factum locutionis divinæ certo cognosci possit, et proinde nulla dantur motiva credibilitatis, quæ doctrinam propositam credibilem et credendam demonstrent, sed totum revocatur ad sensum quendam animi et ad internam experientiam; profecto consequens est, nullam religionem esse in se et objective magis credibilem præ altera, immo nullam credibilem esse. Adeoque reliquum est, ut secundum illam internam experientiam tot illusionibus obnoxiam, si separetur a criteriis externis divinitus dispositis, variam ac mutabilem, transire fas sit non minus a religione in se vera ad falsam, quam a falsa ad veram.»

2. Ex catholicis nonnulli reperti sunt, qui nullam veritatem religiosam, fides nisi præcesserit, ratione certo cognosci

posse autumaverint; ac proinde docuerint ex criteriis revelationis hominem non certitudinem, sed notitiam tantum probabilem de revelationis existentia habere posse; certam autem veræ religionis notitiam ex sola fide ortum habere. Quorum doctrina pluries ab Ecclesia proscripta est. *Ab Innocentio XI*, 2 Martii 1679, damnata est hæc propositio: « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus. » Et die 8 Sept. 1840, sequentes theses Bautainio subscribendæ oblatæ sunt: « Revelationis christianæ probatio ex miraculis Christi desumpta, quæ testium ocularium sensus mentesque percellebat, vim suam atque fulgorem quoad subsequentes generationes non amisit. » Et: « Ratio cum certitudine authenticitatem revelationis, Judæis per Moysen et Christianis per Jesum Christum factæ, probare valet. »

3. *Deistæ* demum et *rationalistæ* non aliud admittunt revelationis criterium, quam doctrinæ convenientiam cum ratione. Sed hoc systema quam absonum sit, ex ipsis philosophiæ principiis patet. Revelatio enim est factum; sed factum non rationibus, sed testimoniis comprobari debet. — Præterea, revelatio continere potest mysteria (n° 56). Sed cum ratio naturam mysterii penitus ignoret, ejus convenientiam cum ratione positive probare nequit.

ARTICULUS II.

DE EXTERNIS REVELATIONIS CRITERIIS.

75. — Externa revelationis criteria definiuntur: *Facta quædam sensibilia ab ipso Deo in favorem alicujus religionis producta.*

Dicitur: *facta sensibilia*, debent enim criteria ab omnibus facile apprehendi posse, et omnium intelligentiæ esse accommodata; nihil autem est omnium captui magis accommodatum, quam quod sensibus apprehendi potest; *ab ipso Deo producta*, cum criteria ad religionem supernaturalem probandam sint

instituta, ipsa sint supernaturalia oportet: etenim medium inter et finem proportio adesse debet. Si enim facta, quæ criteria dicuntur, a viribus naturæ ortum habere possent, evidenti testimonio nullatenus forent, quod Deus ipsemet doctrinam est elocutus: *in favorem alicujus religionis;* si nulla religionem inter et factum illud adesset relatio, nullam ex facto confirmationem religio accipere posset.

Facta externa, quibus religionis divinitas invictissime probatur, plura enumerantur: primum locum obtinent miracula, secundum prophetiæ, tertium alia quædam facta, quæ dicuntur miracula in ordine morali. De quibus seorsim est agendum.

§ 1. *De Miraculis* [1].

76. — Definitio. — Miraculum, ab admiratione dictum, definiri potest: *Effectus sensibilis supra virtutem naturæ creatæ atque præter consuetum ordinem naturæ divinitus productus.* Dicitur *effectus sensibilis*, quod sive per se sive per accidens sensibus apprehenditur. *Supra virtutem naturæ creatæ* visibilis et invisibilis. Multa enim Angeli tam boni quam mali operari possunt mira et prodigiosa, quæ quoad nos sunt miracula [2], in se tamen miracula dici nequeunt, cum creatam virtutem angelicam non superent. *Et præter consuetum ordinem naturæ;* factum, quod miraculum dicitur, *insolitum* esse debet, non quo raro evenit, sed quia ejus productio non est aliquid consuetum in ordine naturæ; ita, v. gr., animæ creatio in generatione humana, quamvis omnem creatam virtutem excedat, miraculum tamen dici nequit; contra, si quotidie mortui resurgerent, vel cœci illuminarentur, hoc miraculum esset [3]. — *Divinitus productus:* quæ verba auctorem miraculi, qui non est alius atque solus Deus, commonstrant. « Miracula.

[1] Cf. S. Th. P. I, q. CV, a. 6, 7, 8; q. CX, a. 2, 3, 4; *Cont. Gent.*, l. III, 98-104; *De Pot.*, q. VI; Bened. XIV. *De Serv. Dei beatif.*, l. IV; Gatti, t. II, p. 474. — [2] Cf. S. Th., q. CX, a. 4. — [3] Cf. Bened. XIV, l. IV, c. 1, n. 5; S. Th. II *Sent.* D. XVIII, q. I, a. 3, ad 2; *De Pot.*, q. VI, a. 2.

ait S. Alphonsus [1], sola divina virtute produci possunt. Essentia enim miraculi in hoc posita est, ut vires naturæ superet; unde et illum solum, qui est supra naturam, tanquam auctorem habere potest. » Integrum tamen est Deo, sive immediate, sive angelis et hominibus, more instrumentorum ad patranda miracula assumptorum, mediantibus, miracula operari [2]. — Ad miraculum igitur duæ conditiones essentialiter requiruntur, videlicet: ut opus sit a solo Deo sive immediate sive mediate productum; ut fiat præter consuetum cursum naturæ.

77. — Divisio. — Miraculum est effectus et præter consuetum ordinem naturæ, et supra facultates causarum naturalium. Hinc enascitur miraculorum divisio.

1. *Ratione ordinis communiter servati*, miracula dividuntur in miracula supra naturam, contra naturam, et præter naturam [3].

« *Supra naturam, ait Bened. XIV* [4], ea dicuntur esse miracula in quibus vel forma inducitur a Deo, quæ a natura induci non posset, vel, si induci posset a natura, in eo tamen statu induci non posset. Natura quippe potest vitam producere, sed in mortuo non potest. » — « *Contra naturam* ea sunt miracula, cum in natura remanet contraria dispositio effectibus, quos Deus facit; » v. gr., quod sol ad orationem Josue in medio cœli stetit immotus unius diei spatio. — « *Præter naturam* illa sunt, quæ natura producere posset, sed non illo modo, quo a Deo effectus producuntur; » v. gr., subitanea morbi curatio absque medicamentis.

2. *Ratione modi, quo facultatem naturæ excedunt*, miracula dividuntur in tres gradus, scilicet in miracula quoad substantiam, quoad subjectum et quoad modum.

« Dicitur aliquid miraculum per comparationem ad facultatem naturæ, quam excedit, *ait S. Th.* [5]. Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter: uno modo quantum ad

[1] *Evid. fidei*, c. 6; Cf. *Consid. de ver. rev.* c. I, n. 18. — [2] Cf. S. Th. *De Pot.*, q. VI, a. 4; Zigliara, *Præpæd.*, l. I, c. 22. — [3] S. Th. II *Sent.*, D. XVIII, q. I, a. 3. — [4] Loc. cit. c. I, n. 9-11. — [5] P. I, q. 105, a. 8; Cf. *Cont. Gent.*, l. III, c. 101.

substantiam facti, sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat... quod nullo modo natura facere potest; et ista tenent summum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad id quod fit, sed quantum ad id in quo fit, sicut resuscitatio mortuorum, et illuminatio cæcorum. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; et potest præstare visum, sed non cæco; et hæc tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ quantum ad modum et ordinem faciendi; sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione et consueto ordine naturæ in talibus..., et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis. »

78. — Nomina. — Miracula in sacris Litteris vocantur *prodigia* et *portenta (Hebr. II, 4. — Act. II, 43)*, ob effectum extraordinarium et insolitum; *signa (Act. V, 12)*, quia Dei agentis præsentiam significant, et testimonium reddunt de doctrinæ veritate vel de præconis divina missione. Unde et Judæi a Christo Domino petierunt *(Joan. II, 18)*: *Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? — Virtutes, opera, operationes Dei (Matth. XI, 21 — Joan. XV, 24)*, quia a solo Deo produci possunt, et ejus omnipotentiam nobis optime manifestant.

79. — Errores. — Rationalistæ, qui omnem supernaturalem Dei influxum in mundum negant, vera miracula dari inficiantur, et omnia facta prodigiosa, quæ in S. Scripturis referuntur, causis naturalibus nobis adhuc occultis producta fuisse dicunt; vel ea inter fabulas et mythos relegunt. Miraculis tamen alii aliter adversantur. Alii, ducibus Spinosa et Voltaire, ea innixi ratione quod leges naturæ sint omnino immutabiles, miraculi possibilitatem prorsus negant; alii, ducibus Rousseau et Renan, modo miraculorum possibilitatem negant; modo concedunt ea esse possibilia, ast contendunt ea a nobis nunquam certo cognosci, nec proinde tamquam veritatis argumentum adferri posse.

80. — Prop. I. *Miracula sunt possibilia.*

Philosophice *certa;* theologice *de fide*, ex Vatic., C. III, can. 4: « Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse... anathema sit. »

Prob. I. **Ex Scriptura Sacra.** Centies ex Scripturis S. constat Christum Dominum, Apostolos, aliosque viros sanctitate perspicuos miracula patrasse. Sed ex facto cognoscitur rei possibilitas.

II. **Ex Ratione.** Nulla, nec ex parte legum, quibus regitur ordo mundi physicus, nec ex parte Dei, repugnantia, quominus fiant miracula, assignari potest. Ergo miracula sunt possibilia.

Prob. antec. 1. *Nulla est repugnantia ex parte legum:* Cum miraculum sit legis derogatio, si ex parte legum aliqua adesset repugnantia, hæc solum adesse posset quia leges naturæ forent necessariæ, ac proinde immutabiles. Atqui leges, quibus creaturæ inter se ordinantur et una ab altera regitur, non sunt absolute necessariæ, *neque necessitate antecedente*, vi cujus Deus necessitatus esset ad illas stabiliendas; *neque necessitate consequente*, ita ut leges simul statutas ipse Deus omnino servare teneatur.

a) In physicis naturæ legibus non datur necessitas antecedens. Deus, sicut liberrima voluntate mundum condidit, ita liberrima voluntate ei leges adscripsit, quibus res mundanæ inter se ordinari deberent. Cum enim leges ordinis physici non ad rerum essentias, sed ad earum operationes et ad mutuam ordinationem creaturarum inter se, pertineant, ipsis potuisset Deus, salva rerum essentia, alias leges attribuere aliamque inter creaturas excogitare mutuam ordinationem; sic, v. gr., potuisset Deus alium instituere motum planetarum circa solem. Ergo ordo physicus non est necessarius necessitate antecedenti.

b) Nec datur necessitas consequens: ita scilicet ut, ordine semel posito, ipse in nullo casu pati possit derogationem. Lex enim, quæ a legislatore libere lata est, ejusmodi est, quæ semper abrogari, suspendi, modificari possit, vel cui fieri possit derogatio ab eo, qui eam tulit, licet non ab iis, qui legi subjiciuntur: « Deus, *ait S. Th.*, potest facere præter ordinem rerum, quia ordini secundarum causarum ipse non est subjectus, sed talis ordo ei subjicitur quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturæ, sed per liberum arbitrium. Potuisset enim et alium ordinem rerum instituere. Unde et potest præter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit » *(P. I, q. CV, a. 6)*. Non datur ergo necessitas consequens.

2. *Nulla est repugnantia ex parte Dei.* Si ex parte Dei adesset aliqua repugnantia, hæc oriretur vel quia in Deo non

datur potentia operandi miracula, vel quia legis derogatio alicui divino attributo adversaretur. Atqui in Deo est potentia operandi miracula; et legis derogatio nulli adversatur divino attributo. Ergo nulla adest repugnantia ex parte Dei.

Prob. minor: A. *In Deo datur potentia operandi miracula.* Miracula alia sunt supra naturam, alia contra naturam, alia præter naturam. Hæc autem omnia Deus facere potest: *a)* quæ sunt supra naturam a Deo fieri possunt: cum enim Deus infinitæ sit virtutis, multa operari potest, ad quæ virtus finita creaturæ non pertingit. — *b)* Quæ sunt contra naturam a Deo fieri possunt, et quidem dupliciter: vel quod causis secundis suum concursum subtrahit, vel quod earum virtutem activam vi majori elidit. Causa creata agere non potest nisi virtute divini concursus, qui vim creatam conservat et movet; potest autem Deus cooperationem suam subtrahere, qua cessante, creatura operari nequit. — Præterea, ut causa agens formam inducat in patiens, debet patientis resistentiam superare: potest autem Deus, qui patienti virtutem tribuit, ejus virtutem ita augere, ut ab agente nihil patiatur; sic v. gr. tres pueri in camino ignis illæsi remanserunt, vel quia Deus igni suam subtraxit cooperationem, vel quia puerorum corporibus majorem vim resistendi tribuit. — *c)* Quæ sunt præter naturam a Deo fieri possunt: Causæ secundæ totam suam vim activam a Deo accipiunt; quidquid igitur causa secunda virtute a Deo participata producere potest, hoc a fortiori ipsa Dei virtus non participata immediate operari potest; v. gr., restituere sanitatem subito absque medicamentis.

B. *Legum derogatio nulli adversatur divino attributo. a) Non immutabilitati aut scientiæ divinæ:* Operando enim aliqua præter consuetum naturæ cursum « Deus, *ait S. Th.*, non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab æterno prævidit et voluit se facturum quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in æterna sua voluntate quod præter cursum istum quandoque facturus erat. » *(De Pot. q. VI, a. 1, ad 6).* — *Non divinæ sapientiæ:* Deus enim miracula operatur non quidem ad imperfectionem legum emendandam, sed ad altiorem finem,

scilicet vel ad manifestandam hominibus suam potentiam,[1] vel ad religionis revelatæ veritatem declarandam, vel ad sanctitatem alicujus hominis manifestandam.[2]

III. **Ex consensu gentium,** quæ ubique terrarum diis suis facta quædam adscripserunt, ad quæ vis naturæ sese nullatenus extendere potest.

81. — Objicitur I. Miraculum est ordinis perturbatio; atqui divinam sapientiam ordinem mundanum perturbare, repugnat. Ergo miraculum non est possibile. *(Ita Larroque, Renan.*[3]*).*

Resp. Miraculum est ordinis perturbatio, *nego;* est derogatio ordinis in casu quodam particulari, *concedo.* — « Deus faciendo præter cursum naturæ, *inquit S. Th.,* non removet totum ordinem universi, in quo consistit bonum ipsius; sed ordinem alicujus particularis causæ ad suum effectum. » *(De Pot., Q. VI, a. 1, ad 7.)* Sed si derogatur in casu particulari propter bonum superioris ordinis, tunc nullatenus adest ordinis perturbatio, neque est aliquid divinæ sapientiæ repugnans.

82. — Obj. II. Si ordinis naturalis derogatio fieri posset, incertus redderetur ordo physicus; et scientiæ naturales, quæ mundum legibus immutabilibus regi ponunt, funditus everterentur. Impossibile igitur est miraculum. (Renan.)

Resp. 1. Incertus redderetur ordo physicus, si miracula omnino frequenter fierent et ordini universali derogarent; vel iis fierent in circumstantiis, in quibus extraordinaria Dei interventio dignosci non posset. Ex miraculo autem, quod raro fit, et ordini tantum causæ alicujus particularis derogat, et in quo Dei interventio clare manifestatur, nullus pro ordine naturali sequitur certitudinis defectus. Ex hoc, v. gr., quod flamma tres pueros in camino ignis non combussit, nullatenus dubitare nobis licet, quin ignis virtutem uredi habeat.

2. Scientiæ naturales ponunt mundum legibus immutabilibus regi, quæ scilicet a nulla causa secunda immutari possunt, vel quas Deus ob sapientiæ suæ decreta universaliter non immutat, *concedo;* quas Deus in casu quodam particulari ob altiorem finem immutare nequit, *nego.* Ipsa enim scientia, si vera est, ponit mundum legibus a Deo libere latis gubernari; ac proinde Deum, sicut potuit leges libere dare, ita etiam eisdem in casu particulari posse derogare. Neque vero hac in re scientiæ naturales aliquid capiunt detrimenti; sicut, v. gr., ex eo quod, orante aliquo sancto, lapis in aere suspenditur, aut aquas supernatat, nulla ideo generalibus de gravitate corporum legibus injuria infertur.

[1] *Cont. Gent.*, l. III, c. 99, in fine; *De Pot.*, q. VI, a. 1, ad 4. — [2] II. II, q. 178, a. 2; et P. III, q. 43, a. 1. — [3] *Pro object.*, cf. Gatti, t. II, p. 480; Lambrecht, *Demonstr. christ.*, p. 184.

83. — Obj. III. Sicut ordo moralis, ita ordo physicus a Deo oritur. Sed Deus, ut qui peccatum committere non possit, contra ordinem moralem nihil facere potest; ergo nec contra ordinem physicum.

Resp. Negatur paritas. Per ordinem enim moralem creatura ordinatur in ipsum Deum; non potest autem Deus facere, ne creatura ad seipsum ordinetur; sic v. gr., non potest Deus facere, ne homo ad aliquem cultum erga Deum teneatur. Per ordinem autem physicum una creatura ordinatur ad alteram; unde potest Deus propter bonum superioris ordinis contra ordinem inferiorum causarum agere, v. gr., impedire ignem ne aliud corpus comburat; qua in re profecto consistit ratio miraculi.

84. — Prop. II. *Aliqua miracula certo cognosci possunt.*

Philosophice *certa;* theologice *de fide*, ex Vatic. C. III, can. 4: « Si quis dixerit... miracula certo cognosci nunquam posse, **anathema sit.** »

Dicitur in propositione *aliqua miracula*, non enim contendimus miracula omnia certo semper cognosci posse; sed dicimus aliqua saltem miracula, præsertim ea, quæ fiunt in confirmationem religionis, nobis certo innotescere posse.

Prob. I. **Ex Script. Sacra.** Christus, ut missionis et doctrinæ suæ divinitatem confirmaret, ad miracula sua semper provocavit: si autem miracula, in quantum miracula, ab aliis cognosci non possent, Christus ad ea nullatenus provocare potuisset.

II. **Ex Ratione.** In miraculo, ut ex ejus definitione constat, duo essentialiter inveniuntur, factum scilicet sensibile, et hujus relatio ad causam, ad Deum scilicet, a quo solo fieri potest. Atqui aliquando prorsus certi esse possumus, et factum sensibile existere, et illud a Deo fuisse productum. Ergo aliquando miraculum certo cognosci potest.

Prob. minor: A. *Certi esse possumus factum sensibile existere.* Qui testes fuerunt oculati, per sensuum testimonium, et qui non fuerunt testes, per testimonium humanum, non minorem de facto sensibili, quod ut miraculum proponitur, quam de quolibet alio facto naturali, certitudinem sibi comparare possunt: v. gr., non difficilius est videre hominem ambulantem super aquas quam super terram; non difficilius fuit vi-

dere cadaver Lazari mortui, quam cujusvis alius defuncti; vel Lazarum post suam resurrectionem redivivum, quam alium hominem vivum. Ergo de miraculo, in quantum est factum sensibile, aliquando omnino certi esse possumus.

B. *Certi esse possumus factum a Deo fuisse productum.* Aliquando certo constare potest factum aliquod sensibile Deum habere auctorem; ad hoc enim sufficit ut constet, factum illud nec viribus naturæ nec ope dæmonis produci potuisse. Atqui hæc duo constare possunt. Ergo.

Primo constare potest, *factum non esse naturæ viribus productum.* Non omnes quidem naturæ vires nobis cognitæ sunt; multorum tamen agentium particularium vires et leges cognoscimus: sic pro comperto habemus, ignem semper urere; mortuos non resurgere; organum confractum lente, non autem subito, restitui in pristinum statum; gravissimum morbum absque medicamento puncto temporis non curari; fructus terræ non multiplicari nisi naturali generatione; intellectum creatum futura libera non prænoscere; materiam esse intelligentia et voluntate orbatam, et alia id genus. Quando igitur videmus aliquem in igne non lædi flamma, vel membrum confractum subito restitui, vel mortuum resurgere, et alia id genus, hos effectus non ab agente naturali, sed ab altiori causa processisse, certo judicare possumus.

Secundo, *aliquando certo constare potest factum sensibile non esse ope dæmonis productum.* Si agitur de miraculis quoad substantiam et subjectum, v. gr., de corporum penetratione, de mortui resurrectione, de restitutione alicujus organi omnino deperditi, miraculum a Deo fuisse patratum, exploratum nobis est; dæmones enim per solam virium naturalium applicationem, non autem per novarum formarum infusionem, aut novarum virium additionem, opera prodigiosa efficere possunt; ex quo sequitur ut, quæ vires naturales sive quoad substantiam sive quoad subjectum superent, ea ope dæmonum nunquam effici valeant.

Si agitur de miraculis quoad modum, cum diabolus multa, quæ cum miraculis confundi possunt, viribus naturalibus peragere possit, major inde difficultas oritur. Quod ubi evenit,

si judicare velimus, utrum factum miraculosum Deum an dæmonem habeat auctorem, tunc sequentium regularum rationem nos habere oportet.

85. — **Regulæ** in discernendis miraculis servandæ bifariam dividuntur: aliæ sunt negativæ, quæ probant factum miraculosum a Deo non emanare: aliæ positivæ, quæ probant miracula Deum habere auctorem.

Regulæ negativæ quatuor enumerantur:

1. Miraculum, quod aliis splendidioribus illiditur, ut falsum et diabolicum habendum est: Deus enim secum non pugnat.

2. Miraculum, quod sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum, sive ratione doctrinæ in cujus gratiam editum est, aliquid obsceni, ridiculi, superstitiosi complectitur, ut falsum et diabolicum habendum est: istiusmodi enim miraculum est Deo indignum.

3. Si miraculum, præterquam si quis malus sit puniendus, hominis in detrimentum cedit, ut falsum et diabolicum, vel saltem valde suspectum habendum est: Deus enim creaturam suam inutiliter non torquet.

4. Si miraculum ab improbis efficitur, ut suspectum habendum est. Licet enim Deus, ad veram religionem confirmandam, miracula per improbos peragere valeat, ejus tamen sanctitatem, frequenter id fieri, non decet [1].

Regulæ positivæ tres enumerantur:

1. Si miraculum efficitur, quod multo ante fuit prædictum, aut aliis subsequentibus miraculis confirmatum, Deo certo attribui debet.

2. Si miraculum cedit in hominis utilitatem, censeri potest ut a Deo effectum: misericordiæ enim divinæ opem ferre miseris, maxime convenit: e contra diaboli, hominibus nocumentum inferre, maxime proprium est.

3. Si miraculum editur in confirmationem doctrinæ, quæ Dei gloriam hominumque spiritualem perfectionem promovet, exinde judicari potest, Deum illius esse auctorem; diabolus

[1] Cf. S. Th. II. II. q. 178, a. 2; S. Alph. *Ver. fid.*, P. III, c. 1, n. 20.

enim, utpote cujus voluntas sit depravata, nonnisi spiritualem hominum ruinam moliri potest.

86. — Objicitur I. Ut certo scire possemus miracula existere, omnes naturæ vires compertas habere deberemus; atqui non omnes cognoscimus, cum quotidie humana industria novas, et eas quidem stupendas, vires inveniat. Ergo miraculum certo cognoscere non valemus. *(Rousseau, Renan.)*

Resp. *Nego majorem.* Ut enim cognoscamus aliqua facta certo esse miraculosa, sufficit ut aliquot causarum vires atque leges notas habeamus, ut dictum est (n. 84.) Præterea, sufficit limitem, ultra quem natura operari non possit, nobis esse cognitum; sic v. gr., quantoscumque medicina faciet progressus, nunquam eo deveniet, ut medicus mortuum jam fœtentem ad vitam revocet, vel solo nutu voluntatis os confractum subito consolidet; quantacumque etiam ars physica inveniet stupenda, nunquam tamen solem in suo cursu retardabit, vel aquæ fontem ex arida petra contactu baculi educet, vel jussu vocis annonam multiplicabit. — Ergo aliquando certo scire possumus eventus, qui miracula dicuntur, naturæ viribus produci nullatenus posse, ac proinde soli divinæ potentiæ esse adscribendos.

87. — Obj. II. Ut aliquod miraculum certo cognoscere possimus, angelorum vires cognoscere deberemus. Sed has ignoramus. Ergo.

Resp. Cognoscere debemus *positive* usquequo sese extendant Angelorum vires, nego; scire debemus *negative*, id est, quid facere nequeant Angeli viribus propriis, *concedo*. Jamvero licet, Angeli quid facere possint, positive non sciamus, certo tamen multa, quæ eorum vires omnino superant, cognoscimus. Sic, v. gr., certo scimus resurrectionem mortui, vel restitutionem membri abscissi, quæ potentiam infinitam requirunt, angelorum vires naturales omnino superare, et a solo Deo effici posse.

88. — Prop. III. *Miracula proprie dicta, divinitatis doctrinæ, cujus in gratiam fiunt, certissimum sunt argumentum.*

Philosophice *certa:* theologice *de fide*, ex Vatic. c. III, can. 4: « Si quis dixerit... miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari, A. S. »

Prob. I. **Ex Script. Sacra.** Scriptura Sacra exhibet miracula ut inconcussum argumentum ad divinam alicujus præconis missionem, vel ad ejusdem doctrinæ sanctitatem, cognoscendam. Sic, Exod. IV, 1-9, legimus Dominum Moysi potestatem miraculorum, quibus suam divinam Judæis probaret legationem, communicasse. — Christus Redemptor ad mira-

cula, quibus suam missionem et doctrinæ suæ sanctitatem probaret, sæpius provocavit: *Si non facio*, inquit, *opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite.* (Joan., X, 37, 38). — Et S. Paulus in confirmationem sui Apostolatus ad miracula etiam provocavit: *Signa tamen Apostolatus mei*, inquit, *facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus.* (II Cor., XII, 12) [1].

II. **Ex Ratione.** Metaphysice repugnat, Deum, subsistentem Veritatem, quod falsum est atque erroneum, illud ut verum approbare. Atqui si doctrina, in cujus gratiam fit miraculum, falsa esse posset, Deus doctrinam falsam ut veram approbaret: cum enim miracula proprie dicta a solo Deo tanquam a causa principali effici queant, ipsa sunt quasi sigillum divinum testificans de divina doctrinæ origine. Miraculum est igitur divinitatis doctrinæ, in cujus gratiam efficitur, **invictissimum argumentum.**

III. **Ex consensu generis humani.** Miracula, quæ in confirmationem alicujus doctrinæ efficiuntur, ab omnibus habentur ut invictissimum divinitatis ejus argumentum. Sed unanimis hominum consensus falli nequit. — Præterea, etiam præscindendo a certitudine morali hujus consensus, ipse adhuc, doctrinam miraculis comprobatam esse indubitanter veram, fateri nos cogit. Cum enim Deus probe sciat homines miracula tanquam indubitatum divinæ originis doctrinæ sigillum considerare, ipse homines, in favorem falsæ religionis si ederet miraculum, positive in errorem induceret: quod divinæ veracitati simul et bonitati omnino repugnat.

NB. Quæ dicta sunt de vi probativa miraculorum proprie dictorum, valent etiam de miraculis improprie dictis, quæ a bonis Angelis virtute sua naturali efficiuntur. Hi enim, cum Deo in omnibus sint plane subjecti, nihil in mundo, nisi jubente vel consulente Deo, operantur, ex quo fit ut eorum opera mirabilia Deo attribui possint.

89. — Objicitur I. Quælibet religio in sui confirmationem exhibet miracula. Ergo ope miraculorum vera religio a falsis evidenter dignosci nequit.

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.*, P. II, c. 3, et P. III, c. 1.

Resp. Quælibet religio in sui confirmationem exhibet miracula vera, vel supposita, aut opera diabolica, *concedo;* miracula vera, *nego.* Quæ enim a falsis religionibus in sui favorem vindicantur miracula, si probe examinantur, vel falsa et suspecta reperiuntur, et a sapientioribus istarum religionum cultoribus tanquam fabulosa habentur: vel ut opera diabolica reperiuntur [1], et ut talia ad probandam veritatem nihil valent.

90. — Obj. II. Dæmones mira et prodigiosa, quæ a nobis ut miracula haberi possunt, in favorem falsæ religionis quandoque operantur, sicuti, v. gr., facient tempore Antichristi. Ergo ex miraculis vera religio non semper dignosci potest.

Resp. « Concedimus, *ait S. Alphonsus* [2], Deum dæmonibus, præstigia ut operentur, aliquoties permittere; sic, verbi causa, magi Pharaonis præstigia operati sunt; hæc tamen vera non sunt miracula, sed illusiones, quæ veri miraculi neque subsistentiam neque durationem habent. Ast Deus nunquam permittit, ut hæc præstigia in confirmationem falsæ doctrinæ fiant, atque ideo homines ad errori contra fidem assentiendum inducantur. » Et « Deus, *addit idem S. Doctor* [3], permittere nequit ut diabolus, naturali rerum ordine in confirmationem falsæ doctrinæ immutato, ope miraculorum nos decipiat; quod si fieret, Deus ipse nos deciperet... Si dæmones in materia fidei ope miraculorum nos deciperent, deciperent sub specie divinæ interventionis, quandoquidem cura regendi et modificandi leges naturales ad providentiam Dei, qui leges tulit, spectat. »

Licet igitur ad exercitationem bonorum vel in punitionem malorum, Deus diabolo, prodigia ut hic efficiat in confirmationem falsæ doctrinæ, aliquoties permittat, a divina tamen veracitate et bonitate alienum est, ea prodigia talibus in circumstantiis effici, in quibus fraus nullatenus detegi possit. Quia igitur vera miracula a præstigiis diabolicis semper et certo secerni possunt, ideirco per vera miracula religionis divinitas certo semper dignosci potest.

91. — Obj. III. Deus etiam impiis donum miraculorum concedere potest. Sed hi eo abuti possunt ad falsam doctrinam confirmandam. Ergo miracula divinitatem alicujus doctrinæ non semper certo probant.

Resp. Majori concessa, negatur minor. Qui enim a Deo donum miraculorum accipit, eo non potest uti prout vult, sed dependenter a divina sapientia, et in casibus a Deo præordinatis. « Dominus, *inquit S. Alphonsus* [4], peccatori imo et infideli potestatem operandi miracula concedere potest; sic, v. gr., Balaam et Caiphæ Spiritum prophetiæ elargitus est. Tales enim gratiæ sunt gratiæ gratis datæ, quas

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.*, P. II, c. 14, n. 7; et P. III, c. I, n. 18. — [2] *Br. diss. cont. deistas*, c. 2, in fine. — [3] *Ver. fid.*, P. II, c. III, n. 1. — [4] *Ver. fid.*, P. III, c. 1, n. 20.

Deus pro sapientiæ suæ decretis cui vult dare potest. Sed ut optime docet S. Thomas (II, II, q. 178, a. 2, ad 3), quando impius veram fidem annuntiat et nomen Christi invocat, etiam ipse vera miracula operari potest; non autem si ea in confirmationem falsæ religionis patrare vellet. Principalis enim miraculi auctor Deus est, qui miraculum in testimonium erroris permittere nequit. »

92. — Obj. IV. Posito etiam miraculum a Deo emanare, inde tamen non liquet, hoc miraculum in specie ad doctrinam alicujus apostoli approbandam, a Deo fuisse patratum. Ergo ex miraculis alicujus apostoli, doctrinæ sanctitas probari nequit.

Resp. Non dicimus omnia indiscriminatim miracula, quæ ab aliquo apostolo fiunt, fieri directe et immediate in confirmationem doctrinæ; possunt enim etiam fieri vel ad manifestandam divinam apostoli missionem, vel ad ejus sanctitatem confirmandam. — Quem ad finem efficiantur, ex ipso thaumaturgo vel ex circumstantiis cognoscendum est. Si constat aliquod miraculum factum esse in confirmationem doctrinæ, ut pro Elia legimus III Reg., XVIII, 23, illud immediate et directe doctrinæ divinitatem probat. Si vero constat miraculum factum fuisse, vel ad divinam apostoli missionem comprobandam, vel ad ejus sanctitatem manifestandam, illud etiam saltem remote et indirecte, apostoli doctrinam comprobat. Extraordinaria enim missio homini a Deo commissa eo tantum spectare potest, ut homines ad Deum adducantur: quod fit per veram religionem; ex quo efficitur ut, approbata miraculis alicujus missione, Deus indirecte saltem ejus religionem approbet; item, manifestatio sanctitatis, cum hæc non possit haberi nisi per verum cultum Deo exhibitum, sanctitatem religionis hujus viri etiam comprobat. — Hæc experientia et populorum consensu mire confirmantur. Experientia constat, sanctos miraculorum dono conspicuos in sola religione christiana inveniri. Et si quis infidelis miraculum est operatus, talibus in circumstantiis illud tantummodo patravit, ex quibus miraculum in favorem veræ religionis fuisse editum, appareret; ut, v. gr., constat de dono prophetiæ Balaam communicato. — Ex communi etiam populorum consensu miracula, a quodam prædicatore facta, licet ad doctrinam ipsius confirmandam directe non sint patrata, tamen ut confirmatio doctrinæ habentur. Unde si Deus homini pravam doctrinam annuntianti donum miraculorum concederet, hominibus etiam prudentibus occasionem directe daret errori consentiendi, imo eos in errore confirmare dicendus foret; quod Dei sanctitati et veracitati prorsus repugnat.

Obj. V. Miracula, quæ in favorem religionis christianæ facta esse leguntur, humano nituntur testimonio. Sed nunquam omnino certi esse possumus testes non fuisse deceptos aut deceptores. Ergo ex miraculis religionis divinitas invicte probari nequit.

Resp. *Nego minorem.* Sicut enim supra vidimus (n. 84), factum miraculosum iisdem mediis cognosci potest, ac factum quodlibet na-

turale. Ac proinde per applicationem regularum criticæ certi omnino effici possumus testes eorum factorum neque fuisse deceptos, neque deceptores. Horum enim si rejiceretur auctoritas, rejicienda foret auctoritas cujuslibet testimonii humani, et omnis rueret certitudo historica.

§ 2. *De Prophetia.* [1]

93. — Prophetiæ nomen a scriptoribus tam sacris quam profanis in diversas accipitur significationes. Sumpta sensu proprio, prophetia definitur: *Prædictio certa eventus futuri, qui in causis naturalibus prævideri non potuit.* — Dicitur: *prædictio,* id est declaratio alicujus rei antequam eveniat; *certa,* ut prophetia distinguatur a conjecturis mere probabilibus, vel a prædictionibus omnino vagis, ex omni parte obscuris, vel totaliter ambiguis, qualis v. gr., fuit responsio ad Pyrrhum: « Aio te, Aeacide, Romanos vincere posse. » — *Eventus futuri, qui in causis naturalibus prævideri non potuit;* quales sunt actus a libera Dei voluntate pendentes, vel actus liberi hominum, vel facta producta concursu causarum naturalium contingentium, ut naufragium in tempestate, fames vel terræmotus multo ante eventum prædicta.

Prophetia eosdem natura est adversarios ac miraculum, et ob eamdem causam. — Explicationibus, quæ de miraculis supra traditæ sunt, præmissis, non est cur diutius in prophetia probanda immoremur: sequentia igitur breviter adnotasse sufficit.

I. *Prophetia est possibilis.* — Ex una enim parte certum est, Deum omnia futura, sive necessaria sint, sive libera, perfecte cognoscere; ex altera etiam parte certum est, Deum posse ea, quæ cognoscit, revelare. Possunt igitur homines ex divina revelatione quædam futura cognoscere, quæ naturaliter sciri nequeunt, eaque aliis nuntiare: qua in re ratio prophetiæ consistit.

II. *Auctor principalis prophetiæ solus Deus esse potest.* Ille solus futura contingentia prænuntiare potest, qui solus ea

[1] Cf. S. Th. 2. 2, q. 171 ad 174; De Malo q. 16, a. 7; *Cont. Gent.* l. III, c. 94; Gatti, t. II, p. 522; Zigliara, Propæd. l. II, c. 12.

cognoscit; sed solus Deus ea cognoscit, cujus æternitati omnia sunt præsentia. Intellectus autem creatus ea naturaliter cognoscere nequit, neque in seipsis, quia nondum existunt; neque in suis causis, quia cum illis non habent necessariam connexionem. Solus igitur Deus potest esse causa principalis prophetiæ.

Diximus causa *principalis :* quia angeli boni non raro a Deo assumuntur tanquam causae instrumentales prophetiæ. « Illuminationes et revelationes divinæ, *ait S. Th.* [1] a Deo ad homines per angelos deferuntur. Prophetica autem cognitio fit per illuminationem et revelationem divinam. Unde manifestum est quod fiat per Angelos. » Unde et Apostolus de Lege Veteri testatur quod fuit ordinata per angelos in manu mediatoris. (Gal. III, 19.) [2]

III. *Potest angelus, sive bonus sive malus, auctor esse prophetiæ improprie dictæ* [3]. — Prophetia improprie dicta est prædictio alicujus eventus futuri, quem homines naturaliter cognoscere non possunt, qui tamen vires naturales angeli non supergreditur. Angeli propter perspicacissimam suam intelligentiam, et perfectissimam virium naturalium cognitionem, atque longam suam experientiam, multa possunt in causis suis præcognoscere, sive certitudinaliter sive conjecturaliter, ad quorum notitiam homo per sua naturalia pervenire nequit. Potest igitur angelus ista homini manifestare, et ita auctor esse prophetiæ improprie dictæ.

NB. 1. Hac sua potestate, nonnisi jubente vel consulente Deo, angelus bonus utitur; nec unquam ea, quæ conjecturaliter tantum futura esse præcognoscit, tanquam certa prænuntiat.

2. Angeli mali, permittente Deo, sua quandoque utuntur potestate ad manifestandum futura, quæ præcognoscunt sive certitudinaliter sive conjecturaliter tantum, sicut constat ex auguriis, oraculis, etc.; eadem interdum uti possunt potestate in confirmationem erroris, dummodo ne media ad dignoscendam prophetiæ falsitatem desiderentur.

[1] II. II, q. 172, a. 2. — [2] Cf. S. Th. I. II, q. 98, a. 3. — [3] Cf. S. Th. II. II, q. 172, a. 5; et *Cont. Gent.*, l. III, c. 154.

Scholium: Ad falsas prophetias a divinis discernendas, sequentes regulæ servandæ sunt:

1. Suspecta habenda est prophetia, quæ ab auctore profertur improbo, vel in quo aliquid invenitur quod jactantiam, quæstum, aut quid simile sapiat. Quamvis enim Deus etiam improbis gratiam prophetiæ concedere possit,[1] ut patet de Caipha et Balaam; Dei tamen sanctitatem, sua istiusmodi hominibus secreta frequenter communicare, non decet.

2. Falsa et diabolica est prophetia, quæ miraculorum auctoritate eliditur; quæ veritati sive naturali sive revelatæ aperte opponitur; vel quæ, si data fuerit absolute, effectu non completur.[2]

3. Divina habenda est prophetia, vel quam confirmant miracula; vel quæ eventus prænuntiat a solius Dei aut alicujus ignoti hominis voluntate pendentes, et effectu completur; vel quæ eventus valde remotos absolute, clare, et determinate quoad tempus et locum prædicit, et effectu completur. Cum enim horum futurorum clara cognitio a solo Deo impertiri possit, eorumdem prædictio in solum Deum referri potest.

IV. *Prophetia certo cognosci potest.* Constare potest, vel sensuum experimento vel aliorum testimonio, aliquod factum fuisse prænuntiatum, et postea eventu fuisse completum. — Non minori etiam certitudine constare potest, sive ex eventus natura, sive ex ejus circumstantiis, prævisionem eventus neque causis naturalibus, neque operatione diabolica homini innotescere potuisse, sed a solo Deo fuisse communicatam.

V. *Prophetiæ, divinitatis doctrinæ, cujus in gratiam proferuntur, certissimum sunt argumentum.* Prophetiæ, non secus ac miracula, Deum habent auctorem; ac proinde omnino repugnat eas in testimonium alicujus falsæ doctrinæ proferri posse. Qua de causa ipse Christus, ut divinitatem suæ missionis probaret, ad prophetiam provocavit, sicut legimus (Joan. XIII, 19): *Amodo dico vobis, priusquam fiat; ut quum factum fuerit, credatis quia ego sum.* Ergo quotiescumque, sive ex ipsa prophetia, sive ex circumstantiis, sive ex declaratione pro-

[1] II. II, q. 172, a. 4, et a. 6, ad 1 et 2. — [2] II. II, q. 172, a. 5, ad 3.

phetæ constat, veram prophetiam in gratiam alicujus doctrinæ editam fuisse, irrefutabile nobis præsto est ejusdem divinitatis argumentum.

§ 3. *De factis divinis a miraculo et prophetia distinctis.*

94. — Præter miracula et prophetias, nos alia etiam præ manu habere divina facta, quibus christianæ religionis divinitatem invicte probemus, testatur Vaticanum, in Const. *Dei Filius*, C. III. Hæc facta, quæ miracula ordinis moralis vulgo dici solent, consistunt in eventibus quibusdam extraordinariis, qui, licet physice non sint prorsus impossibiles, habita tamen ratione hominum naturæ atque inclinationis, necnon et naturalis rerum humanarum cursus, absque speciali Dei assistentia produci non potuissent.

Hujusmodi facta quatuor præcipua enumerantur.

Primum consistit *in celerrima religionis propagatione.* A consueto rerum humanarum cursu prorsus alienum est, aliquam religionem, et quæ humanis adversetur cupiditatibus, et contra quam insurgant totius mundi principes, mediis prorsus imparibus brevissimo tempore per totum orbem terrarum propagari.

Secundum factum consistit *in religionis firma stabilitate.* A consueto rerum humanarum cursu prorsus alienum est, aliquam religionem, et contra quam semper insurgant mundi potestates, et contra quam perenniter sævissimæ moveantur persecutiones, absque armis opibusque humanis stabilem semper permanere.

Tertium factum consistit *in martyrum constantia.* Quod unus alterve homo pro doctrina, quam veram æstimat, supplicia perferat mortemque subeat, illud absque speciali Dei assistentia, sive ex naturali amore scientiæ, sive ex obstinata voluntatis pertinacia, evenire potest. Sed quod maxima multitudo tam doctorum quam rudium, tam nobilium quam plebeiorum, pro aliqua religione lubenter exquisitissima sustineat supplicia sanguinemque effundat, illud supra modum humanum est, et specialem requirit Dei assistentiam.

Quartum factum consistit *in mirabilibus effectibus*, quos religio producit in mundo. Quod aliqua religio, tam apud gentes excultas quam apud barbaras, mores emendet, vitia exstirpet, uberrimosque producat virtutum et sanctitatis fructus, illud supra modum humanum est, et nonnisi a Dei omnipotentis auxilio procedere potest.

Conclusio: Si qua igitur in religione unum ex his quatuor factis reperimus, firmissimum præ manu habemus argumentum ipsam divinitus esse datam; in ea vero si quatuor simul prædicta facta reperimus, invictissimum et absolutissimum nobis præsto est argumentum, ipsam nonnisi a Deo dari potuisse. — Si præterea hæc eadem religio splendidissimis confirmatur miraculis, et solemnioribus corroboratur prophetiis, tam evidens redditur ejus divinitas, ut dementissimum sit vel minime de ea dubitare.

PARS III.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

95. — Posteaquam in secunda hujusce tractatus parte revelationis possibilitatem et necessitatem fuimus scrutati, criteriaque, quibus vera religio a falsis evidenter dignosci possit, indicavimus; postulat rerum ordo, ut ope prædictorum criteriorum jam inquiramus quænam ex religionibus, quæ se revelatas dicunt, revera sit a Deo revelata, ac proinde omnibus obligatoria. Quod ut præstemus, necesse non est ut omnibus religionibus, quæ se revelatas jactitant, prædicta applicemus criteria; satis est eam nos examinare religionem, christianam scilicet, quæ per totum orbem terrarum diffusa, splendidiori modo præ cæteris divinitatis signis effulget; cujus semel probata divina origine, reliquæ omnes, cum una tantum esse possit vera religio, absque examine dimitti possunt. De sola igitur religione christiana loquemur; alias vero in fine tractatus breviter attingemus, ut ex harum pravitate atque inanitate sanctitas nostræ religionis atque divina ejus origo splendidiores appareant.

In hac nostra de religione christiana disputatione, religio duplicem in modum considerari potest, sive directe in se, qualis est nobis a Christo proposita; sive in sua præparatione, in quantum scilicet fuit in Veteri Testamento prænuntiata et præparata, atque in revelationibus ante Christi adventum a Deo factis seminaliter data. Ad plenioremreligionis intelligentiam, eam sub utroque respectu considerabimus. — Præterea, cum revelatio sit factum, et factum quodlibet non argumentis metaphysicis, sed argumentis ex auctoritate humana desumptis, probari debeat, eorum etiam librorum vindicanda est auctoritas, in quibus revelationis factum præcipue continetur. Tria igitur in hac tertia parte tractanda occurrunt:

1. Probanda est auctoritas librorum Vet. et Nov. Testamenti.

2. Demonstrandum est divinam fuisse religionem christianam in sua præparatione.

3. Demonstrandum est divinam esse religionem christianam in se consideratam.

His adjicietur appendix de aliarum religionum inanitate.

CAPUT I.

DE AUCTORITATE LIBRORUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

96. — Prænotanda. — 1. Dissertatio de auctoritate librorum Vet. et Novi Testamenti, ut quæ ad disciplinas biblicas pertineat, in hermeneutica tractari solet. Eam igitur in theologia fundamentali notam supponere atque ex integro prætermittere possemus. Attamen, cum accidere possit ut theologiæ candidati biblicis studiis operam nondum dederint, de auctoritate horum librorum, remissis ad scholas scripturisticas longioribus de hoc argumento disputationibus, eorum in gratiam breviter disseremus.

2. Duplex agnoscitur sacrorum librorum auctoritas: *divina*, quam a Dei testimonio mutuantur; et *humana*, qua gaudent sicut alii libri humana arte conscripti, qui ex regulis criticis genuini et integri reperiuntur. Hoc equidem in capite solam auctoritatem humanam seu historicam sacris libris vindicare intendimus.

3. Liber quidam historica ut valeat auctoritate, hunc esse authenticum vel saltem genuinum, integrum et veracem, necesse est. Liber dicitur *authenticus*, si ab illo auctore, cui attribuitur, conscriptus est; dicitur *genuinus* quando, licet ejus auctor ignoretur, scriptus tamen est eo tempore iisque circumstantiis, quibus tribuitur, eademque pollet auctoritate ac si ejus auctor esset cognitus. Sic v. gr., ignoratur auctor plurium Vet. Test. librorum, qui tamen divina et humana pollent auctoritate. Liber vero si fuit conscriptus, vel ab alio auctore, quam ab eo cui attribuitur, vel posteriori tempore et aliis in circumstantiis, quam in iis quibus prodiisse fertur, tunc dicitur

suppositus. — Liber dicitur *integer*, cui nihil additum nec demptum est. Si libro quædam fuerunt addita, dicitur *interpolatus;* si ab eo quædam sunt dempta, vel quædam in eo mutata, dicitur *corruptus.* Corruptio libri potest esse accidentalis vel substantialis; substantialis corruptio auctoritatem libri tollit: accidentalis eam intactam relinquit. — *Verax* dicitur liber cujus auctor est fide dignus, quia facta, quæ refert, certo cognovit, et sincere enarravit.

4. Cum Scriptura Sacra sit revelationis fons præcipuus, deistæ et rationalistæ nihil intentatum relinquunt, ut eam omni auctoritate exspolient; deficiente enim Scripturæ auctoritate, maxima ex parte ruit religionis christianæ fundamentum. In primis vero sua arma in Pentateuchum vertunt, ac eo usque progrediuntur, ut ipsissimam Moysis, Pentateuchi auctoris, existentiam negent; cum enim Pentateuchus sit aliorum librorum sacrorum principium ac veluti fundamentum, eo sublato, aliorum librorum auctoritas facilius pessumdari posset.

Agendum est igitur:

1. De auctoritate Pentateuchi
2. De auctoritate aliorum librorum V. T.
3. De auctoritate librorum N. T.

ARTICULUS I.

DE AUCTORITATE PENTATEUCHI.[1]

97. — Pentateuchi authenticitatem primi negaverunt *Spinosa et Hobbes*, deinde *Voltaire* cum deistis elapsi sæculi; ipsam negant recentiores rationalistæ omnes. Ex his, alii affirmant Pentateuchum fuisse ex parte a Moyse conscriptum; alii vero eum ex toto alteri cuidam ignoto auctori adscribunt. Sunt qui Pentateuchum indigestam antea scriptarum memoriarum compilationem esse dicunt; alii ipsum ab Helcia ante captivitatem, vel ab Esdra post captivitatem babylonicam exaratum fuisse docent. — Hi omnes non solam Pentateuchi authenticitatem, sed ejus etiam integritatem inficiantur.

Ad veracitatem Pentateuchi quod attinet, rationalistæ sæculi præteriti eam directe impugnarunt, et Pentateuchi auctorem vel auctores

[1] Cfr. S. Alph. *Ver. fid.*, P. II, c. 2; Gatti, II, p. 560; Knoll, *Theol. gen.* § 75.

de mendacio arguerunt. Recentiores vero, inter quos eminent Rosenmuller, Straus, Renan, Littré, non dicunt equidem auctorem vel auctores ejus mentitos esse; sed facta ab eis enarrata inter mythos recensent. Mythus, seu fabula, est alicujus facti, aut status, aut ideæ descriptio symbolica, ficto nimirum involucro historico et plerumque portentosis figmentis vestita; cujusmodi mythi, v. gr., occurrunt in historiis, quas gentiles de diis suis aut de origine suæ nationis excogitarunt.

Triplicem mythum in libris Pentateuchi distinguunt rationalistæ: historicum, philosophicum et mixtum. *Historicus* est narratio alicujus facti veri, sed imaginariis et fabulosis circumstantiis aucta et ornata; quales sunt traditiones de ætate aurea et ferrea. Tales, juxta rationalistas, sunt apparitiones Dei et Angelorum, Abrahami sacrificium, vocatio Moysis, legis promulgatio in monte Sinai. — *Philosophicus* est, cujus objectum est doctrina vel idea philosophica proposita modo concreto tanquam factum historicum; tales, juxta rationalistas, sunt descriptio formationis terræ, lapsus primi hominis ejusque ejectio e paradiso. — *Mixtus* est narratio, quæ factum historicum fabulosis circumstantiis auctum, et ideam simul philosophicam ut factum concretum continet: tales, aiunt rationalistæ, sunt historia diluvii, confusio linguarum.

98. — Prop. I. *Pentateuchus est authenticus.*

Historice *certa:* theologice *certa* ex principiis fidei clare deducta.

Prob. Ab omnibus authenticus habetur liber, in quo auctoris nomen pluries affirmatur; quem constans universalisque traditio eidem adscribit auctori; qui omnia præ se fert authenticitatis signa; cujus demum suppositio fuisset prorsus impossibilis. Atqui hæc omnia in Pentateucho reperiuntur. Ergo Pentateuchus est authenticus.

Probatur minor per partes:

I. In Pentateucho Moyses pluries affirmatur esse hujus libri auctor. Legimus (Exod. XXIV, 4): *Scripsit Moyses universos sermones Domini;* et (cap. XXXIV, 27): *Dixit Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israel pepigi fœdus.* — (Deuter. XXXI, 9, 24): *Scripsit itaque Moyses legem hanc.... Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit, præcepit levitis, etc.*

II. *Constans et universalis gentis judaicæ traditio Moysen Pentateuchi auctorem agnoscit;* sicut constat ex aliis libris ca-

nonicis Vet. Test., in quibus legem per Moysen datam esse sæpius affirmatur; [1] ex scriptis doctorum hebræorum, qui ante et post Christum natum vixerunt, et ex consensu hodiernæ synagogæ. — Judaicam traditionem confirmat traditio Samaritanorum, qui Moysen ut Pentateuchi auctorem agnoverunt; ipsam corroborat traditio christiana: omnes S. Patres et ecclesiastici scriptores et omnes fideles Moysen ut auctorem Pentateuchi habent. Testatur ipse Christus Moysen de se scripsisse (Joan. V, 46): *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit.* Et Joannes ait quod *Lex per Moysen data est.* (I, 17). — Cui traditioni suffragatur testimonium historicorum profanorum Ægypti, Græciæ, Romæ; imo et antiquiores hæretici authenticitatem Pentateuchi ut rem extra omnem controversiam habuerunt. — Jamvero si constans universalisque fama sufficit, ut Homerus Iliadis, Virgilius Eneidos auctor agnoscatur, quid causæ est cur de solo Pentateucho nihili facienda esset traditio longe splendidior?

III. *Adsunt in Pentateucho intrinseca authenticitatis signa*, quæ ex stylo præsertim et argumento desumuntur. Stylus maximam denotat antiquitatem; narrationes vero exactam præ se ferunt rerum ægyptiacarum notitiam; inde eruitur auctorem apud Ægyptios vitam egisse; leges multæ, quæ vagantem vitam in deserto indicant, præscribuntur; nullum invenitur vestigium rei, quæ post Moysis tempora evenerit; etc.

IV. *Suppositio fuit impossibilis.* — 1. Pentateuchus est Judæorum codex religiosus et civilis, in quo judiciales et cæremoniales, durissimum imponentes jugum, leges edicuntur; suaque Judæis crimina sæpissime exprobrantur. Atqui fieri non potest, ut impostor, perpensis humanæ naturæ conditionibus, universum populum eo adducat, ut existimet talem librum, utpote genti a Moyse jam antiquitus traditum, sibimet acceptandum esse atque servandum.

2. Non potest indicari tempus, quo talis suppositio fieri potuisset. Non potuit fieri post separationem decem tribuum:

[1] Cf. Josue, I, 8; VIII, 31, 32; Judic. III, 4; III Reg. II, 3; II Paral. XXIII, 18; Baruch, II, 2; Dan. IX, 11, etc.

debuisset enim Israel cum Juda de suppositione amice consentire; quod propter eorum perennem inimicitiam absolute dici nequit; nec ante separationem fieri potuit suppositio, quia Moysis memoria tum erat recentior, quam ut fraus committi potuisset.

99. — Prop. II. *Pentateuchus substantialiter integer et incorruptus ad nos pervenit.*

Historice *certa;* theologice item *certa:* (alii dicunt de fide, ex Trid. sess. IV, et Vatic. Const. *Dei Filius,* C. II, in quo declaratur Vet. Test. libros integros cum omnibus suis partibus esse sacros et canonicos).

Dicitur in prop. *substantialiter integer,* id est, nullum factum, nulla sententia fuit ei addita, aut ab eo dempta, aut in eo immutata; hanc solam substantialem integritatem Pentateucho vindicamus; quod enim ad accidentalem attinet corruptionem, quæ rebus fidei aut morum, aut substantiæ factorum nequaquam adversatur, eam decursu temporum irrepsisse omnes ultro concedunt.

Prob. prop. Ab omnibus integer et incorruptus censetur liber, in quo nulla facta est, nec ulla fieri potuit adulteratio. Atqui talis est Pentateuchus. Ergo.

Probatur minor: I. Nullam factam esse adulterationem in Pentateucho, constat: 1. Ex constanti traditione, quæ sicuti hujus libri authenticitatem probat, ita etiam ipsius evincit integritatem. — 2. Ex Pentateuchi connexione cum aliis libris N. et V. Testamenti, in quibus fere omnia facta præcipuaque Pentateuchi præcepta referuntur. Si igitur in Pentateucho facta fuisset adulteratio, hæc in omnibus aliis Scripturæ libris fieri debuisset; quod ab omnibus impossibile judicatur.

II. Nullam fieri potuisse adulterationem multis argumentis probari potest; sequentia protulisse sat fuerit.

Probatur 1. Ex Pentateuchi publicitate frequentique usu: Cum apud gentem Judaicam Pentateuchus societatis religiosæ, civilis et domesticæ codex publicus exstiterit, illum et sacerdotes pro cæremoniis ac ritibus, et pro legibus judices, et magistratus pro politia externa, et pro regimine reges præ manibus habere debebant. Moris erat Pentateuchum quolibet

septennio solemniter coram omni populo recitari;[1] præterea, propria eum manu transcribere quilibet rex tenebatur;[2] solemne etiam erat, tum multa ejus circumferri exemplaria, tum autographum Moysis in arcæ latere conservari.[3] Fieri vero non potest, ut liber tanta gaudens publicitate, possit adulterari.

2. Si facta fuisset adulteratio, fieri debuisset vel a Judæis, vel ab eorum adversariis; sed utrumque fuit impossibile.

a) Fieri non potuit a Judæis; si enim ab ipsis facta fuisset, vel omnes in eam conspirassent Judæi; quod dici nequit, cum, *teste Josepho*,[4] tanta fuerit Judæorum in libros sacros veneratio, ut eos tuendi causa, etiam mori non dubitaverint; vel a paucis facta fuisset adulteratio, quo in casu alii certe restitissent.

b) Non potuit fieri ab adversariis Judæorum, scilicet a Paganis, Samaritanis, vel Christianis; Judæi enim reclamassent: præterea, hoc in casu exemplaria Samaritanorum vel Christianorum ab exemplaribus Judæorum diversa forent.

3. Nullum potest assignari tempus, quo talis mutatio fuisset possibilis. Non potuisset fieri post schisma decem tribuum: pars enim adversa reclamasset; nec ante, tum ob venerationem Judæorum, tum quia recentior erat memoria eorum, quæ Moyses egit et scripsit.

100. — Prop. III. *Vera et fide digna sunt quæ in Pentateucho narrantur.*

Historice *certa;* theologice *de fide,* cum de fide sit ea, quæ in his libris continentur, esse verbum Dei, in quo nulla falsitas esse potest.

Prob. Verax et fide dignus habetur liber, cujus auctor, ea quæ narrat, optime scire potuit; et de quo constat ipsum mentiri noluisse, imo, etsi voluisset, mentiri non potuisse. Atqui talis est Pentateuchus. Ergo.

[1] *Deuter.*, XXXI, 11-13. — [2] *Deuter.*, XVII, 18. — [3] *Deuter.*, XXXI, 9-26. — [4] *Cont. Apionem* l. I, § 8.

Probatur minor: 1. *Ea, quæ narrat, Moyses optime scire potuit.* In quatuor posterioribus Pentateuchi libris Moyses gesta refert publica et sensibilia, quorum ipse fuit auctor, aut testis oculatus. — In Genesi quidem facta narrantur, quæ a mundi principio ad Moysen usque evenerunt. Ad ipsam mundi creationem quod attinet, hanc ipse Spiritus Sanctus homines, cum nullus adfuerit testis, revelatione ut edoceret, necesse fuit. Factam autem fuisse vel ipsi Moysi, vel Adamo, aut Patriarchis hanc revelationem, jure ac merito admittimus, cum ex Pentateucho constet, Deum frequenter ad Moysen et Patriarchas locutum fuisse. — Facta vero, quæ post creatum mundum ab Adamo ad Moysen usque evenerunt, Moyses certo scire potuit vel *traditione orali certa*, cum Adamum inter et ipsum paucæ tantum interfuerint generationes; vel *publicis monumentis:* adhuc tunc exstabat turris Babel; adhuc viguit circumcisio, quæ fœderis cum Deo initi testimonium fuit; adhuc supererant sepulcra in quibus Patriarchæ conditi erant, putei quos effoderant, etc.; vel forsitan etiam *scriptis*, quorum usus jam invaluerat; sed certe *canticis*, quorum usus frequens erat apud gentes primævas. — His addi debet inspiratio, de qua alibi dicetur.

2. *Moysen decipere noluisse* multiplici ex capite constat: *ex ejus modo dicendi*, qui candidus est et simplex, atque ambagibus expers. — *Ex factis quæ narrat*, quæ fuerunt splendida et publica, omnibus vel saltem multis nota, ut sunt plagæ Ægypti, transitus maris rubri, manna in deserto, legis promulgatio, etc.; unde et ipse Moyses ad Hebræorum testimonium provocat (Deut. XI, 7): *Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit.* — *Ex absentia motivi ad mendacium impellentis:* qui in scribendo mentitur, vel propriam gloriam, vel exaltationem propinquorum, vel laudem gentis suæ consectatur. Jamvero Moyses propria delicta non tacet; peccatum, cujus ergo ingressu in terram promissam sibi interdicitur, pluries enarrat. Propinquorum, Aaronis fratris, et Mariæ sororis suæ, murmurationes et castigationem describit; Nadab et Abiu nepotum peccata et luctuosam mortem refert. Filios suos, tantum abest ut ad summum sacerdotium supremamque

provehat potestatem, ut contra in inferiorum levitarum numero eos relinquere decernat. Populum etiam sæpissime de suis criminibus objurgat: ejus infidelitates, seditiones, rebelliones et punitiones enarrat; et quidquid in ejus opprobrium cedit, manifestat: v. gr., scelus filiorum Jacob in Joseph; stuprum Judæ cum Thamar; etc. Nulla igitur ratio assignari potest, quæ Moysen ad falsa referenda impellere potuerit.

3. *Moyses, etiamsi voluisset, decipere non potuisset.* Quæ in quatuor posterioribus libris enarrantur, testem habuerunt universum populum, ut transitus maris rubri, manna in deserto, promulgatio legis, serpens æneus, etc. Quî autem fieri potest, ut quispiam universo fidem faciat populo hunc vidisse quod reapse non viderit, atque fecisse quod reapse non fecerit? Et quod pluris æstimandum est, quî fieri potest, ut universus populus, nisi vera esse facta enarrata pro manifesto habuerit, legem durissimam in factis fundatam, cujusmodi fuit lex mosaica, submisso accipiat animo, et per 1500 annos observet? — Facta vero, quæ in Genesi referuntur ab Adam usque ad Abraham, pauciora sunt et insigniora, quorum equidem cognitio vivida per traditionem conservabatur; factorum vero, quæ referuntur evenisse post Abraham, memoria adhuc recentior erat, quam ut falso enarrari potuerint.

Confirmatur veracitas mosaicæ narrationis ex traditionibus gentium et ex historia profana; nullum enim fere exstat factum insigne a Moyse enarratum, cujus aliquod saltem vestigium apud unum alterumve populum non reperiatur. Sic, v. gr., felicitas primi hominis, ejus lapsus atque ejectio e paradiso apud omnes gentes antiquas commemorantur sub figuris ætatis aureæ et ferreæ; diluvii existentia manifesta est apud Romanos, Græcos, Assyrios et Indos; Sodomorum subversionem referunt Strabo et Tacitus; etc.[1]. His testimoniis validum robur accedit ex documentis historicis nuper in Ægypto, Assyria et Chaldæa repertis; in quibus multa de prima mundi origine continentur, quæ cum narratione mosaica mire consonant[2].

[1] Cf. Guénée, *La Bible sans la bible*; Aug. Nicolas, *Etud. phil.*, t. I, l. II, P. 1, ch. 4; Knoll, *Theol. gen.*, §. 78. — [2] Cf. Vigouroux, *La Bible et les découvertes modernes en Egypte et en Assyrie.*

ARTICULUS II.

DE AUCTORITATE ALIORUM LIBRORUM VET. TEST.

101. — Præter quinque libros Moysis, quadraginta in Vet. Test. continentur libri, in quibus revelatio Judæis primitus facta confirmatur et perfectius evolvitur, propiusque præparatur christiana revelatio: de quibus igitur pauca quædam dicenda supersunt. In præsenti vero specialiter sermonem habemus de librorum protocanonicorum auctoritate, eorum scilicet, qui a Judæis semper ut divinitus inspirati habebantur; ex libris enim deuterocanonicis, quorum inspirationem Judæi ratam non ducebant, non tam valida contra ipsos argumenta depromi possunt, licet nos iisdem, ob definitionem Ecclesiæ, eamdem atque aliis auctoritatem attribuamus [1].

102. — Prop. *Cæteri libri V. T. sunt authentici, integri et fide digni* [2]. Historice *certa;* theologice *certa* quoad authenticitatem et integritatem; *de fide*, quoad veracitatem.

Prob. I. Horum librorum auctoritas iisdem probatur argumentis, ac ipsius Pentateuchi auctoritas. Et primo quidem *argumento generali:* In Novo Test., (Quod, ut infra dicetur, plena gaudet auctoritate), ex prædictis libris argumenta desumuntur, oracula citantur, facta referuntur. Ergo N. T. ipsis non minorem attribuit auctoritatem quam Pentateucho.

II. *Probatur per partes:*

A. — Prædictos libros esse *authenticos* probatur: 1. *Ex publica et constanti Judæorum traditione*, quam corroborant tum canon Esdræ a Synagoga approbatus, tum versio LXX interpretum, tum Ecclesiæ christianæ traditio perpetua.

2. *Ex natura librorum*, qui, tum inter se ita connectuntur, ut ratione temporis posterioribus semper priores præ-

[1] Cf. S. Alph., *Cont. Hær.*, Sess. IV, c. 1, n. 20 et 21. — [2] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. II, c. 2; *Consid. de ver. revel.*, c. 1, n. 15 et seq.; *Et, Signa credib.*, P. I, c. 5.

ponantur; tum ejusmodi conscripti sunt stylo iisque similitudinibus adornati, quæ locis et temporibus, quibus conscripti memorantur, maxime congruunt. Ordo præterea temporum, locorum descriptiones et nomina, familiarum genealogiæ, regum et pontificum successio et res ab iis gestæ, ita minutatim in iis describuntur, ut ab auctoribus coævis duntaxat confici potuerint.

3. *Ex suppositionis impossibilitate:* Cum hi libri multa contineant Judæis probrosa, dedecora, maximeque onerosa, Judæi, nisi sic persuasum habuissent libros Dei inspiratione scriptos, sibique a Deo fuisse traditos, nulla ratione, eos ut acceptarent, adduci potuissent. — Præterea ab adversariis nullum, quo suppositio facta sit, tempus assignari, nullusve, qui eam fecerit, auctor nominari potest; quæ tamen, quia de facto agitur, assignari deberent.

B. — Prædictos libros esse *integros* probatur: 1. ex Judæorum traditione, summaque veneratione, qua sacros libros prosequebantur, unde et adulterationem nunquam acceptassent. — 2. Ex librorum natura, qui inter se ita arcte connectuntur, ut unum absque alio adulterari non potuisset. — 3. Ex multiplicitate exemplarium, quæ omnia simul adulterari debuissent, quod utique est impossibile. — 4. Ex impossibilitate assignandi adulterationis auctorem: Neque ethnici eam facere potuissent; Judæi enim eam nunquam acceptassent; — neque Christiani; Judæi utique reclamassent; — neque Judæi ante Christum natum, tum quia libros sacros maxima veneratione prosequebantur; tum quia, sacros si adulterassent libros, nihil antiquius habuissent, quam ut facta sibi ignominiosa obliterarent; — neque Judæi post Christum natum; reclamassent enim Christiani, atque, id si fecissent, nihil eis potius fuisset, quam ut prophetias de templi desolatione, de eversione Urbis, de Christi occisione delerent: quibus in prophetiis perenne judaicæ perfidiæ testimonium continetur.

Quibus autem argumentis aliud addit S. Alphonsus,[1] quod nobis utpote christianis, gravissimum est; scilicet: Cum Scrip-

[1] *Ver. fid.* I, p. 123, 259, 261, 274.

tura sacra ea contineat, quæ nobis ad salutem sunt necessaria, Deus speciali providentia invigilare tenetur, ne ulla in ea de rebus fidei et morum fiat mutatio; talis enim mutatio si fieri posset, cum omnimoda securitate fidem et religionem amplecti jam non possemus.

C. — Prædictos libros esse *fide dignos* probatur: 1. ex eo quod librorum auctores, quæ scripsere, ea probe noverunt: referunt enim facta publica, quæ vel ipsi viderunt, vel a testibus fide dignis acceperunt; quod vero ad prophetias spectat, eas fuisse veras, constat ex eventu. — 2. Ex eo quod alios nec voluerunt nec potuerunt decipere. Erant enim viri pietate et sanctitate insignes, qui stylo narrant simplici quæ omnibus erant manifesta, et multa, quæ Judæis sunt ignominiosa, referunt; quæ utique Judæi, ea nisi vera putassent, non admisissent.

ARTICULUS III.

DE AUCTORITATE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI [1].

103. — Libri Novi Test. viginti septem numerantur, nempe: quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, quatuordecim S. Pauli epistolæ, duæ S. Petri, una S. Jacobi, tres S. Joannis, una S. Judæ, et Apocalypsis. — Quos inter libros præcipuum locum obtinent quatuor Evangelia, in quibus Christi Salvatoris vita enarratur, christianæque religionis fundamenta traduntur. Evangelia hodierni rationalistæ speciali pertinacia impugnant: eversa enim Evangeliorum auctoritate, tota religio ruat necesse est. In hacce igitur nostra disputatione de Evangeliis etiam specialius tractandum est.

Evangeliorum auctoritatem primus negavit Strauss, ex religione protestantica, in opere cui titulus: *Vita Christi*, anno 1835 typis mandato. Facta miraculosa et supernas, quæ Christo tribuuntur, revelationes, mythos esse contendit. Docet Jesum fuisse virum Judæum, sanctitate et ingenio insignem, Joannis discipulum, a quo et baptismum

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.* P. II, c. 11; Gatti, t. II, p. 671; Knoll, *Theol. gen.* § 80.

susceperit. Post baptismum eum sese in solitudinem recepisse, et sibi pedetentim persuasisse se esse Messiam. Exinde novam cœpisse prædicare religionem, discipulosque accersivisse; quibus se ut Messiam exhibuerit suamque tradiderit doctrinam. A Judæis apprehensum propter suas acerbiores prædicationes in Pharisæos, morti traditum esse. Jesu sepulto, famam manasse ipsum resurrexisse a mortuis; unde et multos ejus doctrinam esse secutos. Doctrinam quam a Christo audierint, discipulos suis auxisse commentis; et cum eum pro Messia haberent, Christo attribuisse quidquid ipsi in idea sua de futuro Messia excogitarint: exinde nata esse prodigia et miracula, quæ de Christo affirmentur. Decurrente vel labente sæculo secundo, ea quæ de doctrina et factis Christi inter Christianos circumlata fuerint, scriptis, quæ vocentur Evangelia, a diversis auctoribus mandata fuisse.

Hanc Straussii doctrinam in Galliam invexerunt Renan et Littré, qui tamen historicæ veritati magis concedunt, et mythis legendas substituunt. Illud loco principii habentes, nimirum quod nullum patrari possit miraculum, omnia facta supernaturalia, quæ in Evangeliis narrantur, esse legendas a populorum imaginatione ortas, contendunt.

Librorum igitur Novi Test. probanda est authenticitas, integritas et veracitas.

104. — Prop. I. *Libri Novi Test. sunt authentici.*

Historice *certa:* theologice *certa* ex principiis fidei et constanti Ecclesiæ traditione.

Prob. Authenticus ab omnibus censetur liber, et quem unanimis atque antiquissima traditio tribuit auctori, cujus nomen liber præ se fert; et qui manifesta in se possidet authenticitatis signa; et quem supponi potuisse evidenter repugnat. Atqui tales sunt libri N. T. et speciatim quatuor Evangelia. Ergo.

Prob. minor:

I. *Traditio* unanimis et antiquissima, non solum christianorum, sed etiam inimicorum christiani nominis, libros N. T. authenticos habet.

1. *Unanimem* esse christianorum traditionem, manifestissimum est: ubicumque enim terrarum christianis persuasum est, libros Novi Test. ab iis, quorum nomina præ se ferant, fuisse conscriptos.

2. *Antiquissimam* esse eamdem traditionem, ex documentis historicis facile evincitur. Ultro fatentur adversarii, traditionem a sæculo tertio pro certa esse habendam; atvero.

ad duo prima sæcula quod spectat, traditio non minori certitudine gaudet. Patres enim, qui primo et secundo sæculo vixerunt, non solum textus ex libris N. T. desumptos frequenter citant, sed scriptorum etiam nomina referunt. S. Clemens memorat Epistolam S. Pauli ad Corinthios *(Ep. I, 47)*; S. Polycarpus Epistolam ad Philippenses *(Ep. ad Philipp.)*; S. Papias nominat Evangelia Matthæi et Marci *(Euseb. Hist. L. III, 39)*; S. Justinus Evangelia scripta esse dicit ab Apostolis aut eorum discipulis *(Apol. I, 66; Dial. 203, 206)*; S. Ireneus expresse dicit quatuor esse Evangelia, nec plura nec pauciora, eorumque auctores citat *(Adv. Hær. L. III, c. 1 et 2)*. — His accedit praxis legendi scripta Apostolorum cum scriptis Prophetarum in publicis christianorum cœtibus; quam vero consuetudinem S. Justinus, in sua prima apologia circa annum 150 conscripta, jam ubique invaluisse commemorat.

3. Ipsimet Ecclesiæ hostes authenticitatem librorum N. T. testantur. Primorum sæculorum hæretici, ut Cerinthiani, Carpocratiani, Valentiniani, Ebionitæ, nunquam prædictos libros ut suppositos rejecerunt, sed ex eisdem errores suos confirmare attentarunt; ita ut suo jam tempore S. Ireneus scribere potuerit *(Adv. Hær. L. III, 11)*. « Tanta est circa Evangelia hæc firmitas, ut et ipsi hæretici testimonium addant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam firmare doctrinam. » — Præterea Celsus plura ex Evangeliis commemorat, quæ se ex discipulorum Christi libris desumpsisse fatetur; et Julianus Apostata impugnans divinitatem Christi, hæc inter alia refert, ut testatur S. Cyrill. Alex. *(L. X. contra Jul.)*: « Jesum quippe illum, neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthæus, neque Lucas, neque Marcus, sed bonus ille Joannes. »

II. *Manifesta sunt intrinseca authenticitatis signa:* omnes libri N. T., sed speciatim quatuor Evangelia, ætatis apostolicæ indicia præ se ferunt.

1. In Evangeliis suis S. Matthæus, Marcus et Lucas, Christi vaticinia de eversione Jerusalem commemorant, ast de ipsa eversione tacent: ex quo manifestum est hæc Evangelia ante urbis excidium scripta fuisse; occasionem enim tam

apertum contra Judæos testimonium proferendi, non prætermisissent.

Idem constat de Actibus Apostolorum. B. Lucas, hujus libri auctor, a capite 13 totus est in referendis gestis B. Pauli, sed de ejus morte tacet; cujus tamen etiam meminisset, si post ejus mortem scripsisset. — Præterea, in Epistolis suis B. Paulus templum nondum eversum supponit.

2. Evangelistæ tam minutatim referunt rerum et personarum circumstantias, v. gr., de statu Judæorum eorumque moribus, de familia Herodiana, etc., ut a coævis, qui viderint quæ referant, aut ea a testibus audierint oculatis, tantummodo describi potuerint.

3. Stylus arguit scriptores hebræos, qui in græco idiomate proprietates patriæ linguæ retinuerunt; forma dicendi, si Epistolas B. Pauli excipias, indicat homines illitteratos, et humana eruditione carentes, quales fuerunt Apostoli [1].

4. His accedit argumentum negativum: adversarii enim contra authenticitatem Evangeliorum argumentum quoddam alicujus ponderis nunquam afferre potuerunt.

III. *Suppositio librorum Novi Testamenti fuit impossibilis.* Talis suppositio fieri debuisset vel vivis Apostolis, vel his jam emortuis. Atqui neutrum dici potest. Etenim, si vivis adhuc Apostolis facta fuisset suppositio, hi statim reclamassent. — Nec post eorum mortem fieri potuit: obstabat enim præsentia discipulorum, scil. B. Clementis, S. Ignatii, S. Polycarpi, etc., qui contra impostores statim reclamassent; obstabat Episcoporum vigilantia et summa fidelium veneratio erga doctrinam Apostolorum: unde, quæ ab aliis fuissent exarata, nunquam pro scriptis apostolicis habuissent; obstabat ipsa hæreticorum vigilantia, quorum doctrina per Evangelia condemnatur; qui sane fraudem, si Evangelia ab aliis quam ab Apostolis scripta fuissent, manifestassent.

105. — Prop. II. *Libri N. T. ad nos substantialiter integri et incorrupti pervenerunt.*

[1] De his cf. Wallon: *De la croyance due à l'Evangile.*

Historice *certa;* theologice *de fide.*

Prob. Ille liber ab omnibus substantialiter integer habetur, qui ut talis ab unanimi traditione comprobatur, et cujus corruptio fuit omnino impossibilis. Atqui tales sunt libri N. T. Ergo.

Prob. minor. I. *Integritas librorum N. T. comprobatur traditione:* 1. Semper et ubique fideles N. T. libros, quales a suis auctoribus fuerint conscripti, tales sibi præsto esse crediderunt. Sicut igitur hæc traditio horum librorum authenticitatem, ita eorumdem etiam probat integritatem.

2. Confirmatur hæc traditio ex scriptis Patrum, qui a primo jam et secundo sæculo scripserunt, et horum librorum textus citant, quales in eis hodiedum leguntur. *(S. Alph. Ver. fid., C. XI, n. 15).*

3. Confirmatur etiam ex uniformitate exemplarium et versionum, in quibus nulla deprehendi potest mutatio substantialis in rebus, quæ ad fidem, vel mores, vel factum historicum spectant *(S. Alph. C. XII, n. 10)*; licet vero deistæ plures quam triginta millia variationes in illis exemplaribus aut versionibus adnotarint, nullam tamen in eis substantialem mutationem invenire potuerunt *(S. Alph. C. XII, n. 12).*

4. Confirmatur denique ex impossibilitate indicandi quinam textus sint adulterati vel interpolati, vel a quonam auctore quove tempore facta sit adulteratio: cum autem libri corruptio sit factum historicum, ipsa a deistis historice probanda esset.

II. *Corruptio librorum N. T. fuit impossibilis:* non potest enim assignari, neque *tempus quo,* neque *auctor a quo* hæc adulteratio fieri potuisset.

Non potest assignari tempus. « Certe, *ait S. Alph., (c. XI, n. 11)* adulterari non potuerunt eo, quo scripti fuerunt, tempore, vivis adhuc eorum auctoribus, testibusque tam multis, qui factorum, quæ in iisdem libris referuntur, spectatores fuerunt. Nec post horum mortem mutationem subire potuerunt, quia plura millia exemplaria in Ecclesiis exstabant. Præterea, pastores, apostolorum successores, custodiæ sacri depositi Scripturarum semper invigilaverunt. »

Non potest assignari auctor: Non potuit hæc adulteratio fieri a christianis: 1. Propter summam reverentiam, qua libros canonicos prosequebantur: tanta fuit hæc reverentia ut, et multi, Diocletiano imperatore, mori maluerint, magis quam sacros libros ministris impiis tradere: et tota plebs, propter solam unius verbi elegantioris substitutionem, contra Episcopum suum seditione insurrexerit, ut referunt Sozomenus *(Hist. Eccl. L. I, c. 2)* et S. Augustinus, *(Epist. 71, n. 5, Edit. ben.). (S. Alph., C. XII, n. 10).* — 2. Propter timorem anathematis: « In religione christiana, *ait S. Alphonsus, (C. XI, n. 13)*, evangelicæ Scripturæ semper habitæ sunt adeo sacræ, ut, et ne Angelo quidem quidpiam in eis mutare permissum fuisset, et qui ausus esset aliquam in eas introducere adulterationem, illico e sinu Ecclesiæ fuisset ejectus. *Sed licet nos*, ait Apostolus, (Gal. I, 8), *aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* »

Non potuit hæc adulteratio fieri ab extraneis, hæreticis scilicet, judæis et ethnicis, propter summam Ecclesiæ vigilantiam. « Omnem semper cautelam, *ait S. Alph., (C. XI, n. 12)* adhibuit Ecclesia, in libros sacros ne introduceretur alteratio, sicut attentarunt hæretici tam antiquiores quam recentiores, et speciatim qui *reformati* dicuntur, qui magnam N. T. partem corruperunt. Quam ob rem Ecclesia hæreticorum scripturas, cum antiquis exemplaribus, quorum usus communis erat in Ecclesia, collatas, semper reprobavit. »

106. — Prop. III. *Libri N. T. sunt fide dignissimi*[1]. Historice *certa*, theologice *de fide.*

Prob. Liber habendus est verax et fide dignus, si constat ejus auctorem neque fuisse deceptum neque deceptorem; si constat facta, quæ in eo referuntur, ab aliis coævis etiam narrari; denique si constat eum omni tempore fidem sibi conciliasse. Atqui hujusmodi sunt libri N. Test. Ergo sunt veraces et fide digni.

[1] S. Alph. *Ver. fid.*, P. II, c. XI.

Prob. minor per partes:

I. *Auctores librorum N. T. neque fuerunt decepti neque deceptores.*

1. *Auctores non fuisse deceptos,* constat ex natura rerum, quas referunt. Narrant facta publica, cognitu facilia, portentosa, coram multis testibus patrata, ut sunt Christi nativitas in Bethleem, occisio infantium, adventus Magorum, prædicatio Joannis et Christi, miracula Christi, ejus passio atque mors ignominiosa, solis obscuratio, gloriosa Christi resurrectio, etc. Hæc autem facta horum librorum auctores, vel oculis suis ipsimet viderunt, vel a testibus oculatis didicerunt; teste Joanne (I Ep. I, 3): *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis.* (Cf. II Petr. I, 16); et S. Luca (I, 2): *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis.*

2. *Auctores non fuisse deceptores,* multipliciter constat: *a) ex qualitate* eorum qui scripserunt: fuerunt enim, si Paulum et Lucam excipias, viri rudes, plebeii, illitterati; fuerunt insuper viri sanctitatis eximiæ; repugnat autem tales homines propositum habuisse totum universum decipiendi; — *b) ex doctrina* quam prædicant, quæ alta continet mysteria humano intellectui naturaliter impervia, et severam vivendi normam imponit; si qui vero alios velint deceptos, quidquid cupiditatibus est adversum, illud non proponunt; — *c) ex modo dicendi:* de rebus altissimis loquuntur cum mira simplicitate; quieto animo nullisque conviciis in carnifices et persecutores prolatis, tum Christi passionem et mortem, tum propria sua supplicia referunt; — *d) ex summa ingenuitate:* non tacent suam ignorantiam, sua vitia, sua inter se jurgia, suam in credendo tarditatem; — *e) ex fidelitate in narrando:* describunt res cum circumstantiis suis minutissimis, in quibus fraus, vera nisi narrassent, facillime detecta fuisset; *(S. Alph. n. 3);* — *f) ex concordia* eorum in narranda factorum substantia, et ex *disparilitate* quoad quædam accidentalia: si quæ narrantur, vera non essent, dicendum foret ea fuisse excogitata vel a quolibet sacro scriptore, consilio cum aliis non inito, vel ab omnibus inter se communi consilio conspirantibus: primum

ne asseratur illud obstat, quod narrationes concordant; repugnat enim plures scriptores absque communi consilio eadem excogitare facta eosdemque concinnare sermones; secundum ne asseratur illud obstat, quod diversitas adest in accidentalibus: si enim communi consilio ea facta excogitassent, discrepantiam illam utique vitassent, ex qua non parvæ contra ipsorum narrationem oriuntur difficultates: *(S. Alph. n. 5 et 6).* — *g) ex defectu rationum* cur mendacium proferatur: *nemo gratis mendax;* sed ex suo mendacio Apostoli nullum commodum percipere potuissent, neque in hac vita, cum probe noverint se propter suam doctrinam in persecutiones esse incursuros et mortem subituros, sicut de facto morte occubuerunt *(S. Alph. n. 8 et 18);* neque in altera vita, in qua sola æterna damnatio eos mansisset, utpote quum Deum mendacii testem assumpsissent: — *h)* denique *ex impossibilitate mentiendi;* etiamsi falsa proferre voluissent Apostoli, non potuissent decipere: narrant enim facta publica et maximi momenti; quapropter Judæi, quorum maxime intererat veritatem cognoscere, eos de falsitate arguendi, si relata non fuissent vera, tempus non dimisissent.

II. *Ex rebus quæ in Evangeliis narrantur, plures ab aliis etiam scriptoribus coævis referantur* [1].

« Non desunt, *ait S. Alphonsus, (C. XI, n. 8),* plures auctores judæi et gentiles Apostolis coævi vel fere coævi, quorum testimonia evangelicam historiam confirmant. Testatur Talmud vera fuisse Christi miracula. Josephus, natione Judæus, plura refert, quæ in Evangeliis narrantur: scribit J. Baptistam, postquam Judæos ad virtutis exercitium fuerat adhortatus, ab Herode fuisse occisum; atque B. Jacobum, fratrem Domini, a Judæis fuisse peremptum. Meminit etiam Pilati et Caiphæ, Festi et Felicis, de quibus loquitur S. Lucas *(Act. C. XXIV et seq.).* Hæc specialius de Christo tradidit, in suo libro de Antiquitatibus judaicis, *(L. XVIII, C. 6): Fuit autem eisdem temporibus Jesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est; erat enim mirabilium operum effector, et doctor hominum eorum qui libenter quæ vera sunt, audiunt. Et multos quidem Judæorum, multos etiam ex gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum*

[1] Cf. Bullet, *Hist. de l'établissement du christianisme, tirée des seuls auteurs juifs et païens.*

nostræ gentis virorum, cum Pilatus in crucem agendum esse decrevisset, non deseruerunt hi qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum vivus, secundum quod divinitus inspirati prophetæ vel hæc vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerunt. »

« Multa præterea, *pergit S. Alphonsus (n. 9)*, exstant testimonia auctorum ethnicorum, qui temporibus apostolicis vel non ita multo post vixerunt, et de Christo locuti sunt, ut Porphyrius, Lucianus, Tacitus, Plinius Junior et Suetonius. — Ait Suetonius [1]: *Judæos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Roma expulit...* — Celsus, ab Origene [2] citatus, refert Christum natum esse in vico Judææ, ex paupercula muliere fabro desponsata, quæ postea in Ægyptum secessit. — Docet nos S. Justinus [3] in tabulis census romani inscripta fuisse hæc verba: Christo nato in Bethleem. Teste Eusebio, Phlegon, Adriani libertus, scribit Christum fuisse prophetam..... Chalcidius adventum Magorum describit... [4] Macrobius stragem innocentium enarrat... [5] Phlegon [6] et Thallus commemorant tenebras et terræmotum, quæ moriente Christo acciderunt... Porphyrius Christi, licet in patibulo mortui, laudat sapientiam et pietatem... Lampridius [7] divinos describit honores ab Adriano et Alexandro Severo Christo delatos. »

III. *Maximam fidem libros N. T. sibi semper conciliasse, ex documentis historicis constat.* — Vivis adhuc Apostolis, maxima multitudo tam ex Judaismo quam ex gentilitate, ad religionem christianam conversa est: cum vero ageretur, et ad Judæos quod spectat, de Messia tamdiu prænuntiato et tam ardenter desiderato; et, quod spectat ad gentes, de abjicienda religione sensibus blandiente; et, ad omnes quod attinet, de obligatione sub pœna æternæ damnationis suscipiendi religionem, quæ omnibus cupiditatibus adversatur, idcirco credendum non est tantam multitudinem absque examine Apostolorum dictis fidem adhibuisse, nec religionem tam austeram amplexam fuisse, nisi luce clarius constitisset vera esse quæ ab Apostolis de Christo nuntiata sint, veraque fuisse miracula, quibus Apostoli suam doctrinam confirmarint. — Quinimo et ipsimet religionis adversarii veritatem miraculorum Christi agnoverunt, ea vero magicis artibus adscripserunt, ut de Celso refert Origenes (L. I), et de Juliano Apostata Cyrillus Alexandrinus. (*Adv. Jul.* L. II).

[1] In Claud., c. 25. — [2] *Contra Cels.*, l. I, n. 28. — [3] *Apol.*, II. — [4] *Comment. in Timæum Platon.* — [5] *Saturnal.*, l. II, c. 4. — [6] Apud Euseb. *Chron.*, l. II. — [7] *Vita Alex. Sev.*

Conclusio: Tenendum est igitur verissima et fide dignissima esse, quæ in libris N. T. de doctrina, de gestis, et præsertim de miraculis Christi et Apostolorum narrantur.

Scholium: Stabilita sacrorum librorum auctoritate historica, ex eis jam argumenta depromere possumus ad factum revelationis contra rationalistas investigandum, et ad probandum religionem christianam vere esse divinitus datam; quæ auctoritas tamen, cum contra incredulos res agitur, limites humanæ auctoritatis non excedit.

CAPUT II.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ IN SUA PRÆPARATIONE.

107. — Revelationi christianæ a Christo nobis per manus Apostolorum traditæ, tum revelatio primæva, tum revelatio mosaica præiverant. Cum enim divinæ sapientiæ placuerit supernorum mysteriorum dispensationem non statim a mundi incunabilis plene communicare; idcirco et eam inchoavit in religione patriarchali, et eidem incrementum dedit in religione mosaica, et ei tandem complementum atque ultimam perfectionem elargitus est in religione christiana. Agendum est igitur in hoc capite: 1. de revelatione primæva, 2. de revelatione mosaica; duplex hæc revelatio, quæ ante Christum natum veram constituebat Ecclesiam, religionis christianæ initium fuit atque præparatio.

ARTICULUS I.

DE REVELATIONE PRIMÆVA.

108. — Revelatio primæva ea vocatur, quæ antiquis Patriarchis, qui ab Adamo usque ad Moysen vixerunt, fuit impertita, atque orali traditione a Patribus ad filios transmissa. Vocatur etiam lex *naturæ*, (non lex naturalis), non quo processerit a natura, sed quia per naturale magisterium patris erga filium

transmissa est; e contra lex mosaica vocatur *lex scripta*, quia tabulis fuit consignata, atque ordini levitico, qui eam custodiret et explicaret, commissa.

Primævam revelationem nullam agnoscunt recentiores materialistæ seu deistæ, qui, duce Rousseau, contendunt hominem, a Deo facultate cogitandi et ratiocinandi præditum, primitus sibi fuisse derelictum, ac propria industria cultum Deo debitum invenire debuisse. Inde factum est ut homines, vires naturæ deificando, idololatriæ primo addicti fuerint; deinde, elucescente per ratiocinium Dei unitate atque simplicitate, Monotheismum professi sint. Docet autem fides catholica hominem, in prima sua conditione in statum supernaturalem elevatum, a Deo ab initio religionem supernaturalem accepisse, nec proinde religionem mere naturalem unquam exstitisse.

109. — Prop. I. *Humano generi ab initio data est religio divinitus revelata.*

Historice *certa;* theologice *ad fidem pertinens*, ex dogmate de elevatione primi hominis in statum supernaturalem.

Prob. I. **Ex Script. Sacra.** Ex libris utriusque Testamenti, præsertim vero ex Genesi, manifestum est Deum primis hominibus sæpius apparuisse, cum eisdem conversatum fuisse, sua consilia eis manifestasse, ante lapsum ut legislatorem præcepta positiva imposuisse, post lapsum ut judicem et vindicem pœnas edixisse et futurum Liberatorem promisisse: ex quo apparet supernam revelationem primis nostris parentibus fuisse impertitam. — Imprimis illustria sunt, quæ de protoparentibus leguntur Eccles. XVII: *Deus... cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis... Addidit illis disciplinam, et legem vitæ hæreditavit illos. Testamentum æternum constituit cum illis, et justitiam et judicia sua ostendit illis. Et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum, et dixit illis: Attendite ab omni iniquo. Et mandavit illis unicuique de proximo suo.*

II. **Ex analogia fidei.** Docet fides catholica primum hominem in statu sanctitatis et justitiæ constitutum, atque in finem supernaturalem ordinatum fuisse. Atqui finis superna-

turalis media exigit supernaturalia, quæ sola revelatione innotescere possunt. Facta fuit igitur primo homini revelatio supernaturalis, qua media, quibus finem suum supernaturalem adipisci posset, edocebatur.

III. **Ex Ratione.** Ratio naturalis, licet revelationis supernaturalis existentiam demonstrare nequeat, necessitatem tamen vel revelationis supernaturalis vel alius medii æquivalentis pro protoparentibus aliquatenus demonstrare potest. Etenim, ut testatur S. Scriptura et ut confirmant omnium populorum traditiones, primus homo creatus fuit in statura perfecta, in matura ætate, cum perfecto usu rationis, ac proinde jam tum cultum Deo exhibere debuit. Sed propriis viribus si fuisset relictus, sua erga Creatorem officia, nonnisi notabili tempore elapso, edoceri potuisset. Consentaneum igitur fuit divinæ bonitati ut hominem statim ab initio sua edoceret officia.

Præterea, licet homo, sola ratione duce, veritates naturales etiam ordinis moralis invenire possit, naturale est tamen illi, ut in iis institutione sociali erudiatur. Cum igitur protoparentes a nemine alio edoceri potuerint, conveniens fuit ut Deus eos, quæ ad vitam recte instituendam scitu necessaria essent, sive per se immediate sive per Angelos, ea edoceret.

IV. **Ex traditione populorum.** 1. Ex historia et traditione primitivarum gentium constat, eis semper persuasum fuisse Deum olim conversatum esse cum hominibus, eisque de cœlo attulisse religionem. Hic autem universalis gentium consensus invictum est primitivæ revelationis testimonium. Unde et apud omnes gentes magna semper fuit antiquitatis auctoritas, eo quod credebant primitivos homines propius ad Deum accessisse.

2. Apud populos etiam remotissimos nec ullo commercio inter se conjunctos, plura inveniuntur dogmata pluresque ritus sacri, quæ non potuerunt a ratione proficisci, et primævam quamdam communem revelationem supponunt, a qua ducunt originem; talia sunt, v. gr., dogmata de aurea quadam ætate illiusque jactura; de inundatione terræ propter quædam crimina; tales sunt etiam ritus expiatorii per quædam sacrificia.

110. — Prop. II. *Religio primæva plura præ se fert divinæ suæ originis signa.*

Philosophice *certa.*

Prob. Ad divinam alicujus religionis originem dignoscendam, signa dantur intrinseca et extrinseca: intrinseca sunt religionis sanctitas ejusque ab omni errore puritas, necnon et ejus utilitas; extrinseca vero sunt miracula et prophetiæ. Ex his autem signis divina comprobatur esse primæva religio. Etenim:

I. Ex sola religionis consideratione manifestum est, nihil in ea esse quin sanctum, Deo dignum, hominibusque sit utilissimum.

1. *Dogmata* præcipua primævæ religionis, qualia in Genesi proponuntur, hæc sunt: Fides unius Dei, fortis et omnipotentis (Gen. XVII, 1), Creatoris cœli et terræ (I, 11), gubernatoris omnium (III, VII, XLV), supremi legislatoris (II, IX, XVII), supremi judicis pœnas pro criminibus repetentis ((III, VII, XIX). — Creatio hominis ad imaginem et similitudinem Dei, ac proinde animæ spiritualitatem et libertatem (I), hominis lapsus, qui fuit omnis mali exordium (III), hominis ejectio e paradiso, et promissio Redemptoris, ex cujus fide homo Deo reconciliari posset (III); conservatio libertatis in homine post peccatum (IV), et status vitæ futuræ (XXV).

2. *Quoad præcepta:* præter præcepta naturalia, quibus commendantur tum hominis officia erga Deum quem timere, colere et invocare debet, tum officia erga proximum, imprimis reverentia erga parentes, hospitalitas, fides conjugalis, conservatio vitæ alterius: plura a Deo data sunt præcepta positiva, cujusmodi sunt præcepta non manducandi fructum arboris scientiæ, non comedendi sanguinem cum carne, specialem cultum Deo tribuendi, etc.

3. *Ad cultum quod attinet*, licet omnes ritus primitivæ religionis nobis non sint cogniti, constat tamen diem sabbati semper fuisse sanctificatum; cultumque exstitisse externum. Cultu externo præ cæteris se commendavit Enos, *qui cœpit invocare nomen Domini* (Gen. IV, 26). Hic primus determinavit tempus, locum, cæremoniasque ad publicam Dei invo-

cationem. Ex historia Abel, Cain, Abrahæ, Melchisedech, Noe, constat exstitisse oblationes et sacrificia; in historia Abrahæ, de juramento; in historia Jacob, de voto sermo est. Denique in signum specialis fœderis Deus Abrahæ ejusque posteris dedit circumcisionem.

Quibus vero in rebus cum nihil nisi sanctum, Deo dignum, hominibusque ad salutem consequendam utilissimum contineatur, hanc religionem a Deo esse profectam censendum est. Quædam etiam in ea reperiuntur dogmata, quorum cognitio non aliunde, quam ex speciali Dei revelatione, repeti potuit, ut sunt historia creationis mundi, promissio futuri Redemptoris.

II. Signis etiam externis divinitas primævæ religionis manifestatur. — *a)* Deus, ut testatur Moyses, hominibus pluries apparuit. Apparuit Adamo innocenti ut legislator, præcepta imponens; apparuit Adamo lapso et Caino tanquam judex, peccatum ulciscens; apparuit Noe diluvium prænuntians, et post diluvium novas leges promulgans; apparuit Abrahæ novum fœdus statuens, et Liberatoris promissionem iterans. Atqui divinæ istæ apparitiones, cum ejusmodi fuerint ut per eas, præter consuetum ordinem et supra vires naturales, Deus sensibili modo sese manifestaverit, inter vera miracula numerandæ sunt; quæ vero miracula, cum Deus apparuerit vel ut legislator vel ut judex, in testificationem religionis edita esse, manifestum est. — Nec alia desunt signa splendidissima: v. gr., pœna Caino divinitus irrogata, diluvium, Noe ejusque familiæ mirabilis conservatio.

b) Plures etiam constat factas esse prophetias, quibus Patriarchæ in fide confirmari potuerunt: Protoparentibus mors fuit prænuntiata; qua ex comminatione, quid fuerit secutum, ex Abele mortuo mox dijudicare licuit; Noe prænuntiatum fuit diluvium; Abrahæ, interitus Sodomæ et Isaaci nativitas. Hæc autem ex causis naturalibus prævideri non potuerunt.

111. — **Prop. III.** *Revelatio primæva substantialiter eadem est ac revelatio christiana.*

Prob. Constat propositio ex ipsa consideratione dogmatum religionis primævæ, in quibus quasi in nucleo tota christiana

revelatio jam continetur. — Præterea, sicut nos per fidem in Christum justificamur, ita et Patres nostri ab incunabulis mundi per fidem in Christum promissum Deo placuerunt et salvati sunt; quam fidem per sacrificia, Christi mortem præfigurantia, protestati sunt. Unde in Apocalypsi *(XIII, 8)* Christus dicitur *Agnus occisus ab origine mundi;* quia ob origine mundi homines merita mortis Christi per fidem participarunt. « Res ipsa, *ait S. August.,* quæ nunc christiana religio nuncupatur, erat apud Antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera Religio quæ jam erat, cœpit appellari christiana » (*Retract. L. I, c. 13*).

ARTICULUS II.

DE REVELATIONE MOSAICA [1].

112. — Crescente post diluvium hominum multitudine, creverunt et crimina, cognitioque primævæ religionis iterum in terris fere exstincta est. Ne igitur in illa universali hominum defectione vera religio naufragium pateretur, fidesque in futurum Redemptorem prorsus deleretur, pepigit Deus novum fœdus cum Abraham, cui promissionem Liberatoris iteravit, atque in ejus semine sibi populum electum, cui veram religionem fidemque in Messiam committeret custodiendam, præparavit.

Postquam igitur Abrahæ posteri in immensam creverunt multitudinem, Deus per Moysen eis denuo plura manifestavit dogmata, totam in monte Sinai promulgavit legem moralem, formamque addidit totius regiminis societatis religiosæ et civilis, sanctionemque adjecit ut in posterum religio illæsa conservaretur.

Nova hæc revelatio legisque promulgatio vocatur *Lex Mosaica*, quia per Moysen fuit data; vocatur *lex scripta*, quia divinitus scriptis fuit consignata, et ordini levitico, qui eam custodiret et explicaret, commissa. Lex mosaica decursu tem-

[1] Cf. S. Th. I. II, q. 98.

poris voce prophetarum nova suscepit incrementa, eo præsertim fine, ut populus electus ad adventum Redemptoris perfectius præpararetur, viaque ad revelationem christianam propius sterneretur.

De Revelatione mosaica duo sunt demonstranda: 1. revelationem mosaicam a Deo originem duxisse; 2. eam fuisse divinitus ordinatam ad revelationem christianam, ac proinde abrogari debuisse.

§ 1. *De Divinitate revelationis mosaicæ.*

110. — Divinam revelationis mosaicæ originem negant hodierni rationalistæ, ut supra jam monuimus; eam negaverunt etiam antiquiores quidam hæretici, speciatim manichæi, qui Novum Testamentum a bono principio, Vetus vero Testamentum a malo principio ortum habuisse docuerunt.

114. — Prop. *Revelatio mosaica Deum habuit auctorem*[1].

Historice *certa;* theologice *de fide*, ex manifestis Scripturæ testimoniis, et ex decreto Eugenii IV pro Jacobitis, in quo legimus: « Sacrosancta Romana Ecclesia.... unum atque eumdem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, legis et prophetarum, atque evangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque Testamenti Sancti locuti sunt. »

Prob. Illa revelatio recte et vere dicitur Deum habere auctorem, cujus notæ intrinsecæ divinam arguunt originem; cujus præco divinæ suæ missionis invicta præbuit argumenta; cui continuo invigilavit specialis Dei providentia; quæ demum splendido miraculorum atque prophetiarum testimonio confirmata fuit. Atqui talem sese nobis exhibet revelatio mosaica. Ergo.

Probatur minor per partes:

I. *Notæ intrinsecæ revelationis mosaicæ divinam ejus arguunt originem.*

Lex mosaica dogmata continet et præcepta.

[1] Cf. Knoll, § 95; Liebermann, l. 1, c. II, a. 2.

In parte sua dogmatica omnia complectitur doctrinæ capita, quæ Patriarchis fuerunt revelata, quæ tamen Moysi et prophetis expressius fuerunt manifestata. Ipsa Dei unitatem clare affirmat (Deut. VI, 4): *Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est;* naturam Dei, quantum fieri potest, exprimit (Exod. III, 14), *Ego sum qui sum.* Dei providentiam extollit; ejus æternitatem, omnipræsentiam, justitiam et misericordiam, severitatem et bonitatem, cæteraque attributa magnificat. Fidem et spem in futurum Redemptorem nutrit ac fovet. Hominis libertatem et animæ immortalitatem commendat, fidemque alterius vitæ adstruit, in qua justi remunerationem, impii vero pœnam recipient.[1]

Præcepta, quæ in lege mosaica traduntur, triplicis sunt generis, « scilicet *moralia*, quæ sunt de dictamine legis naturæ; *cæremonialia*, quæ sunt determinationes cultus divini; et *judicialia*, quæ sunt determinationes justitiæ inter homines observandæ. » *(S. Th. I. II. q. 99, a. 4).*

Præcepta Moralia decalogo continentur, et hominis officia erga Deum, erga seipsum et erga proximum exhibent, atque non solum exteriores actus regulant, sed et interiores animi sensus præscribunt vel prohibent. Omnia ad hoc diriguntur, ut homo Deum super omnia diligat (Deut. VI, 5): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.*

Præcepta Cæremonialia cultum Deo exhibendum edocent; sacramenta determinant; ritus præscribunt ac cæremonias; sacrificiorum species, locum et tempus indicant; festa celebranda specificant; sabbati sanctificationem imponunt.

Præcepta Judicialia formam civilis regiminis exhibent; relationes populi israelitici cum finitimis gentibus determinant; mutuas relationes inferiorum cum superioribus, superiorum cum subditis, atque subditorum ad se invicem regulant, omniaque determinant, quæ vitæ domesticæ, politicæ atque civili recte instituendæ necessaria aut utilia sunt[2].

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.* P. II, c. 18, n. 26-30. — [2] Cf. S. Th. I. II, q. 99-105.

Jamvero, qui hujus legis naturam scrutatur, non solum nihil in ea deprehendere potest, quod sit Deo indignum, vel rationi contrarium, vel quod ad fines sanctissimos aut hominis utilitatem non tendat: *lex sancta*, ait Apostolus, (Rom. VII, 12), *et mandatum sanctum, justum et bonum;* sed et positive perspiciet eam talem esse, ut non aliunde quam a Deo ortum habere potuerit. Etenim:

1. Plura in ea continentur dogmata, quæ nonnisi ex superna revelatione innotescere potuerunt, ut: certa exspectatio futuri Redemptoris, quæ totius legis caput erat atque centrum; futura mortuorum resurrectio (Dan. XII, 2, 3. — Is. XXVI, 19); merces justorum in cœlis, (Tob. II, 18. — Gen. XV, 1); pœnæ inferni (Sap. V, 8, 14).

2. Testatur experientia doctissimos quosque philosophos nullum unquam systema doctrinale aut sociale concinnare potuisse, quod omni errore fuerit expers. Fieri igitur nequit ut Moyses, qui inter Ægyptios fœtidissimis superstitionibus et gravissimis erroribus deditos fuerit educatus, doctrinam adeo sanctam, in qua ne minimus quidem adsit error, potuerit excogitare, nisi superno lumine adjutus fuisset.

3. Legislatio mosaica fuit perfecta ab initio, atque ea per 15 sæcula gens judaica in rebus tam religiosis quam civilibus regebatur, quin ulla unquam in ea facta sit substantialis mutatio. Leges autem, quæ ab homine oriuntur, sicut testatur experientia, decursu temporis mutantur et perficiuntur, nec unquam ab initio omnimodam suam perfectionem habent.

4. Denique, sanctio, quam Moyses legi adjecit, sunt bona temporalia ab ipso Deo Judæis elargienda, si legem observaverint; mala vero temporalia a Deo inferenda, si legem transgressi fuerint, ut constat præsertim Deut. XXVIII; Levit. XXVI; Josue XXIV, 20. Nequit autem vir sapiens, qualem Moysen fuisse omnes concedunt, talem sanctionem statuere, nisi sit divinitus inspiratus.

II. *Moyses divinæ suæ missionis invicta dedit argumenta.*

Ex dictis (n. 88) constat, fidem præconi esse tribuendam qui, tum eximia clareat sanctitate, tum divinam suam missionem per miracula et prophetias confirmet. Jamvero:

1. Moysen fuisse virum eximiæ sanctitatis, Scripturæ invicte testantur, atque unanimis et constans non solum Judæorum et Christianorum, sed et Mahumetanorum traditio comprobat.

2. Moyses, se nomine Dei locutum esse, ipse sæpius et solemniter testatus est: (Deut. VI, 1): *Hæc sunt præcepta, et cæremoniæ atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus noster ut docerem vos.* (Cf. Exod. XIX et seq.). — Universus etiam populus judaicus Deum per Moysen esse locutum, persuasissimum habebat; (Exod. XIX, 8): *Responditque omnis populus simul: Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus.*

3. Moysen splendida patrasse miracula et prophetias edidisse, ex mox dicendis (infra IV) constat. Hæc autem in confirmationem ejus divinæ missionis esse patrata, ex præconis modo agendi indubium est; (cf. *Exod.* VII et seq.); imo Moyses ad ea explicite provocat. Cum enim Core seditionem movisset: *In hoc scietis,* (ait Moyses populo), *quod Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim. Si consueta hominum morte interierint... non misit me Dominus; sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos.... scietis quod blasphemaverint Dominum.* (Num. XVI).

III. *Legi mosaicæ continuo invigilavit specialis Dei providentia.*

Sanctio legis mosaicæ, ut diximus, lege servata, in ubertate bonorum temporalium; lege autem violata, in malorum irrogatione consistebat. Jamvero ex tota historia populi judaici manifestum est, eum a Deo, legem eum servaret, innumeris cumulatum fuisse beneficiis; legem vero eum abjiceret, maximis calamitatibus fuisse obrutum et in manus hostium traditum; reversum vero ad Dominum, liberatores accepisse, qui semetipsum de manu hostium eruerent. (*Cf. Lib. Judicum.*) Hæc specialis Dei providentia non solum Judæis, sed et finitimis gentibus nota erat; de ea Achior, Ammonitarum dux, Holofernem monuit; *non fuit,* inquit, *qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt*

in prædam, et in gladium, et in opprobrium. Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse a cultura Dei sui, dedit eis Deus cæli virtutem resistendi. (Judith, V).

Nonnulla etiam in lege mosaica erant præcepta, quæ speciali Dei providentia essentialiter nitebantur. Talis erat lex de anno sabbatico, quo terræ cultura prohibebatur. *Quod si dixeritis,* (ait Dominus Moysi), *quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum.* (Levit. XXV, 20). Talis etiam erat lex, qua omnibus masculis præcipiebatur, ut ter quotannis Hierosolymam convenirent, quo tempore a Deo cautum erat, ne hostes terram invaderent. (Exod. XXXIV, 24).

IV. *Miracula et prophetiæ divinitatem religionis mosaicæ invicte probant* [1].

1. Ex omnibus sacris paginis constat splendidissima, sive vivo adhuc Moyse, sive ipso jam mortuo, in gratiam revelationis mosaicæ edita fuisse miracula. Cujusmodi sunt plagæ in Ægyptios immissæ, transitus maris rubri, columna nubis in deserto, fons e rupe scaturiens, punitio Core, Dathan et Abiron, sanatio Israelitarum solo aspectu serpentis ænei, transitus Jordanis, eversio mœnium Jericho, sol consistens ad vocem Josue, etc. Hæc autem miracula in testimonium legis facta fuisse, ex pluribus pentateuchi locis constat, ut legi potest de plagis ægyptiacis (*Exod. V, et seq.*), et de punitione Core (Num. XVI, 28).

2. Ad prophetias quod attinet, præter prophetias, quæ Redemptorem præcinunt, (*de quibus infra dicetur*), plura ab ipso Moyse edita sunt vaticinia, plurima decursu temporis voce prophetarum prolata sunt.

Prænuntiavit Moyses plagas ægyptiacas, manna e cælo dandum, horrendum Core interitum, etc.; ast inter ejus vaticinia, tria sunt præclariora: Murmurante populo post exploratorum reditum, prædixit Moyses neminem eorum, qui vigesimum annum explevissent, terram repromissionis esse in-

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.* P. II, c. 3 et 4.

gressurum, Josue et Caleb exceptis; quod eventu completum est. — Prædixit populo terram septimo quoque anno, annus sabbaticus ut posset servari, fructum trium annorum esse producturam; quod eventu per plura sæcula completum est. — Prænuntiavit Moyses, Deum Judæis temporalem, lege servata, benedictionem esse largiturum; horrendas vero ab eis, lege violata, pœnas repetiturum esse; ex tota autem judaica historia constat hanc prophetiam eventu esse completam.

§ 2. *De ordinatione legis mosaicæ ad religionem christianam et de ejus abrogatione.*

115. — Sancta et justa fuit religio mosaica, et tempore, pro quo data fuit, Deo grata, hominibusque per fidem in futurum Redemptorem salutifera. Nec ipsa tamen Revelationis ultimum fuit complementum: *nihil enim*, ut ait Apostolus, *(Hebr. VII, 19), ad perfectum adduxit lex.* Ejus sacramenta erant egena et infirma elementa *(Gal. IV, 9)*, quæ justitiam legalem, non autem interiorem justitiam, per se conferebant; ejus sacrificia erant typica, et emundationem carnis operabantur, conscientiam autem ab operibus mortuis emundare non valebant *(Hebr. IX, 13, 14)*[1]. — Lex Salvatorem promisit, præfiguravit, et homines ad ejus exspectationem induxit; Salvatorem vero non dedit. — Ipsa igitur revelatio mosaica ex divino decreto ad perfectiorem, ad christianam scilicet, essentialiter fuit ordinata; unde hac semel data, illa evacuari debuit, et jamdudum evacuata et abrogata est. Quod nunc est probandum.

NB. Abrogatio legis mosaicæ, de qua sermo erit, de solis præceptis cæremonialibus et judicialibus, quæ populo judaico propria erant, intelligi debet [2]. Dogmata enim, quæ in lege mosaica revelata sunt, eadem in lege christiana, sed clarius et perfectius evoluta, manserunt; præcepta etiam moralia, cum lege naturali sancita sint, immutabilia sunt, et eadem vigent in religione christiana ac in judaica.

[1] Cf. S. Th. I. II, q. CIII, a. 2. — [2] Cf. S. Th. I. II, q. CIII, a. 3 et 4; et q. CIV, a. 3.

116. — Prop. I. *Lex mosaica aliquando debuit abrogari.* Historice *certa*, theologice *de fide*, ex manifestis Scripturæ testimoniis.

Prob. **Ex ipsius legis mosaicæ testimoniis.**

I. *Ex promissione novi legislatoris, novique fœderis.* Ea lex est aliquando abroganda, in qua divinitus novus promittitur legislator, novumque fœdus prænuntiatur. Atqui: 1. in lege mosaica novus promittitur legislator. Legimus (Deut. XVIII, 15, 18, 19): *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies... Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Jamvero his verbis, *sicut me, similem tui, ponam verba in ore ejus*, declaratur, prophetam illum fore legislatorem novique fœderis mediatorem, cujusmodi fuerit Moyses. — Hunc prophetam fore legislatorem disertis verbis affirmat Isaias (XLII, 1, 4): *Ecce servus meus,... dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet,... et legem ejus insulæ exspectabunt.*

Atqui: 2. Novum prænuntiatur fœdus. Legimus (Jerem. XXXI, 31-33): *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum; non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum;... sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* Hisce verbis, et novum promittitur fœdus; *dicendo autem novum*, inquit Apostolus (Hebr. VIII, 13), *veteravit prius;* et fœdus diversum a fœdere, quod pepigit Deus cum patribus; et fœdus præstantius antiquo fœdere; hoc in tabulis lapideis erat inscriptum; illud in visceribus et in cordibus scribetur.

II. *Ex novi sacrificii novique sacerdotii institutione.* Lex mosaica prænuntiatur abroganda, si ejus sacrificia et sacerdotium, quæ hujus legis præcipua sunt instituta, sunt abroganda et transferenda; *translato enim sacerdotio*, ait Aposto-

lus, (Hebr. VII, 12), *necesse est ut et Legis translatio fiat.* Sed: 1. Præcinuerunt prophetæ, sacrificia legis mosaicæ esse desitura, et novum eis subrogatum iri. Legimus (Dan. IX, 27): *In medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium.* — (Malach. I, 10, 11): *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Sed oblatio munda, quæ in omni loco sacrificatur et offertur, essentialiter diversa est ab illo sacrificio, quod secundum legem in solo templo offerri potuit. *(Cf. Levit. XVII, 8 et 9; — Deut. VII, 13 et 14).*

Sed: 2. Novum institutum iri sacerdotium prædicitur. In lege Vet. levitæ ex sola tribu Levi, sacerdotes ex sola familia Aaron assumi poterant; Novæ Legis legislator sacerdos erit non secundum ordinem aaronicum, sed secundum ordinem Melchisedech gentilis, juxta illud (Ps. CIX, 4): *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* (Cf. ad Hebr. VII); et in novo fœdere ex omni gente assumendi sunt sacerdotes, testante Deo per Isaiam (LXVI, 21): *Assumam ex eis* (gentibus) *in sacerdotes et levitas.*

III. *Ex vocatione gentium.* Fœdus novum, a novo Legislatore condendum, ad omnes gentes, ut permulta testantur vaticinia, pertinere debet. Ait Dominus Abrahamo (Gen. XXII, 18): *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* — Et (Ps. LXXI, 11): *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* — Et (Isaias XLIX, 6): *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Sed, qui extra Judæam commorantur, in multis legem mosaicam observare non possent; sic, v. gr., fieri nequiret ut omnes masculi ter quotannis Jerusalem convenirent, ut præcipitur Exod. XXXIV, 23. Novum igitur fœdus a Christo instituendum ab antiquo fœdere diversum erit.

IV. *Ex prophetia de dispersione populi judaici, atque urbis templique eversione.* Legimus (Dan. IX, 26): *Occidetur Christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo;*

et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Dissipatis autem urbe cum sanctuario, quibuscum tota religio connectebatur, et hæc pereat necesse est.

117. — Prop. II. *Lex mosaica jamdudum est abrogata.* Historice *certa;* theologice *de fide* ex manifestis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. *Ex impletione temporis a prophetis pro adventu Messiæ determinati.* Abroganda erat per Messiam lex mosaica, cui perfectior religio substitueretur; atqui, ut in cap. sequenti dicetur, jamdiu advenit tempus, quo Messiam esse venturum prænuntiabatur. Ergo jamdiu abrogata est lex mosaica.

II. *Ex præsenti statu Judæorum*[1]. Talis erat lex judaica, ut in sola Palæstina observari potuerit; cultus enim ejus exterior fere totus in templo, in quo solo sacrificia offerre licitum erat, Deo exhiberi debuit; omnes masculos Hierosolymam, qui festa solemniora ibi celebrarent, ter quotannis convenire oportebat. Sed 1800 anni jam lapsi sunt, ex quo templum est dirutum, sancta civitas eversa, Judæi e patria ejecti et in opprobrium cunctis gentibus per mundum universum dispersi, sicuti de eis prænuntiatum erat. Legimus enim (Jerem. XXIX, 18): *Dabo eos in vexationem universis regnis terræ; in maledictionem, et in stuporem, et in sibilum et in opprobrium cunctis gentibus ad quas ego ejeci eos.* — Et (Os. III, 4) *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim.*

Ex hac populi judaici dispersione tanta evidentia apparet legis cessatio, ut ipsi Judæi illam inficiari nequeant. Scribit enim Rabbi Samuel ad Rabbi Isaac, anno millesimo[2]: « Nos dispersit (Deus) in captivitatem per quatuor partes mundi hodie sunt mille anni. Apparent in nobis expressæ vestigia iræ Dei, non ad castigationem, sed ad destructionem; et ista est interfectio quam Deus comminatus est quod interficiet Israel, et istæ gentes vivæ vel vicinæ quas vocat

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.* P. II, c. 5; *Via mir.* P. II, c. 3, n. 1 ad 5. — [2] c. 17: cf. S. Anton. *Chronicon,* t. II, fin.: ubi invenitur tota Epistola.

servos suos receperunt nomen quod Deus promisit: sed non ante mortem nostri nominis primi secundum ordinem verborum Dei per Isaiam. »

Nec illud objici potest quod, licet tempore captivitatis babylonicæ Judæi templo, civitate, sacrificio caruerint, lex tamen mosaica permansit. Nam inter utrumque excidium magnum discrimen intercedit. In illo, Judæi per septuaginta tantum annos patria extorres fuerunt; in hoc, per 18 jam sæcula; in illo, non omnes Judæi ex urbe fuerunt expulsi, sed multi Hierosolymæ permanserunt; in hoc, omnes ex urbe sunt ejecti; in illo, judices habebant proprios; in hoc, alienis ubique subjiciuntur legibus; in illo, prophetarum voce recreabantur; in hoc, omni carent solatio. « Videmus manifeste, *inquit Rabbi Samuel*[1], quod in prædicta captivitate 70 annorum Deus erat cum patribus nostris in propheta Hieremia et in aliis prophetis: et dedit illis ducem Salathiel et principes et sacerdotes cum quibus exierunt de Babylonia... Igitur, domine mi, inquiram et non cessabo quærere quod peccatum est illud tantum propter quod sumus in captivitate mille annis: nec habemus prophetam, nec regem, nec sacerdotem, nec altare, nec sacrificium, nec unctionem, nec incensum, nec purificationem? »

CAPUT III.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ IN SEIPSA CONSIDERATA.

118. — Ad ultimum ac præcipuum jam devenimus hujusce nostri tractatus punctum, in quo directe probanda est religionis christianæ divina origo. Ad hanc religionis nostræ divinitatem demonstrandam, duplicis generis præsto sunt argumenta: alia desumuntur ex prophetiis Vet. Legis in Christo adimpletis; alia ex ipsius religionis notis hauriuntur. Probationes primi generis contra Judæos præcipue militant: si enim constiterit prophetias, quæ Messiam prænuntiant, in Christo Jesu fuisse adimpletas, ipsumque Jesum esse Redemptorem Patriarchis promissum et a Judæis exspectatum, constabit etiam judaicam religionem jamdudum veterasse, eique revelationem christianam successisse. Probationes vero secundi

[1] Loc. cit. c. 5.

generis specialius militant contra incredulos, deistas, rationalistas, qui nostræ religionis divinitatem et necessitatem e medio tollere conantur.

In I. igitur art. demonstrabitur Jesum Nazarenum vere esse Messiam a prophetis prænuntiatum; in II. ex religionis notis tam intrinsecis quam extrinsecis ejus divina origo stabilietur.

ARTICULUS I.

DE PROPHETIIS MESSIANIS IN CHRISTO ADIMPLETIS [1].

119. — *Scrutamini Scripturas... et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me* (Joan. V, 39). Hisce verbis Christus Dominus Judæos incredulos allocutus est, quos in sui agnitionem adduceret: tanta enim evidentia fulget prophetiarum in Jesu Nazareno adimpletio, ut qui sincero corde Scripturas fuerit scrutatus, ille procul dubio, Jesum esse Redemptorem promissum, qui novum fœdus Deum inter et homines in suo proprio sanguine statueret, pro comperto sit habiturus. «Paveo, Domine mi, *ait ipse Rabbi Samuel ad Rabbi Isaac, C. 25*, quod nos apostatavimus a Deo in primo adventu istius justi (Christi) de quo induximus authoritates prædictas, et cui expresse conveniunt omnia quæ scripta sunt apud nos in libris legis et prophetarum: propter quam apostasiam Deus sic protendit in longitudinem dierum captivitatem istam nobis; et si exspectamus salvatorem alium ab isto, nihil prodest nobis.»

Prophetiæ messianæ ad tres classes referri possunt: aliæ tempus determinant, quo Messias opus suum adimplere debuit; aliæ Messiæ characteres et munia describunt; aliæ demum Messiæ notas personales referunt.

120. — **Prop. I.** *Christus Jesus tempore adventui Messiæ præstituto, in terris apparuit.*

Historice *certa;* theologice *de fide.*

Quatuor præsertim adsunt prophetiæ, Jacob scilicet, Danielis, Aggæi et Malachiæ, quibus tempus adventus Messiæ determinatur.

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.*, P. II, c. 4 ad 8; *Via mir.*, P. I, c. 1, n. 25 et seq., et P. II, c. 1, n. 52 et seq.

Prop. I. **Ex Prophetia Jacob.** Legimus (Gen. XLIX): *Vocavit autem Jacob filios suos, et ait eis: Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis, ... Juda, te laudabunt fratres tui, ... adorabunt te filii patris tui... Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium* [1].

Jamvero: 1. In hac prophetia sermonem esse de Messia, non solum ex constanti et unanimi Judæorum traditione, sed ex ipsis verbis prophetiæ, pro certo habendum est. Dicitur in ea: *donec veniat qui mittendus est;* sed in Scripturis Messias antonomastice dicitur *mittendus vel venturus.* (Exod. IV, 13. — Hab. II, 3. — Matth. XI, 3). Dicitur etiam: *et ipse erit exspectatio gentium;* sed Messias est *Desideratus cunctis gentibus,* (Agg. II, 8), ad quem fluent omnes gentes (Is. II, 2) et eum deprecabuntur. (Is. XI, 10).

2. In hac prophetia tempus adventus Messiæ determinatur: *non auferetur sceptrum de Juda,* etc. Messias igitur venturus est, quando principatus e familia Juda ablatus genti alienæ tradetur; vel, ut aliis magis placet, venturus est, antequam forma regiminis e familia populoque judaico auferatur.

3. Jesum Nazarenum tempore a Jacob adventui Messiæ præstituto vixisse, historice certum est. Si quis enim existimaverit potestatem dominativam vocabulo *sceptrum* significari, huic facile constabit potestatem hujuscemodi penes familiam Judæ cum majori minorive auctoritate tamdiu permansisse, quoad aliquot annis ante Christum natum ab ea fuerit ablata, atque Herodi alienigenæ tradita, ipsaque Judæa, licet propriis adhuc utens legibus, romano subjecta fuerit imperio. Quando Judæi a Pilato Jesum petierunt, quem crucifigerent, exclamarunt: *Non habemus regem nisi Cæsarem:* quibus verbis solemne præbuerunt testimonium, sceptrum jam fuisse a Juda ablatum, advenisseque tempora a Patre suo Jacob adventui Messiæ præstituta. — Si quis vero existimaverit, formam regiminis populo judaico a Deo per Moysen communicatam vocabulo *sceptrum* significari, huic facile constabit hanc formam re-

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.,* P. II, c. 4, n. 5 (p. 146); Gatti, t. III, p. 8.

giminis in tribu Juda tamdiu perdurasse, quoad aliquot annis post Christum mortuum, per Titum desolatio facta sit in civitate sancta, Jerusalem subversa, templum dirutum, juge sacrificium exstinctum, totaque gens e patria ejecta et in mundum universum dispersa. Quæ generalis desolatio manifeste probat, jam tunc elapsa fuisse tempora a Jacob adventui Messiæ præfinita.

121. — Prob. II. **Ex Prophetia Danielis**[1]. Cum Daniel olim de captivitate babylonica cogitaret, Deumque enixe deprecaretur, Angelus Gabriel locutus est ei dicens (Dan. IX): *Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt; et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et Sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

Jamvero: 1. Hanc Danielis prophetiam esse de Messia, manifestum est tum ex nominibus quibus Messias insignitur; vocatur enim *Christus, Christus dux, Sanctus Sanctorum*, dicitur *occidendus* a suis; — tum ex fine ejus missionis, *ut finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia.* Hæc autem in neminem nisi in solum Messiam cadere possunt.

2. Qua in prophetia modo certo atque definito tempus, quo occidendus est Christus, indicatur, in medio scilicet heb-

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.*, P. II, c. 4, n. 7 et seq.; Gatti, t. III, p. 51.

domadis septuagesimæ ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem; quam Christi occisionem, interposito brevi temporis intervallo, et Sacrificii cessatio, et civitatis atque sanctuarii subversio, et irreparabilis populi judaici desolatio subsequentur.

3. Jesum Nazarenum tempore a Daniele prædicto vixisse, historice certum est. Etenim: *a)* inter omnes constat, si rationalistas excipias atque Judæos, qui post Christum mortuum vixerunt, prædictas hebdomadas idem significare atque hebdomadas annorum, ita ut ab edicto, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad mortem Messiæ, quadringentos et nonaginta annos elabi oportuerit; prædictas vero hebdomadas, neque diuturnioris temporis spatii hebdomadas significare, de quibus in Scripturis nulla unquam recurrit mentio; neque hebdomadas dierum, quum spatium 490 dierum in eventis a Daniele prædictis nequaquam suppeditaret.

b) Prædictum vero edictum, sive illud sit, quod anno septimo regni Artaxerxis Longimani promulgatum est, sive sit rescriptum ab eodem concessum anno vigesimo regni sui, (quæ opinio probabilior videtur, quia in hoc solo rescripto agitur de mœnibus exstruendis), utcumque res se habeat, omnino certum est Jesum vixisse hebdomada septuagesima, et brevi post Jesu mortem civitatem et sanctuarium a populo romano, duce Tito, fuisse dissipata, hostiam et sacrificium defecisse, Judæosque irreparabili traditos fuisse desolationi, sicuti eadem prænuntiavit prophetia.

De hac prophetia scribens Rabbi Samuel, exclamat (C. 8): « Certe Domine mi, non video evasionem contra prophetiam istam, quæ de facto probat nobis quod postquam ad reædificationem templi fuerunt completæ sexaginta duæ hebdomadæ annorum, tunc fuit Jesus occisus a patribus nostris. Et postea venit dux, scilicet Titus, et populus, scilicet romanus, et fecerunt nobis secundum prophetiam istam, hodie jam sunt mille anni. »

122. — Prob. III. **Ex Prophetia Aggiæ et Malachiæ** [1]. Templo post captivitatem babylonicam reædificato, cum huic Judæi templum Salomonis multo antecellere animadverterent,

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. II, c. 4, n. 20; Gatti, p. 59 et 70.

tristati sunt. Tunc consolatus est eos Dominus, prænuntians per os Aggæi et Malachiæ futuram hujus templi gloriam. *Hæc dicit Dominus exercituum*, ait Aggæus (C. II): *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria... Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum: et in isto loco dabo pacem.*

Apud Malachiam, C. III, legimus: *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis: ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

Jamvero: 1. Manifestum est has prophetias ad Messiam spectare, quippe qui solus est *Desideratus cunctis gentibus, Dominator*, quem Judæi quærunt, et *Angelus testamenti*, quem volunt.

2. Manifestum est has prophetias tempus adventus Messiæ indicare; oportuit enim Messiam in templum venire, quod gloria impleret, et in quo pacem daret.

3. Certum est Jesum Nazarenum in templum venisse; templum vero post Christi mortem mox fuisse destructum.

Corollarium: 1. Ex prædictis igitur prophetiis constat, jamdiu elapsum esse tempus a Deo adventui Messiæ destinatum; atque apud Judæos venturi Liberatoris exspectationem vanam esse atque irritam.

2. Cum nullus præter Christum Jesum assignari possit, qui tempore a prophetis prænuntiato vixerit, et in quem notæ veri Messiæ quadrare possint, exinde jure ac merito inferimus prophetias messianas, quibus tempus determinetur, in Jesu fuisse adimpletas, Ipsumque verum esse Liberatorem Patriarchis promissum, qui legem mosaicam consummaret, fœdusque novum Deum inter et homines statueret.

123. — Prop. II. *Prophetiæ, quæ Messiæ characteres et munia prænuntiant, in Christo Jesu sunt impletæ.*

Historice et theologice *certa.*

Prob. Quatuor a prophetis assignantur characteres Messiæ: Messiam quidem ex prophetiis Regem, Sacerdotem, Prophe-

tam et Legislatorem esse oportet. Ejus autem munia sunt ut tanquam Salvator homines Deo reconciliet; et ut, abolito fœdere mosaico, novam, ad quam fluant omnes gentes, religionem instituat. Atqui hæc omnia in Jesu impleta sunt. Etenim:

I. **Ad characteres Messiæ quod attinet:**

1. Messiam esse **Regem** oportet: (Ps. II, 6): *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus.* — (Is. IX, 7): *Super Solium David, et super regnum ejus sedebit.* — De Jesu scriptum legimus (Luc., I, 32): *Dabit illi Dominus Deus sedem David, Patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.*

2. Messiam esse **Sacerdotem** oportet: (Ps. CIX, 4): *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* — Jesum esse hunc sacerdotem, testatur S. Paulus (Hebr. V). De Jesu etiam scripsit Apostolus: (Hebr. VII, 24): *Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.*

3. Messiam **Prophetam** esse atque **Legislatorem** oportet: (Deuter., XVIII, 18): *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* — Jesum fuisse prophetam, certum est (ex infra dicendis n. 136); ipsique Judæi, videntes opera ejus, *dicebant quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum.* (Joan., VI, 14). Ipsum vero fuisse legislatorem, universus orbis, utpote qui legem Christi sit amplexus, proclamat.

II. **Ad munia Messiæ quod attinet:**

1. Messiam prædicitur fore Salvatorem: (Zacch., IX, 9): *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et Salvator.* — De Jesu canunt Angeli (Luc. II, 11): *Natus est vobis hodie Salvator.* — Et Samaritani confitentur (Joan., IV, 42): *Et scimus quia hic est vere Salvator mundi.*

2. Messiam oportet fœdus mosaicum abolere et novum instituere. (Cf. dicta n. 116). — Jesus novum instituit testamentum. (Matth. XXVI, 28): *Hic est sanguis meus novi testamenti.* — (Hebr. IX, 15): *Et ideo novi testamenti mediator est.*

3. Messiam oportet religionem instituere, ad quam fluent omnes gentes: (Malach. I, 10): *Et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* — (Is., II, 2): *Et fluent*

ad eum omnes gentes. — Jesus misit Apostolos in universum mundum: (Marc., XVI, 15): *Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ;* et re vera, nobis constat sonum eorum ivisse ad terminos terræ, oblationemque mundam in Sacrificio missæ ubique terrarum Deo offerri, omnesque gentes ad Christum fluere, ut in conspectu ejus Deum adorent. (Ps., XXI, 28).

124. — Prop. III. — *Prophetiæ, quæ personales Messiæ notas describunt, in Jesu Nazareno sunt impletæ* [1].

Historice *certa*, theologice *de fide.*

Prob. Notæ personales Messiæ a prophetis delineatæ, ad ejus ortum, vitam, passionem et exaltationem pertinent. Has autem notas Christo Jesu omni ex parte convenire, ex evangelica narratione constat.

I. **Prophetiæ de ortu Messiæ.**

1. Messias oriturus erit ex semine Abrahæ, et ex familia Davidis. (Genes. XXII, 18): *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* — (Isai. XI, 1): *Egredietur Virga de radice Jesse.* — (Jerem. XXIII, 5, 6): *Ecce dies venient: et suscitabo David germen justum;... et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus, justus noster.* — Christus, sicut ex ipsius genealogia constat, e stirpe Davidis ortus est.

2. Messias nasciturus est ex Virgine (Isai. VII, 14): *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* — Jesus natus est ex Virgine. (Matth. I. — Luc, I. 35).

3. Messias nasciturus est in Bethlehem (Mich. V, 2): *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel; et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* — Jesum in Bethlehem natum esse referunt Evangelistæ. (Matth. II, — Luc. II).

II. **Prophetiæ de vita Messiæ.**

1. Messias adorabitur a Magis (Ps. LXXI, 9-11). — Jesus in suo ortu fuit adoratus (Matth. II).

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. II, c. 7 et 8; et *Evid. fidei*, c. 5; Gatti, T. III, p. 78; Liebermann, P. II, c. 2, sect. 2, a. 3.

2. Commoraturus est in Ægypto (Os. XI, 1): *Ex Ægypto vocavi filium meum.* — Jesus fugiens Herodis iram secessit in Ægyptum. (Matth. II.)

3. Habebit præcursorem (Isai. XL, 3): *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini.* — (Malach. III, 1): *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.* — Jesus Joannem habuit præcursorem. (Matth. III, — Marc I. — Luc. III, — Joan. I.)

4. Novum prædicabit Evangelium (Isai. LXI, 1): *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde* etc. Quod quidem Jesum præstitisse compertum est.

5. Messias suam miraculis doctrinam probabit (Isai. XXXV, 4-6): *Deus ipse veniet, et salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* — Jesus discipulos Joannis ad sua miracula provocat (Matth. XI, 4, 5): *Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.*

6. Messias vitam pauperem et humilem transiget, atque summam præ se feret mansuetudinem. (Zach. IX, 9): *Ipse pauper, et ascendens super asinam.* — (Isai. XLII, 1 et seq.): *Ecce servus meus... non clamabit,... nec audietur vox ejus foris; calamum quassatum non conteret* etc. — Jesus non habuit ubi caput reclinaret (Luc. IX, 58), et humilitate atque mansuetudine fuit commendatus. (Matth. XI, 29).

7. Ingressus triumphalis Messiæ super asinam prædicitur a Zacharia, (IX, 1): *Exulta filia Sion... ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator. Ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ.* — Jesum super asinam ingressum esse Jerusalem, omnes Evangelistæ narrant.

III. **Prophetiæ de passione Christi.**

Quidquid de Messiæ passione et morte cruenta prædictum fuerat, tam perfecte in Christo Jesu impletum est, ut prophetæ, speciatim Isaias, potius Jesu jam mortui historiam texuisse, quam ipsius passionem futuram prædixisse, videantur. — Secundum prophetias, Messias:

1. Prodetur a discipulo (Ps. XL, 10): *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

2. Vendetur triginta argenteis (Zach., XI, 12): *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.*

3. A suis deseretur (Zach. XII, 7): *Percute pastorem, et dispergentur oves.*

4. Agonia cruciabitur (Ps. LIV, 5): *Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me.*

5. Accusatus obmutescet. (Isai. LIII, 7): *Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur; et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.*

6. Flagellis et alapis cædetur, et sputis conspuetur. (Isai. L, 6): *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* — (Thren. III, 30): *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

7. Ad mortem damnatus cruci affigetur (Ps. XXI, 17): *Concilium malignantium obsedit me; foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.* — (Zach. XIII, 6): *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?*

8. Inter latrones morietur (Isai. LIII, 12): *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est.*

9. Deridebitur a prætereuntibus (Ps. XXI): *Ego autem sum vermis et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

10. Felle et aceto potabitur. (Ps. LXVIII, 22): *Dederunt in escam meam fel; et in siti mea potaverunt me aceto.*

11. Lancea in latere perfodietur (Zach., XII, 10): *Aspicient ad me, quem confixerunt.*

12. Vestimenta ejus dividentur. (Ps. XXI, 19): *Diviserunt sibi vestimenta mea, et in vestem meam miserunt sortem.*

13. In ejus morte deficiet sol, et terra concutietur: (Amos, VIII, 9.) *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.*

14. Non confringentur ejus crura: (Numer. IX, 12.) *Os ejus non confringent.*

Hæc autem omnia in Jesu patiente perfecte impleta esse, ex evangelica narratione manifestum est.

IV. **Prophetiæ de exaltatione Messiæ.**

Prænuntiaverunt prophetæ: 1. Messiæ descensionem ad inferos, atque Patriarcharum liberationem ex limbo. (Osee. XIII, 14): *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne!* — (Zach. IX, 11): *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* — Quæ loca ipsi Judæi de Messia intelligunt.

2. Ejus gloriosam resurrectionem. (Ps. XV, 10): *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* — (Isai. XI, 10): *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.*

3. Ejus exaltationem et regnum. (Dan. VII, 13-14): *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem et regnum, et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient.* — (Ps. CIX, 1): *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.*

Hæc autem omnia impleta sunt in Jesu Nazareno, qui post mortem suam descendit ad inferos, et tertia die resurrexit a mortuis; qui, cernentibus Apostolis, elevatus est in cœlum, ubi sedet ad dexteram Patris; cui omnes populi, tribus et linguæ serviunt per universum mundum.

125.— Conclusio: Cum omnes prophetiæ messianæ Vet. Test. in Jesu Nazareno, et in eo solo, fuerint penitus impletæ, nemini non manifestum est Jesum vere esse Liberatorem Patriarchis promissum, a Judæis exspectatum, a Gentibus desideratum; ac proinde ejus religionem solam esse veram, solam

Deo acceptabilem, extra quam nulli speranda est salus. — *Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor Judæorum* (II Cor., III, 15); Judæique audientes vocem prophetarum non intelligunt, et videntes visionem non cognoscunt (Isai. VI, 9) de Jesu scripta fuisse, quæ in Vet. Testamento continentur: sed alium Salvatorem exspectant et pereunt. Et ita Redemptor gentibus factus est in sanctificationem, *in lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel; in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem.* (Is. VIII, 14).

ARTICULUS II.

DE CRITERIIS PROPRIE DICTIS REVELATIONIS CHRISTIANÆ.

126. — Criteriorum, quibus doctrinæ divinitas probatur, alia sunt intrinseca ex natura doctrinæ desumpta; alia extrinseca ex persona præconis et factis quibusdam externis hausta (n. 73). Probanda est igitur christianæ religionis divinitas 1. ex notis intrinsecis, seu ex natura ipsius religionis; 2. ex persona præconis; 3. ex factis externis.

§ 1. *De notis intrinsecis religionis christianæ*[1].

127. — Prop. *Ex sublimi religionis christianæ excellentia ejus divinitas recte probatur.*

Philosophice et theologice *certa.*

Quam ut probemus propositionem, duo sunt demonstranda: 1. excellentissimam esse religionem christianam; 2. ex hac excellentia recte inferri, eam præter Deum alium auctorem habere non posse.

Prob. I Pars: *Excellentissimam esse christianam religionem.*

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. II, c. 13, et P. III, c. 1; *Evid. fidei*, P. I, c. 1; Valsecchi, *Fundam. fid.*, l. II, c. 11 et 12; *Curs. compl.*, T. III, p. 274 et seq.

Religio considerari potest in suis dogmatibus, in suis præceptis, in sua sanctione, in mediis salutis quæ hominibus ad finem suum ultimum consequendum suppeditat.

1. **In ejus dogmatibus:** *a) effulget sublimitas:* Religio christiana omnia legis naturæ dogmata continet novaque luce illustrat; dogmata legis mosaicæ, et sua facit, et modo magis explicito proponit, et novis auget mysteriis. — *Ad Deum quod attinet,* docet ipsum unum in essentia et trinum esse in personis; omnium perfectionum cumulo adornatum; rerum omnium primum principium et finem ultimum; omnia vigilanti cura gubernare; hominibus adeo esse amicum, ut ad eos liberandos Pater Filium suum Unigenitum in mundum mittere, ipseque Filius mortem subire dignatus sit; etc. — *Ad hominem quod attinet,* dotes ejus naturales commendat, ut spiritualitatem, libertatem, immortalitatem; sed dotes ejus supernaturales imprimis extollit, has scilicet, quod ad imaginem Dei creatus et ad ordinem supernaturalem elevatus est; quod per gratiam in vitam renascitur superiorem et divinam, consors fit ipsius divinæ naturæ, membrumque constituitur corporis illius mystici, cujus Christus est caput; quod ejus finis est ipse Deus facie ad faciem in cœlis videndus, etc.

b) Effulget puritas: licet christiani nominis hostes omnem lapidem moverint, ut in ejus dogmatibus contradictionem aut cum recta ratione repugnantiam detegerent; nihil tamen falsum, nihil indecorum, nihil sibi aut rectæ rationi contradicens, nihil quod summam sapientiam et sanctitatem non redoleat, in medium unquam adferre potuerunt.

c) Effulget simplicitas et certitudo: Christus et Apostoli non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis doctrinam tradiderunt; sed summa simplicitate omnium captui sese accommodarunt, sapientibus et insipientibus sese debitores constituerunt, et mysteria altissima verbis simplicissimis docuerunt. — Nec opinando, sicut a philosophis fieri assolet, sed docendo et affirmando doctrinam proposuerunt. *Erat enim* (Jesus) *docens eos, sicut potestatem habens, et non sicut scribæ eorum et pharisæi.* (Matth. VII, 29). Unde merito scribere po-

tuit *S. Thomas*[1]: « Nullus philosophorum ante adventum Christi cum toto conatu suo potuit tantum scire de Deo et de necessariis ad vitam æternam, quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem. »

2. **In præceptis suis** religio regulam morum exhibet *a) Sanctissimam*, quæ omnia in hominis sanctitatem ordinat. (I Thessal., IV, 3): *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra.* — Quocirca præceptis consilia adjicit, ut homines per voluntariam castitatem et paupertatem, per perfectam sui ipsius abnegationem, atque excellentissimam omnium virtutum praxim ad altissimam evehat perfectionem: (Matth. V, 48): *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.*

b) Simplicissimam: omnia Novæ Legis officia in caritate, quæ est vinculum perfectionis, compendiose includuntur. (Matth. XXII, 37-40): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ. — Qui diligit proximum*, inquit etiam Apostolus, Rom. XIII, *legem implevit. Nam: non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod aliud est mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum... Plenitudo ergo legis est dilectio.*

c) Universalissimam, quæ omnia hominis officia erga Deum, erga seipsum, et erga proximum determinat; omnes virtutes præscribit vel commendat, omnia vitia prohibet; quæ non solum actus externos attingit, sed et internos animi motus regulat.

« Tu, *inquit S. Augustinus*, feminas viris suis non ad explendam libidinem sed ad propagandam prolem et ad rei familiaris societatem casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum sed sinceris amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis... Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhærere. Tu dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione pla-

[1] Opusc. VII, *De exposit. symb.* c. 1.

cabiles et ad consulendum quam coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis, omnes populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia et omnibus caritas et nulli debeatur injuria. » (*De moribus Eccl., L. I, c. 30, n. 63.*)

3. **In sua sanctione** lex evangelica altissima est et sapientissima. Non præmia promittit temporalia, aut mala minatur terrena; sed eis qui legem observant, in futuro sæculo vitam promittit æternam (I Joan. II, 25): *Et hæc est repromissio quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam;* et in præsenti, pacem et gaudium bonæ conscientiæ (Matth. XI, 29): *Discite a me quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris.* — (Rom. XV, 13): *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo.* — Impiis autem, qui legem observare recusant, reservatur gehenna *ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.* (Marc. IX, 43), et in hac vita est *contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt* (Rom. III, 16).

4. **In mediis salutis,** quæ homini præbet, est efficacissima. Maximum salutis medium est *ipsa Ecclesia*, quam Redemptor eo instituit consilio, ut per eam opus Redemptionis ad omnia tempora et loca protenderetur. — Deinde commendatur *oratio*, quam S. Alphonsus merito magnum salutis medium vocavit, quia per eam omnium gratiarum thesaurus aperitur; commendatur *sacrificium Missæ*, cujus « oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. » (*Concil. Trid. Sess. XXII, Cap. 2).* — Commendantur præsertim *sacramenta*, per quæ fructus dominicæ passionis speciali modo nobis applicantur, et in omnibus vitæ spiritualis necessitatibus opportunum præstatur auxilium. Commendantur denique *alia permulta media*, quibus S. Mater Ecclesia fideles excitat, vel ut a somno peccati et teporis exsurgant, vel ut in justitia in diem crescant donec dies æternitatis eis elucescat.

128. — Prob. II Pars: *Religionem christianam alium atque Deum auctorem habere non posse.*

Qui religionem christianam a Deo ortum ducere negant, asserere coguntur Christum, purum hominem, ipsam vel proprio ingenio excogitasse, vel eam hausisse ex lege mosaica, et speciatim ex systematibus philosophicis orientalibus, ut hodiedum non pauci rationalistæ temere effutiunt. Sed neutrum dici potest.

1. *Neque potuit Christus purus homo tam sublimem excogitare doctrinam.* Experientia constat, nullum unquam philosophum quantumvis doctum, nullamve scholam philosophicam omnibus humanis adjumentis instructam, corpus quoddam doctrinale aut systema ethicum, quod erroribus etiam crassioribus contra Deum aut legem naturalem fuerit expers, concinnare potuisse. Quis igitur sapiens asserere audeat Christum, si purus supponatur homo, utpote scientiis non excultum, et opibus humanis destitutum, systema religiosum adeo sanctum ac sublime excogitare potuisse, in quod nullus irrepserit error; in quo omnia ab initio tam perfecta fuerint, ut ne iota quidem fuerit immutatum; in quo etiam multa contineantur mysteria, quæ ab homine inveniri nullatenus potuissent?

2. *Neque potuit Christus suam doctrinam ex cognitione aliarum doctrinarum haurire.* — *a)* Christus litteras non didicit, ut ipsi Judæi testantur (Joan. VII, 15), nec scholis interfuit, in quibus lex mosaica aut philosophorum systemata exponebantur.

b) Etsi Christus legis mosaicæ expositionem aut philosophorum systemata didicisset, ex horum tamen cognitione suam doctrinam haurire non potuisset. *Non ex lege mosaica:* summa quippe est disparilitas legem mosaicam inter et christianam. Plura dogmata explicite tradidit Christus, quæ in lege mosaica implicite tantum continebantur, et ab homine citra novam revelationem ex lege certo cognosci non potuissent. Plura etiam legis præcepta abolevit Christus, quibus perfectiora et sublimiora subrogaret, non in timore fundata sicut in lege Moysis, sed in caritate; altiorem denique adjecit

sanctionem: quæ omnia Christus ex lege mosaica haurire nequivit. — *Non in doctrina philosophorum:* Silent philosophi de mysteriis, quæ in nostra religione continentur: itaque a philosophis Christus ea mutuari non potuit.

Præterea, licet philosophi plures veritates sive ratione comparatas, sive a primæva traditione acceptas cognoverint, eas tamen, ad Deum et mores quod attinet, tantis erroribus commiscuerunt, ut vires humanæ prorsus impares sint corpori doctrinæ ex eis colligendo, quod nullis scateat erroribus, tantamque præ se ferat puritatem et sublimitatem, quantam in se exhibeat religio christiana.

Religionem christianam a philosophis suam mutuari non potuisse doctrinam, eo magis perspicuum est, quod tum apud omnes gentes, tum etiam apud Græcos et Romanos, speciatim temporibus Christi, philosophia in statum deterrimum delapsa erat. *Quoad Deum* alii in pantheismum, alii in atheismum, alii in polytheismum et idololatriam declinaverant. *Quoad hominem,* animæ spiritualitatem, libertatem et immortalitatem, totius moralitatis fontem, in dubium revocaverant. *Quoad morum regulam,* omnia pene naturalis rationis recta dictamina commutaverant. *Quoad scientias in genere,* plerique in putidum devenerant scepticismum (cf. n. 60). Exinde orta est apud paganos etiam præstantissimos maxima illa morum corruptela, quam horrens describit Apostolus, *(Rom. I).*

Quis autem sapiens ita sibi persuadere possit ex tam putido fonte tempore brevissimo scaturire potuisse religionem tam sanctam, tam mundam, tam sublimem, qualem Christus suis proposuit discipulis? — Ex natura igitur religionis christianæ ejus divina origo evidenter evincitur.

§ 2. *De Persona Præconis.*

129. — Religionis christianæ duplex est præco, *principalis* unus, Christus Dominus noster, qui propria auctoritate religionem fundavit; *ministeriales* alii, scilicet Apostoli, qui doctrinam Magistri gentibus annuntiaverunt. De Apostolis nihil hic dicendum est. Ex iis enim quæ supra (n. 104 et seq.) de

veracitate librorum Novi Test. dicta sunt, sufficienter jam constat Apostolos probos, sinceros et sanctos fuisse; nihil autem aliud præterea in religionis præcone ministeriali, fidem ut faciat, requiritur. — Reliquum est igitur ut religionis christianæ divina origo ex charactere ipsius Christi probetur.

130. — Prop. *Ex charactere Christi divina religionis origo certo evincitur.*

Philosophice *certa*; theologice *de fide.*

Prob. Christus non semel, sed sæpe et clarissime testimonium suæ divinæ missionis reddidit; clare testatus est se esse Messiam Patribus promissum: mulieri samaritanæ confitenti: *Scio quia Messias venit*, respondit: *Ego sum, qui loquor tecum.* (Joan. IV, 26): constanter asseruit ex Deo esse doctrinam, quam annuntiabat. (Joan. VII, 16): *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* — (Joan. XII, 49): *Ego ex meipso non sum locutus: sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar... Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Christus igitur seipsum hominibus exhibuit ut Dei legatum; quod cum ita sit, dicendum est vel divinam esse quam proposuerit doctrinam; vel ipsum fuisse deceptum aut alios decipere voluisse. Sed:

1. *Eximia Christi sapientia, cum circa divinam suam legationem non fuisse deceptum, evidenter demonstrat.*

Eximiam Christi sapientiam mirati sunt omnes Judæorum classes. Legis Doctores (Luc. II, 47): *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus.* — Scribæ (Luc. XX, 39, 40): *Respondentes autem quidam scribarum dixerunt ei: Magister, bene dixisti. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.* — Ministri Pharisæorum, (Joan. VII, 46): *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* — Turbæ, quæ *mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant: Nonne hic est filius Joseph?* (Luc. IV, 22).

Emicuit hæc summa Christi sapientia, tum in sublimitate et altitudine doctrinæ, quam præstantissima quæque ingenia quo penitius scrutantur eo magis mirantur; tum in puritate doc-

trinæ, in qua nullus unquam error, nulla contradictio detegi potuit; tum in responsis, quibus insidiosa Pharisæorum interrogata redarguit, ut patet ex historia mulieris adulteræ, (Joan., VIII), ex redditione census (Matth., XXII); tum in toto genere dicendi: docuit enim Christus summa simplicitate et gratia, omnium captui sese accommodans, et tanquam auctoritatem habens. — Uno verbo, tanta semper in Christo emicuit sapientia, ut hodierni etiam rationalistæ, licet christiano nomini infensissimi, eam agnoscere et extollere cogantur.

Fieri autem nequit ut vir tantæ sapientiæ, imaginatione delusus, sibi falso persuadere potuerit seipsum a Deo, novæ religionis edicendæ causa, divinitus fuisse missum.

2. *Eximia Christi sanctitas, ipsum alios voluntarie decipere noluisse, evidenter demonstrat.*

Qui Christi sanctitatem, qualis ab Evangelistis proponitur, describere, vel ejus virtutes referre vellet, totam Christi vitam enarrare deberet: nihil enim in tota ejus conversatione reperitur, quin eminenti perfectione fulgeat. Pauca igitur delibasse sat fuerit.

Et primo quidem, tanta in Christo reperitur morum integritas, tanta vitæ puritas et innocentia, ut infensissimi quique ejus hostes nullam unquam in eo maculam deprehendere potuerint, ipseque fidenter eis dicere potuerit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (Joan., VIII, 46).

Deinde, ad virtutes quod attinet, omnium perfectissimum exemplar Christus in se hominibus exhibuit. Summa erga Deum Patrem caritate æstuans, zelo consumebatur pro ejus nominis gloria *(Joan., II, 17)*; ejus honorem in omnibus intendebat *(Joan., VIII, 49)*; quæ placita Patri fuerant, faciebat semper *(Joan., VIII, 29)*; eique ad mortem usque fuit obediens *(Philip., II, 8)*. — Mitis et humilis corde *(Matth. XI, 29)*, propriam gloriam nunquam quæsivit, *(Joan., VIII, 50)*, nec ab hominibus se laudari sivit *(Marc., VII, 36)*, divitias et honores sprevit *(Matth. IV)*, pauperem vitam duxit *(Matth., VIII, 20)*, ipsamque regiam dignitatem despexit *(Joan., VI, 15)*; et cum in gaudio vitam transigere potuisset, asperam elegit vitam et sustinuit crucem *(Hebr., XII, 2)*.

Homines summo amore diligens, ubique transiit benefaciendo *(Act., X, 38)*, ægros sanavit *(Marc., VII, 37)*, mœstos consolatus est *(Luc., VII, 13; XXIII, 28)*, ignaros edocuit. Pro suis tortoribus veniam efflagitavit *(Luc., XXIII, 34)*, nec Judam proditorem a se repulit *(Matth., XXVI, 50)*. Obmutescens gravissima quæque sustinuit supplicia, suamque vitam pro opere, quod implendum suscepit, profudit in cruce; et doctrinam, ad quam prædicandam divinitus se missum fuisse toties testatus est, sanguine suo quasi sigillo confirmavit.

Hujuscemodi autem vitæ sanctitas a præcone omnem fraudis et voluntariæ deceptionis suspicionem repellit. — Ex indole igitur et charactere Christi religionis divina origo evidenter evincitur.

§ 3. *De Factis externis.*

Tria sunt facta externa, quibus religionis christianæ divinitas invicte probatur, miracula scilicet proprie dicta, prophetiæ, et miracula in ordine morali.

I. *De Miraculis proprie dictis.*

131. — Miracula, cum a solo Deo effici possint, decretoria divinitatis religionis, cujus in gratiam edantur, esse criteria, supra satis demonstratum est (n. 88). Miraculorum, quæ in testimonium christianæ religionis sunt patrata, alia facta sunt ab ipso Christo, ab Apostolis cæterisque sanctis alia. Inter Christi autem miracula, ut splendidissimum, atque ad religionem probandam efficacissimum, miraculum dominicæ resurrectionis habendum est. Probanda est igitur religionis divinitas 1. ex miraculis Christi in genere; 2. ex miraculo resurrectionis in specie; 3. ex miraculis Apostolorum aliorumque Sanctorum.

132. — Prop. I. *Ex miraculis a Christo patratis religionis christianæ divinitas evidenter probatur* [1].

[1] Cf. S. Th. P. III, q. 43 et 44; S. Alph., *Ver. fid.* P. II, c. 14, et P. III, c. 1, § 2; *Evid. fidei,* c. 6; Valsecchi, l. II, c. 16.

Philosophice *certa;* theologice *de fide*, ex Vatic. Const. *Dei Filius*, c. III, can. 4.

Prob. Ut ex miraculis Christi divinitas religionis evidenter probari possit, quatuor constare debent, scilicet: 1. Christum opera miraculosa patrasse; 2, illa opera esse historice certa; 3. illa esse vera miracula, a solo Deo producta; 4. illa demum in testimonium religionis fuisse edita. Atqui hæc quatuor certissima sunt.

1. Christum *opera miraculosa edidisse* ex Evangeliis manifestum est. Ipse Christus discipulis Joannis dixit (Luc. VII, 22): *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur;* et S. Lucas testatur (VI, 18, 19): *Qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* — Christus, *ut disserit S. Th.*, P. III, q. 44, fecit miracula circa spirituales substantias, ejiciendo dæmones; circa corpora cælestia, ut manifestum est de stella, quæ in ejus ortu apparuit; et de tenebris et obscuratione solis, quæ in ejus morte contigerunt; circa homines, sanando eos a quacumque detinebantur infirmitate; circa creaturam irrationalem, ut patet de miraculosa piscatione, de multiplicatione panis, etc.

Hæc opera Christus non in abscondito, sed publice, coram populo operatus est; insuper hæc opera adeo splendida et clara erant, ut infensissimi ejus hostes ea negare non potuerint. *Quid facimus*, aiebant Pontifices, *quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* (Joan. XI, 47).

2. Miracula Christi *esse historice certa* ex iis constat, quæ de veracitate librorum Novi Test. dicta sunt (n. 106). Sed de his operibus testes habemus non solos Apostolos Christi amicos, sed et Judæos et ethnicos, ut Celsum, Porphirium, Julianum Apostatam, licet hi magicis artibus ea tribuerent. « Fuit autem, *ait Flavius Josephus*, eisdem temporibus Jesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est; erat enim mirabilium operum patrator, et doctor hominum eorum qui libenter quæ vera sunt, audiunt. » *(Antiq. Jud. L. XVIII, C. 6).* —

Et de Celso scribit *Origines:* « Assensum quodam modo præbet miraculis quæ Jesus fecit, et quibus multos adduxit, ut ipsum tanquam Christum sequerentur. At miracula illa non virtute divina, sed magicis artibus facta fuisse calumniatur. » *(Adv. Cels., L. I, n. 38).*

3. Opera Christi miraculosa *vera fuisse miracula,* solius Dei interventu, non autem ope dæmonis aut occultarum naturæ virium producta, manifestum est vel ex specie operum, vel ex modo quo Christus miracula patravit, vel ex fine operum.

Ex specie operum: Plura operatus est Christus, quæ omnem creatam virtutem evidenter superant, et a sola potentia infinita produci queunt: cujusmodi sunt mortuorum resuscitatio, cæcorum illuminatio. Hæc igitur nec a diabolo nec a natura effici potuerunt; sed solum Deum habere possunt auctorem.

Ex modo miracula patrandi: Christus ægrotos non solum coram se præsentes, sed et absentes, subito curavit, et plerumque solo vocis imperio; vel si externarum rerum adminiculo usus sit, media fini omnino imparia adhibuit, ut cum oculos cæci luto linivit. Quamvis autem omnes naturæ vires non cognoscamus, scimus tamen naturam ægrotos non subito sed gradatim ad sanitatem reducere, et mediis quidem opportunis reapse applicatis. Item, licet omnem virtutem dæmonis non cognoscamus, scimus tamen eum per solam causarum secundarum applicationem, ac proinde nec solo imperio, nec in ipso temporis articulo, ægrotos sanare posse. Ex modo igitur, quo Christus miracula edidit, manifestum est ea nec ope occultarum naturæ virium, nec ope dæmonis edita fuisse.

Ex fine operum: Christus miracula operatus est ut Deum glorificaret, ut bonos mores promoveret, ut homines ad verum Dei cultum adduceret, ut se Dei legatum Messiamque esse testificaretur: uno verbo, ut regnum Dei stabiliret, regnumque diaboli prosterneret. Sed diabolus contra seipsum non operatur. Ergo non ope dæmonis Christus edidit miracula. Hoc argumento jam ipse Christus contra Judæos usus est. *Si satanas,* inquit, *satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus? Et si ego in Beelzebub ejicio dæ-*

mones, filii vestri, in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. (Matth. XII, 26 et seq.).

Confirmatur propositio ex fructibus, quos ex miraculis Christi mundus percepit. Crediderunt in Christum propter miracula multi ex Judæis, non solum indocti et plebeii, sed et docti et proceres, ut Nicodemus, Zachæus, Lazarus, Joseph ab Arimathæa,et multi ex principibus (Joan. XII, 42). — Credidit et orbis terrarum. Quî autem fieri potuisset ut in re tanti momenti, qualis est religionis mutatio, tot Judæi, tot gentes extraneæ, nisi vera miracula a Christo fuisse patrata, eaque a solo Deo esse profecta persuasum habuissent, quî, inquam, fieri potuisset, ut Christi propter miracula hunc sequerentur doctrinamque austeram amplecterentur? *Nemo,* dixit Nicodemus, *potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* (Joan. III, 2).

4. Indubium est etiam, Christum *in testificationem suæ divinæ missionis* miracula edidisse. Ad ea provocat, ut discipulis Joannis se Messiam esse demonstret. Sciscitantibus enim: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus,* respondit: *Renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur,* etc. (Matth. XI, 3 et seq.) — Judæis quærentibus: *Si tu es Christus, dic nobis palam,* respondit Jesus: *Loquor vobis, et non creditis; opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* (Joan. X, 24, 25). — Discipulis ex miraculis probat se esse unum cum Patre: *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* (Joan. XIV, 11, 12). — Lazarum a mortuis suscitavit, *ut credant quia tu me misisti.* (Joan. XI, 42.)

133. — **Prop. II.** *Ex miraculo resurrectionis Christi divinitas christianæ religionis invicte probatur*[1].

Philosophice *certa;* theologice *de fide,* ut supra.

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.,* P. II, c. 15; Gatti, t. III, p. 142; S. Th. III, q. 55, a. 5 et 6.

Omnium Christi miraculorum splendidissimum, atque ad divinitatem religionis nostræ probandam efficacissimum, gloriosa Christi resurrectio est; unde et rationalistæ nihil intentatum relinquunt, ut tantum miraculum removeant.

Ut manifestetur veritas propositionis, duo probari debent: 1. Ex Christi resurrectione divinitatem religionis rite probari; 2. Christum revera resurrexisse.

I. **Ex Christi resurrectione divinitas religionis rite probatur.**

A. Christus in testimonium divinæ suæ missionis ad futuram suam resurrectionem provocat. Scribis enim et Pharisæis signum petentibus, respondit: *Generatio mala et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* (Matth. XII, 39, 40 — cf. Joan. II, 18, 21 — Luc. XI, 29, 30). Quæ verba ipsi Judæi de Christi resurrectione intellexerunt. Si igitur Christus resurrexit, ejus missio fuit vere divina, et divina est ab eo instituta religio.

B. Si Christus resurrexit, vel resurrexit propria virtute: et per hoc solum probavit se esse Deum; vel fuit a Deo revocatus ad vitam: et per hoc probatur ipsum fuisse Dei legatum. Omnes enim, non exclusis rationalistis, ultro concedunt Deum, utpote summe sapientem et veracem, impostoris fraudem testimonio, quo ullum majus esse nequeat, confirmare non posse.

II. **Christus vere resurrexit.** Ad veram resurrectionem duo requiruntur: mors præcedens, et subsequens revocatio ad vitam.

A. — Christum vere mortuum esse, non autem solum deliquio fuisse consopitum, et a discipulis ope aromatum excitatum et a sepulcro liberatum, sicuti somniarunt quidam rationalistæ, ex narratione evangelica multipliciter constat. Et dira quæ passus est Christus supplicia, et latus lancea perforatum, et testimonium centurionis apud Pilatum, et modus agendi militum, qui ejus crura non fregerunt, et communis persuasio non solum fidelium, sed et Judæorum dicentium

Pilato (Matth. XXVII, 63): *Seductor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgam,* etc.: hæc omnia, Christum in cruce vere mortuum, ejusque corpus exanime in sepulcro fuisse depositum, manifeste comprobant.

B. — CHRISTUM REDIVIVUM E SEPULCRO RESURREXISSE, non minori patet evidentia: ex tota enim narratione evangelica constat Apostolos, qui testes fuerunt resurrectionis, circa eventum adeo solemnem, nec deceptos fuisse, nec deceptores.

a) Apostolos circa factum resurrectionis non fuisse deceptos clare evincitur: 1. *Ex numero testium:* non uni, sed undecim Apostolis, et pluribus discipulis, et semel quingentis fratribus in unum congregatis Christus sese manifestavit *(I Cor. XV, 6).*

2. *Ex numero apparitionum*: Christus non semel, sed pluries sese ostendit (Act. I, 3): *Præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.*

3. *Ex modo sese manifestandi:* Christus non a longinquo, sed prope sese ostendit; non in tenebris, sed in luce clara; non obiter, sed cum mora; cum ad Apostolos locutus est, seipsum eis palpandum obtulit, et cum eis manducavit *(Luc. XXIV).*

4. *Ex indole Apostolorum,* qui nimiæ credulitatis accusari nequeunt. Ad resurrectionem suscipiendam tardos omnino sese exhibuerunt; mulieribus Christum resurrexisse nuntiantibus fidem non adhibuerunt, sed *visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista; et non crediderunt illis* (Luc. XXIV, 11); Thomas aliorum Apostolorum testimonium recusavit (Joan. XX, 25). Quare Jesus *exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt* (Marc. XVI, 14).

5. *Ex gravitate facti:* agebatur de facto pro Christi missione et doctrina gravissimo. *Si Christus non resurrexit,* inquit Apostolus (I Cor. XV, 14), *inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra.* Unde, ut Apostoli, qui ad novam doctrinam propagandam electi erant, factum illud sedulo scrutarentur et attente examinarent, necesse fuit.

Ex his facile deduces quam absurda sint, quæ de resurrectione somniarunt Strauss et Renan: Christum scilicet vere non resurrexisse, sed Apostolos atque discipulos propter nervorum exaltationem hallucinatione fuisse deceptos, sibique falso persuasisse Christum e mortuis resurrexisse sibique apparuisse. — Quî enim fieri potest, ut quingenti testes eadem hallucinatione simul decipiantur, et falso credant se aliquem videre, cum eo colloqui, ab eo edoceri, imo et increpari? Quis credere possit testes incredulos, qui, facti recipiendi causa, non solius visus, sed et tactus experimentum expostularint, imaginatione delusos illud ipsum factum fuisse commentos. Ad hoc, si hallucinatione decepti Apostoli Christum redivivum prædicassent, Apostolorum deceptio ex inspectione sepulcri illico manifestata fuisset: Christi enim corpus in sepulcro mansisset, et Judæi certo ad Apostolorum prædicationem de mendacio arguendam argumentum illud non præteriissent.

b) *Apostolos alios decipere noluisse*, falso affirmando Christum resurrexisse, facile evincitur: 1. *Ex Apostolorum probitate et sanctitate*, quæ dolo et mendacio adversantur; — 2. *ex defectu motivi:* nullum ex suo mendacio commodum exspectare potuissent: nullum a Deo, quem tanquam testem mendacii assumpsissent, a quo proinde non mercedem sed castigationem gravissimam exspectare potuissent; — nullum ab ipso Christo, quia, ipsis fatentibus, inanis est nostra spes, si Christus non resurrexit: — nullum ab hominibus, a quibus carcerem, flagella et mortem se recepturos sciebant; — 3. *ex afflictionibus et martyrio*, quæ pro Christi nomine passi sunt.

Apostolos alios decipere non potuisse, etiamsi voluissent, luce clarius compertum est. 1. Debuissent enim Apostoli corpus Christi e sepulcro auferre: alioquin eorum mendacium ex inspectione sepulcri omnibus statim fuisset manifestatum. Sed propter vigilantiam Judæorum et custodiam militum, corpus Christi ut auferretur, prorsus fieri non potuit.

2. Posito etiam quod corpus Christi sustulissent atque alio in loco abscondissent, debuissent omnes, qui se Christum redivivum vidisse affirmarunt, mutuam inire conspirationem. Ast, si ea quæ inter homines communiter eveniunt, considerantur, fieri non posse censendum est, ut inter tam multos testes, ex quibus plures mulieres erant, nullus fuerit repertus, qui spe lucri illectus, aut actus stimulis conscientiæ, fraudem nunquam manifestasset.

3. Debuissent Apostoli mendacium miraculis confirmare; absque miraculis enim fidem sibi nunquam conciliassent. Sed mendacium miraculis ita obfirmari, ut totum fere genus humanum in errorem inducatur, omnino impossibile est.

4. Apostoli Christi resurrectionem palam coram turba et sacerdotibus prædicaverunt, *(Act. V, 30)*; palam verbo et scriptis testati sunt custodes sepulcri, seipsos ad mendacium de ablato corpore Christi spargendum pecunia fuisse corruptos *(Matth. XXVIII)*. Hoc autem Apostoli nunquam facere potuissent, si principes sacerdotum de Christi resurrectione dubitassent: hi Apostolos utique de mendacio arguissent; eos certe in judicium vocassent ad eos imposturæ et calumniæ convincendos. Ast Apostolos de fraude nunquam accusarunt, sed silentium eis imposuerunt, *(Act. IV, 16-18)*, eosque interficere cogitarunt. *(Act. V, 33)*.

134. — Prop. III. *Ex miraculis Apostolorum aliorumque Sanctorum divinitas religionis christianæ invicte probatur.*[1]

Philosophice *certa;* theologice *de fide*, ut supra.

Prob. 1. Christus Apostolos ad prædicandum mittens, dixit eis (Matth. X, 8): *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Hac sua potestate Apostolos usos esse, ex sacris litteris satis constat. Legimus (Marc. XVI, 20): *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Et (Act. V, 12): *Per manus Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe.* — De S. Petro et S. Paulo plura in specie referuntur miracula. Illustre præsertim miraculum est, quod patravit S. Petrus sanando hominem claudum ex utero matris suæ (Act. III), de quo sacerdotes dicere coacti sunt (Act. IV, 16): *notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem; manifestum est, et non possumus negare.*

Inconcussis documentis historicis etiam constat, viros eximiæ sanctitatis, qui dono miraculorum claruerint, in Ecclesia ad nostra usque tempora semper exstitisse.

[1] S. Alph., *Ver. fid.*, P. II, c. 16.

2. Apostolorum aliorumque sanctorum miracula in testimonium religionis facta esse, ex eo constat tum quod ea operati sunt, vel ad invocationem nominis Jesu: *In nomine Jesu Christi,* ait S. Petrus ad claudum, *surge et ambula;* vel ad confirmandam suam divinam missionem, atque doctrinæ sanctitatem, ut Act. XIII, legimus de S. Paulo magum Elymam occæcante, et (Marc. XVI, 20), de omnibus Apostolis dicitur: *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis;* tum quod in sola religione christiana miracula fieri compertum est.

135. — Conclusio: « Cum tam multa nobis obversentur miracula, *inquit S. Alphonsus*[1], quæ sive ab ipso Christo, sive ab Apostolis patrata sunt, hoc incredulis proponitur dilemma: Vel Jesus Christus ejusque Apostoli hæc miracula vere operati sunt: quo in casu Ipsum verum esse Messiam, veramque esse legem ab eo promulgatam credendum nobis est; — vel ea miracula non fecerunt: quo in casu illud majus adhuc est miraculum, quod videlicet mundus eum verum Messiam et Deum credidit, atque ejus, quem a Judæis tam ignominiose cruci affixum conspexit, legem sensibus tam onerosam amplexus est. » — « Si miracula facta esse non credunt, *ait S. August.*, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis credidit. » *(De Civit. Dei, L. XXII, c. 7).*

II. *De Prophetiis.*

136. — Prop. *Ex vaticiniis a Christo editis divinitas religionis invicte probatur.*

Philosophice *certa;* theologice *de fide,* ex Vatic. Const. *Dei Filius,* c. 3.

Prob. Prophetiæ, ut supra notatum est (n. 93, V), sunt criterium decretorium de divinitate religionis, cujus in gratiam eduntur. Atqui plures a Christo in divinæ suæ missionis suæque doctrinæ testimonium editæ sunt prophetiæ. Ergo religio christiana vere est divina.

[1] *Loc. cit.,* n. 7; cf. Gatti, III, p. 183.

Prob. minor: I. *Christus plura protulit vaticinia.*

1. Illud de seipso prædixit Christus, quod deberet tradi Judæis ut crucifigeretur, et quod tertia die resurgeret. (Matth. XX, 18): *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget.*

2. De Discipulis prædixit Christus: *a)* Proditionem Judæ (Matth., XXVI, 21): *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* — *b)* Triplicem Petri negationem (Matth., XXVI, 34): *Amen dico tibi quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* — *c)* Apostolorum infidelitatem et fugam (Matth., XXVI, 31); — discipulorum afflictiones et tribulationes (Matth. X); — Apostolorum prædicationem in universo mundo (Act., I, 8).

3. De sua religione illud prædixit Christus, quod videlicet *prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* (Matth., XXIV, 14), et quod Ecclesia in medio persecutionum stabilis permanebit (Matth., XVI, 8 — XXVIII, 20).

4. De Gente judaica prædixit: *a)* templi totius eversionem, (Marc., XIII, 2): *Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* — *b)* Urbis obsidionem et destructionem (Luc., XIX, 43): *Quia venient dies in te; et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te; et coangustabunt te undique; et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem.*

II. Certum est hæc Christi vaticinia veras fuisse prophetias; non potuisset enim Christus, si purus homo fuisset, prædictos eventus naturaliter certo præcognoscere. Certum est etiam sive ex evangelica narratione, sive ex factis historicis has prophetias eventu fuisse completas.

III. Christum has prophetias in testimonium divinæ suæ missionis ac proinde in suæ doctrinæ confirmationem edidisse perspicuum nobis est, tum ex verbis Christi, qui prænuntians proditionem Judæ, ait (Joan., XIII, 19): *Amodo dico vobis, priusquam fiat; ut, cum factum fuerit, credatis quia ego sum*

suamque nuntians resurrectionem, ad eam ut ad signum divinæ suæ missionis provocat (Matth., XII, 39); tum ex naturali prophetiarum connexione cum sua doctrina: versantur enim circa Christum et Apostolos, circa religionem ejusque propagationem, circa Judæos puniendos, quia tempus visitationis suae non cognoverint; tum denique ex naturali vi probativa prophetiarum: omnes enim prophetiæ necessario probant Christum, qui eas protulit, verum fuisse Dei legatum.

III. *De Miraculis in ordine morali.*

137. — Quatuor enumerantur facta externa, quæ miracula ordinis moralis dicuntur, ex quibus innotescit christianæ religionis divinitas, scilicet: celerrima religionis propagatio, firma ejusdem stabilitas, martyrum constantia, et effectus mirabiles quos religio in mundo produxit (cf. n. 94).

138. — **Prop. I.** *Religionis christianæ divinitas ex ejus celerrima propagatione rite demonstratur*[1].

Philosophice et theologice *certa.*

Prob. Illa religio merito habetur divina, cujus propagatio non causis naturalibus, sed solo divino interventu explicari potest. Atqui celerrima fuit religionis christianæ per mundum propagatio; quæ quidem non causis naturalibus, sed soli speciali divinæ assistentiæ attribui potest. Ergo.

Prob. minor. I. *Celerrima fuit religionis christianæ propagatio.* — De celerrima et prorsus miranda religionis propagatione testes habemus Apostolos, ecclesiasticos scriptores fere omnes, necnon et ipsos ethnicos.

1. Legimus *(Act., II, 41)* ter mille homines protinus a prædicatione Petri, die Pentecostes, doctrinam Christi esse secutos, et baptismum recepisse. Et aliquot post annos jam scribere potuit Apostolus (Rom., I, 8): *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Et (Col. I, 6): *Quod* (Evangelium)

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. II, c. 10; *Evid. fid.*, c. 2; *Via mir.*, P. II, c. 1, n. 18-24.

pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit.

2. Testatur *S. Ignatius Martyr:* « Ecclesiam Christi a terræ fine usque in finem dilatatam esse. » *(ad Philad.).* — *S. Justinus M.:* « Nullum esse genus hominum, sive barbarorum, sive Græcorum, sive etiam aliorum populorum, quocumque nomine appellentur, apud quos non fiant preces Patri et Creatori omnium per nomen Jesu crucifixi. » *(Dial. cum Tryph. n. 117).* — *Tertullianus* his verbis alloquitur Romanos: « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes. insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. » *(Apolog. c. 37).*

3. Ex ethnicis Tacitum præsertim et Plinium testes habemus. Refert *Tacitus, (Annal. l. XV, c. 44):* « Ingentem esse christianorum multitudinem. » Et ad Trajanum scribit *Plinius:* « Non civitates tantum, sed vicos atque agros christianæ superstitionis contagio pervagata est: prope jam desolata templa deorum et solemnia diu intermissa. » (L. X, ep. 97).

II. *Hæc religionis propagatio non causis naturalibus, sed sola speciali Dei providentia explicari potest:* quod constat tum ex obstaculis, quæ sive ex parte ipsius religionis, sive ex parte præconum et eorum quibus annuntiabatur, ejus propagationi objiciebantur; tum ex inopia mediorum humanorum quibus hæc obstacula superarentur.

1. In parte sua speculativa, religio dogmata continet rationi impervia, creditu difficilia; adorandum proponit hominem crucifixum *Judæis scandalum, gentibus autem stultitiam* (I Cor. I, 23). In parte sua practica præcepta continet dura, austera, quæ cupiditatibus omnibus adversantur, et passionibus continuum bellum inferunt.

2. Primi religionis præcones homines erant non nobiles, humanæ sapientiæ indocti, plebeii, piscatores, rudes, pauperes, natione Judæi et eo ipso cæteris gentibus invisi.

3. Illi, quibus nuntiata est religio, erant vel Judæi qui, patriis legibus addictissimi, leges mosaicas aboleri ægre ferebant, et ab adoratione hominis, quem ipsi morti crucis ad-

judicaverant, naturaliter abhorrebant; — vel Pagani qui idololatriæ dediti, vitiis omnibus indulgebant, et vitam undequaque libidinosam ducebant: quæ cum ita essent, a puritate et austeritate, quas Evangelium proponebat, aversissimo debuerunt esse animo.

4. Ad tanta vero obstacula superanda, humana præsidia omnino nulla erant: Apostoli nec armis usi sunt, nec divitiis: nulla habebant; non principum auctoritate: hi eos morti tradiderunt; non spe temporalium illecebrarum auditores alliciebant: credentibus persecutiones, tribulationes et mortem cruentam pro præsenti vita prænuntiabant; non subtili ratiocinio vel persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis utebantur: philosophiam et litteraturam ignorabant, sed absque ambagibus prædicabant Christum et hunc crucifixum. Etenim: *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* (I Cor. I, 21).

Cum igitur obstacula essent maxima, et media humana nulla, celerrima religionis propagatio dicenda est opus mirabile, quod a sola Dei potentia effici potuit.

« Crescit adhuc prodigium, *ait S. Alphonsus*[1], si consideramus christianorum numerum adaugeri, augerique fidei splendorem inter tam multos potentes inimicos, magistratus, principes et imperatores, qui omnibus opibus atque viribus discipulos Christi impugnaverunt, suis eos bonis exspoliantes, ejicientes in exilium, exquisitissimis cruciantes suppliciis, et morti crudelissimæ tradentes... Attamen, quo magis multiplicabantur tormenta et augebatur numerus martyrum, eo magis crescebat fidelium multitudo, ita ut sanguis christianorum factus sit semen ad eorum multiplicationem. *Vincimus cum occidimur*, ait Tertullianus[2]... *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra... Nec quidquam tamen profuit crudelitas vestra... Plures efficimur quoties metimur a vobis: semen est sanguis christianorum.* »

Gentium igitur conversio manifestissimum est divinitatis nostræ religionis argumentum.

[1] *Via mir.*, P. II, c. I, n. 24. — [2] *Apolog.*, c. 5.

Nec objici potest mahumetismum et protestantismum celerrime etiam esse propagatos. Miraculum enim non consistit in propagatione *materialiter* sumpta, sed *formaliter*, seu *quoad modum*. Mahumetismus et protestantismus principum innitebantur auctoritate; passionibus et cupiditatibus blandiebantur; non persuasione, sed armis, sed violentia, fraude, calliditate, honoribus, divitiis, carnalium delectationum illecebris, et omnigenis corruptelis utebantur, ut homines ad se traherent. Harum igitur sectarum propagatio miraculosa nullatenus dici potest; sed miraculum in hoc positum fuisset, quod innumeros asseclas adeptæ non essent.

139. — Prop. II. *Religionis christianæ divinitas ex ejus perpetua stabilitate rite demonstratur.*[1]

Philosophice et theologice *certa*.

NB. In hac propositione supponimus quod in sequenti tractatu explicite probabitur, religionem scilicet christianam eam esse, quam tenet Ecclesia Catholico-romana, contra quam solam rationalistæ arma ferunt.

Prob. Promisit Christus Jesus, religionem christianam, quam columnam et firmamentum veritatis constituit, fore stabilem et in suis dogmatibus immutabilem, (Matth., XVI, 18): *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et (Luc., XXII, 32): *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* — Palam factum est christianam religionem, quæ fuerit in ortu, eamdem hodie exsistere: eadem docet dogmata, eadem servat morum præcepta, eadem possidet sacramenta, ab iisdem regitur pastoribus. Atqui hæc firma stabilitas nonnisi a Deo venire potest. Ergo hæc firma religionis stabilitas divinæ ejus originis argumentum est.

Prob. minor: 1. *Ex communi omnium rerum humanarum conditione:* Quæ ab hominibus ortum habent, naturæ humanæ fragilitatem participant, et temporum vicissitudini subjacent. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur,* inquit Gamaliel, (Act. V, 38); *si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud.* Quo factum est, ut humana instituta pro variorum temporum circumstantiis fuerint immutata, et denique prorsus perierint; neque societatis civilis aut religiosæ, quæ

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.,* P. III, c. 1, n. 11; *Evid. fid.,* c. 3.

per 18 sæcula stabilis cum eadem regiminis forma permanserit, ullum, Ecclesiam Romanam si excipias, proferri potest exemplum.

2. *Ex natura ipsius religionis:* Cum religio in suis dogmatibus sit plena mysteriis, et in suis præceptis austera et cupiditatibus adversans, hominis vero ingenium sit novitatis amans et jugi impatiens, idcirco si religio ex humana mente orta esset, nova quotidie homines excogitassent opinionum commenta, et in infinita abiissent dissidia; insuper, velut apud omnes hæreticos accidisse compertum est, nihil habuissent antiquius, quam ut duriora religionis præcepta abjicerent, eorumque in locum faciliorem vivendi normam substituerent.

3. *Ex parte hostium, qui Ecclesiam semper impugnarunt:* Nulla potest citari ætas, qua Ecclesiæ cum hostibus sive externis sive internis non fuerit dimicandum.

Hostes externi ab incunabulis Ecclesiæ Judæi fuerunt et imperatores romani: hos exceperunt Mahumetani, qui per plura sæcula Ecclesiæ atrocissimum indixerunt bellum; his successerunt duces protestantium, necnon et, exeunte superiori sæculo, nefarii illi homines rebellionis gallicæ, qui totam pene Europam vastarunt. Postremum, quanta audacia et astutia gubernia quædam hodierna, spiritu judaico et odio franco-muratorico ex toto imbuta, in Ecclesiam invehantur, omnibus notum est.

Hostes interni sunt schismatici, qui inconsutilem Christi tunicam lacerare conati sunt; et hæretici, qui a primis jam sæculis ad nostra usque tempora, fidem destruere et nova dogmata statuere adlaborarunt. His adnumerari debent apostatæ, philosophi materialistæ, deistæ, rationalistæ, franco-muratores, qui modo aperte, modo occulte, omnigenis armis, dolo, fraude, astutia, calumnia, verbis et scriptis, atque sophismatibus ex omnibus scientiis petitis, Ecclesiam impugnarunt et impugnant.

Ecclesia tamen stabilis semper et immutabilis supra petram permanet, et omnibus inimicis superstes alte proclamat, non ab hominibus, sed a Deo hoc opus esse fundatum, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt.

140. — Prop. III. *Ex martyrum constantia religionis christianæ divinitas rite demonstratur.* [1]

Philosophice et theologice *certa.*

Prob. Cum Deus falsitatis et mendacii testes sua virtute corroborare non possit, martyrum constantia religionis divinitatem probat, si hæc eorum constantia nulli causæ nisi divino adjutorio adscribi potest. Atqui perpensa hominis fragilitate, hæc martyrum constantia soli divino adjutorio adscribi potest. Ergo.

Prob. minor: 1. *Ex numero martyrum.* Ingentem fuisse martyrum catervam, qui sub imperatoribus romanis pro fide sanguinem suum profuderint, historice constat, non solum ex testimonio auctorum ecclesiasticorum, sed etiam ex scriptorum ethnicorum auctoritate; testatur *Tacitus* [2] ingentem fuisse eorum multitudinem, qui sub Nerone martyrio necati sunt. Nec minori certitudine constat, maximam fidelium multitudinem subsequentibus sæculis pro fide vitam fudisse, persequentibus Vandalis, Persis, Japonibus, Sinensibus, necnon et protestantibus.

2. *Ex qualitate martyrum.* Inter martyres conspiciuntur homines cujuscumque conditionis et ætatis, rustici et nobiles, rudes et docti, viri et mulieres, ætate provecti et juvenes, necnon et tenerrimæ puellæ.

3. *Ex persecutionum diuturnitate.* Non per breve tantum tempus, vel in una tantum regione, dira contra christianos exarsit persecutio; sed primum per tria integra sæcula, et ubique fere terrarum, cum tunc temporis totus fere orbis romano subjectus esset imperio, christiani sævæ morti traditi sunt; labentibus deinde temporibus, passim novæ exortæ sunt persecutiones, in quibus permulti fideles trucidati sunt.

4. *Ex suppliciorum atrocitate.* Non morte celeri sublati sunt martyres, ut ex eorum actibus et ethnicorum scriptis constat, sed diuturnis et atrocissimis torti sunt suppliciis. Tes-

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 1, § 3; *Evid. fid.*, c. 7; Valsecchi, l. II, c. 15. — [2] *Annal.*, l. XV.

tatur hoc *Tacitus* quod videlicet Nero [1] « quæsitissimis pœnis affecit, quos vulgus christianos appellabant. »

5. *Ex virtutum exemplis*, quæ Martyres in sua passione dederunt. Emicuerunt in Martyribus tum vivida fides et flagrans in Deum caritas: cum plerumque uno verbo se a cruciatibus liberare potuissent, negando Christi nomen, mori maluerunt quam Deum deserere; tum spes firma, qua innixi temporalia spreverunt ut æterna acciperent gaudia; tum patientia invicta et fortitudo heroica, quibus non solum patienti, sed placido etiam atque alacri animo tormenta omnia sustinuerunt; tum mansuetudo et caritas erga persecutores, pro quorum salute preces fuderunt.

6. *Ex effectibus Martyrii pro Ecclesia.* Pœnæ, quibus homines facinorosi plectuntur, alios ab eorum imitatione deterrent. Martyrum tormenta, tantum abest ut alios a christiano nomine deterruerint. ut eos ad eamdem martyrii palmam accipiendam animarent, neque raro ethnicos et ipsos tortores ad christianam religionem amplectendam allicerent.

Jamvero, perpensa humanæ naturæ fragilitate, supra vires humanas est, tantam hominum multitudinem, ex omni genere et natione, omnis sexûs et ætatis, et per tantum tempus, cum tali constantia atque animi alacritate, talia tormenta sustinere sanguinemque profundere; sed requiritur altioris causæ influxus, quæ innatam hominis fragilitatem corroboret et superiorem addat virtutem. Hæc autem causa superior, quæ martyribus virtutem communicet, non potest esse nisi Deus. Ex martyrum igitur constantia recte demonstratur religionis christianæ divinitas.

141. — Objicitur I. Ad martyrum constantiam explicandam sufficit vel fanatismus religiosus, vel humanæ gloriæ cupido, vel inanis spes futurorum bonorum. Ergo ex martyrum constantia nullum argumentum in gratiam religionis deduci potest.

Resp. *Nego antecedens. — Non sufficit equidem fanatismus religiosus:* Est enim fanatismus cæcus animi furor, qui omnes præsertim sapientiores non invadit, nec per plura sæcula durat. — Insuper fanatismus conciliari nequit cum virtutum exemplis, quibus fulgent martyres; nec stare potest cum miranda animi tranquillitate, quam martyres in tormentis præ se ferebant. — *Nec sufficit humanæ gloriæ cupido:*

[1] *Annal.*, l. XV.

nomen christianorum gentibus dedecori erat; et qui ob illud morte damnati sunt, publica eis infamiæ nota inurebatur. Permulti etiam in occulto perierunt, vel conglobatim cum aliis sunt occisi, quin vel eorum nomina noscerentur; nec proinde ullam apud posteros humanam gloriam exspectare potuerunt. — *Spes futurorum bonorum,* si vera est, ad martyrium explicandum sufficit; sed tunc eo ipso religionis, quæ ad futura bona conducit, divinitatem demonstrat; si vero hæc spes falsa et inanis supponatur, in casibus quibusdam particularibus aliquos ad mortem perferendam impellere potest; sed eam sufficere, ut ingens multitudo hominum virtutibus conspicuorum, inter quos multos reperire sit doctissimos et sapientissimos, mortem alacriter subeant, ne cogitari quidem potest. Cum enim natura suapte sponte supplicia et mortem horreat, naturæ inclinationem tanta multitudo superare non potuisset, nisi sibi, vera esse quæ in altera vita exspectentur bona, evidenter constitisset.

142. — Obj. II. Omnes religiones martyrio obfirmatæ sunt: sectæ hæreticæ, schismaticæ, imo et pagani et mahumetani suos martyres habent. Ergo religionis christianæ divinitas ex martyrio probari nequit.

Resp. Omnes religiones suos martyres habent, homines scilicet ob religionem occisos, concedo; homines quorum mors specialem Dei interventum commonstrat, nego. — Permagna enim intercedit differentia inter falsarum religionum martyres, et martyres quos sibi vindicat religio christiana. Et quidem *quoad numerum martyrum:* pauci tantum in aliis sectis, permulti vero in religione christiana inveniuntur, qui sanguinem sub ferro carnificum profuderint. — Quoad *qualitatem martyrum:* qui in aliis sectis morti traditi sunt, plerumque vitam duxerant vitiosam; qui vero in religione christiana martyrio coronati sunt, vitam duxerant sanctam et virtutibus illustrem. — Quoad *modum patiendi:* qui in sectis trucidati sunt, animum plerumque exhibuerunt irrequietum et tortoribus conviciabantur; christiani, tortoribus benigne receptis, animo tranquillo morte occubuerunt. — Quoad *effectum:* in sectis, tormenta aliquibus illata, alios a religione deterrebant; in religione christiana, cruciatus alios ad imitationem traxerunt. — Ex quibus manifeste patet, alios fuisse martyres in religione christiana; alios vero in cæteris sectis; illorum martyrium absque speciali Dei interventu explicari non posse; horum vero martyrium nullum specialem Dei concursum expostulare, sed ex causis naturalibus, ut fanatismo, spe inanis gloriæ, vel satanico furore optime explicari.

143. — Prop. IV. *Ex morum renovatione per religionem christianam in mundum introducta, hujus divinitas rite demonstratur.* [1]

[1] Cf. Gatti, T. III, p. 212; Valsecchi, L. II, c. 13.

Philosophice et theologice *certa.*

Prob. Quæ viguerit inter ethnicos morum corruptela, ab Apostolo discimus, qui sapientissimos ex eis describit *repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.* (Rom. I, 29-31: cf. I Cor. VI, 9, 10.) — Aliquarum virtutum præcepta tradiderunt quidem philosophi ethnici, sed nullus eorum repertus est, *ait Tullius* [1], « ita animo et vita constitutus, ut ratio postulat, qui disciplinam suam non potius ostentationem scientiæ quam legem vitæ putaverit, qui obtemperaverit ipse sibi et decretis suis paruerit. »

Statim vero atque evangelica veritas illuxit in cordibus hominum, evanuerunt ista vitia, atque splendidissimæ efflоruere virtutes. Cujus mirandæ mutationis testes habemus non solum Apostolorum et auctorum ecclesiasticorum scripta, sed etiam ethnicorum testimonia. Enumeratis paganorum vitiis, subdit S. Paulus (I Cor. VI, 11): *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi.* — (Cf. Act. Ap., passim). — « Qui olim, *inquit S. Justinus* [2], stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice complectimur: qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo: qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea, quæ habemus, in commune conferimus, et cum indigentibus quibusque communicamus: qui mutuis odiis et cædibus pugnabamus et cum iis, qui tribules nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc, postquam Christus apparuit, convictores sumus, et pro inimicis oramus. » — Et *Plinius* ad Trajanum scribit [3]: « Affirmabant (christiani) hanc fuisse summam vel culpæ vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in

[1] *Quæst. Tuscul.* II, 4. — [2] *Apol.* I, n. 24. — [3] L. V. Ep. 97.

scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. »

Jamvero hæc morum renovatio aliunde venire non potest, nisi a solo Deo. Ad talem enim renovationem requiritur mentis illuminatio, qua homo, quæ facienda sint, cognoscat: hæc autem absque revelatione haberi nequit. — Cognita semel veritate, aliud etiam requiritur auxilium, ut cor in melius mutetur, et ut voluntas, quod ratio dictaverit esse faciendum, efficiat, velut in Tractatu de gratia fuse dicetur. Potest equidem homo alium exterius ad bonum exhortari, et transgressores pœnis plectere; at interna cordis et voluntatis mutatio opus est solius Dei, qui per gratiam interius cor hominis inclinat et immutat. Illa igitur universalis morum renovatio, quam religio christiana in mundo produxit, solum Deum habere potest auctorem; ac proinde ipsa religio, ex qua hujuscemodi renovatio orta est, non potest nisi a solo Deo provenire. « Divinitatis testes, *inquit Origenes*, [1] sunt tot ecclesiæ hominum, qui a vitiorum colluvie aversi conditori se totos addicunt et in omnibus illi placere student. »

144. — Conclusio: Ex dictis in hoc Capite constat, Religionem christianam omnia in se possidere intrinseca et extrinseca divinitatis testimonia. Ipsa fuit in Vet. Test. prænuntiata; sancta et immaculata est ejus doctrina; purissima sunt ejus præcepta; non homo, sed ipse Deus, Christus scilicet Jesus, est ejus præco principalis; Apostoli splendidissimis claruerunt virtutibus; Christus et Apostoli prophetiarum et miraculorum testimonio suæ missionis et suæ doctrinæ divinitatem probaverunt; religionis celerrima propagatio, firma ejus stabilitas, martyrum constantia, saluberrimique fructus quos religio ubique produxit in mundo, manifesta sunt argumenta ipsam non ab homine, sed ab ipso Deo fuisse fundatam. Tanta evidentia hæc criteria religionis christianæ divinitatem probant, ut si error adhuc possibilis foret, Deus ipse erroris auctor dicendus esset. « Domine, *ait Richardus a S. Victore* [2], si error est, a te de-

[1] *Adv. Celsum.* l. I, n. 47. — [2] *De Trinit.* l. I, c. 2.

cepti sumus; nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt. »

Concludamus igitur necesse est, religionem christianam vere esse divinam, et proinde omnibus obligatoriam; omnemque aliam religionem esse falsam atque abjiciendam.

APPENDIX.

DE FALSIS RELIGIONIBUS.

145. — Præter religionem christianam tres in mundo inveniuntur præcipuæ religiones: paganismus scilicet, judaismus et mahumetismus. — De Paganismo nihil dicemus; utpote cujus absurditas iis omnibus sit manifestissima, qui de eo vel minimum quidquam audierint. De Judaismo hodierno et de Mahumetismo solum disputabimus.

I. *De Judaismo hodierno* [1].

146. — Cum religio mosaica populo israelitico a Deo data fuerit tanquam præparatio ad perfectiorem et ampliorem revelationem per Messiam manifestandam, ipsa abroganda erat, et per Christum Redemptorem revera fuit abrogata. Judæi vero, ut qui mosaicas leges obstinatius consectarentur, neque Messiam agnoverunt, neque evangelicum lumen receperunt: quod in causa fuit cur a Deo fuerint rejecti. Hinc ortus est judaismus hodiernus, qui falsis et ineptis fabulis vera commiscet.

Hodierni Judæi in duas præcipuas dividuntur sectas: in sectam scilicet Rabbinistarum, et in sectam Karaitarum.

Rabbinistæ præter legem scriptam, aliam legem traditam, quam pro divina legis scriptæ interpretatione habent, admittunt. Hæc lex tradita, ut dicunt, posteaquam Moysi, dum per quadraginta dies in monte Sinai versaretur, a Deo fuit communicata, apud populum israeliticum jugi traditione conservata est, donec, Hadriano imperatore, circa annum 150, a rabbi Juda Hakadosch scriptis fuit consignata in opere cui titulus *Mischna*. Liber *Mischna* a subsequentibus Rabbinis illustratus fuit commentario, cui titulus *Gemara*. Ex Mischna et Gemara coaluit liber doctrinalis Judæorum, cui nomen *Talmud*. — Duplex existit Talmud: Jerosolymitanum, quod Jerosolymis concinnatum

[1] S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 2.

est; et Babylonicum, quod ducentis post annis, exeunte sæculo V, Babylone confectum est. Hodierni Judæi Talmud Babylonicum, utpote clarius et multo copiosius, generaliter accipiunt, eique eamdem ac Scripturæ Sacræ tribuunt auctoritatem.

Karaitæ, Talmude non recepto, textum librorum sacrorum unice consectantur; perpaucissimi sunt, et per Syriam, Persiden, Ægyptum, Poloniam et Russiam disseminati versantur.

Judæos inter et Christianos hoc præcipue disputatur, videlicet: *Utrum Jesus Nazarenus sit verus Messias a prophetis prænuntiatus.* Judæi, ne Jesum ut verum Messiam agnoscere cogantur, vaticinia Prophetarum de Messia eludere omni ope atque opera contendunt: quem in finem commenta fere innumera finxerunt, commentariaque ediderunt. Plerique cum in eodem atque Patres sui crasso errore versentur, Messiam semper exspectant opibus et potestate florentem, qui, temporali regno restituto, ipsis dominium in omnes gentes conferat [1]. Alii duos fingunt Messias, unum pauperem et humilem, filium Joseph, ex tribu Ephraim; alterum divitem et potentem ex familia David, cui gentes subjacebunt. Alii, evidentia victi, Messiam jam venisse fatentur, ipsum autem propter Judæorum peccata in loco quodam ignoto latitare docent. Alii demum ad rationalismum deflectentes, fidem in Messiam e numero dogmatum prorsus tollunt, et eos anathemate feriunt, qui tempus de adventu Messiæ amplius computare attentarent.

147. — Prop. *Falsa est hodierna Judæorum religio.*

Philosophice *certa;* theologice *de fide.*

Prob. 1. Hæc propositio imprimis ex iis omnibus probatur, quæ supra de abrogatione legis mosaicæ adduximus. Cum enim lex mosaica abroganda esset, et a Christo revera abrogata fuerit, luce clarius constat eam, quæ nunc viget, religionem judaicam divinitatis characteribus non amplius insigniri, et eo ipso falsam esse. (Cf. n. 116 et 117).

2. Probatur ex natura doctrinæ, quae continetur in Talmude. quod Judæi eadem veneratione ac ipsam Scripturam prosequuntur. *In parte sua dogmatica,* Talmud aperte contradicit revelationi, speciatim in iis, quæ ad Incarnationis mysterium pertinent; præterea multas ridiculas continet fabulas, quas ut divinitus revelatas exhibet. « Quoad Deum dicunt (Judæi), *ait Knoll* [2], hunc quotidie tres horas legi thalmudicæ discendæ impendere, et totidem cum pisce Leviathan ludere, quotidie ob excidium Hierosolymæ et templi lacrymari, venturo Messiæ monstruosum convivium parare, et verum Israelitam in altero mundo ultra duodecim menses non puniturum esse ». — *In parte sua morali,* multa permittit Talmud quæ rectæ rationi repugnant, v. gr., expresse prohibet ne Gentilibus et christianis in extrema necessitate positis suc-

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.;* P. II, c. 6. — [2] *Theol. gen.,* § 162; cf. S. Alph., *Ver. fid.,* P. III, c. 3, n. 4.

curratur, aut bona amissa reddantur, aut misericordia impendatur. Declarat præcepta justitiæ, æquitatis et caritatis non posse absque crimine erga christianos observari; usuram consulit; jus in vitam christianorum concedit. — Ex his autem erroribus aperte concluditur, fieri non posse ut talis religio a Deo fuerit revelata.

3. Nulla etiam facta supernaturalia, nullam scilicet prophetiam, nullumque miraculum Judæi in testimonium suæ religionis afferre possunt. Prophetiæ enim et miracula, quæ ante Christum natum in gratiam legis mosaicæ edita sunt, ante legis abrogationem facta sunt, quo tempore judaismus vera religio erat. Ast a tempore Christi, nullus propheta nullusve thaumaturgus inter eos amplius surrexit.

II. *De Mahumetismo* [1].

148. — Religio mahumetana auctorem habet Mahumedem, anno 571 Meccæ ex paupere licet nobili familia natum. Is litterarum expers, natura tamen facundus et disertus, cum suos concives ad idololatriam deflexisse vidisset, et eos ab idolis revocandi, et primævæ religionis, ut ipse dicebat, Adami, Nohemi, Abrahami, Moysis et ipsius Christi restaurandæ, consilium inivit. Spatio triginta annorum finxit se cum Archangelo Michaele colloquia habere, et ab eo divinitus accipere secreta cœlestia novamque legem, quam tanquam propheta Deique legatus promulgare aggressus est. Mahumedis religionem exhibet Alcoranus, non ab ipso Mahumede, sed ab ejus socero atque successore Abubeker concinnatus. Cum enim Mahumedes eas revelationes, quas a Michæle Archangelo se accepisse finxit, in schedulis retulisset, eas omnes Abubeker, ne deperderentur, in unum collegit corpus, quod Alcoranum, id est, lectionem, denominavit. — Alcoranus in 114 dividitur Suras seu Azoaras, et continet judicia, historias, et paræneses. Ad judicia referuntur leges tam de rebus sacris, ut jejuniis, orationibus, peregrinationibus, etc., quam de rebus politicis, ut tribunalibus, matrimoniis, successionibus. Ad historias pertinent narrationes, quas ipse Mahumedes excogitavit, vel desumpsit ex libris sacris cum aliqua adulteratione, et ex libris apocryphis, et præsertim ex Talmude. Ad paræneses referuntur invitationes ad novam religionem amplectendam, exhortationes ad bellum contra infideles suscipiendum etc.

149. — **Prop.** *Falsa est religio mahumetana.*

Philosophice *certa;* theologice *de fide.*

Prob. I. *Ex criteriis intrinsecis.*

1. In sua parte dogmatica Mahumetismus aperte pugnat cum revelatione christiana, quam veram esse probavimus: aperte enim negat

[1] S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 4; Grotius, *de Verit. Rel. christ.*, L. VI.

Christi divinitatem, mysteria tollit, sacramenta rejicit, totamque salutis œconomiam a Christo stabilitam evertit. — Multa etiam continet absurda, contradictoria, Deo prorsus indigna: Et primum quidem, nulla inquisitionis libertate concessa, fidem sibi adjungi oportere, contendit; (Azaora 13), quod manifestum iniquitatis indicium est. Doctrinam continet de fato et de absoluta Dei prædeterminatione (Az. 13 et 17); — angelos inter et homines genios admittit intermedios, qui cibis utuntur, et generatione propagantur; — paradisum promittit libidinosis voluptatibus refertum (Az. 62, 65, 66); — inferni æternitatem, saltem pro Mahumetanis, negat; etc.

2. In parte sua morali non sanctior invenitur Mahumetismus: qui metu legem naturalem violant, eos a peccato excusat; pluralitatem uxorum permittit; de repudio leges statuit ab omni naturali æquitate abhorrentes (Az. 2 et 5); luxuriam permittit cum subditis et ancillis (Az. 37); incredulos ferro trucidari jubet (Az. 76), etc. Quæ cum ita sint, religionem mahumetanam non a Deo, sed a dæmone esse profectam, sat superque manifestum est.

II. *Ex persona præconis.*

Qui præconis, id est, Mahumedis personam considerat, nihil, quod sit Dei legato dignum, in ea inveniet: quippe enim pietatem simulavit, ambitione claruit, neque propositi finis assequendi gratia fraudibus cædibusque abstinuit. Fœtidissima exarsit libidine; in adulterio deprehensus, docuit se a Deo dispensationem in re venerea accepisse; quindecim simul habuit uxores et viginti quatuor concubinas, ex speciali, ut ait, Dei licentia. — Ex his autem apparet Mahumedem non Dei sed dæmonis fuisse prophetam.

III. *Ex criteriis externis.*

1. Nulla facta supernaturalia, nullam scilicet prophetiam, nullumve miraculum, pro Mahumetismo esse peracta, exploratum nobis est.

Mahumedes fuit propheta sine prophetiis: asseruit quidem se a Christo fuisse prænuntiatum (Az. 71), sed testimonia ab eo allata nullibi in Scripturis invenire licet. Prædixit multa, quæ tamen eventu non fuerunt completa. Prænuntiavit se ab hominibus semper illæsum fore, et veneno a concubina oblato periit; prædixit se post mortem statim ascensurum esse in cœlum, et tertia jam die post mortem cadaver ejus fœtorem sparsit intolerabilem; prænuntiavit suis perennem inter se concordiam et continuas de hostibus victorias, et protinus ab ejus morte, in diversas divisi sunt sectas, neque raro gravissimas clades perpessi sunt.

Mahumedes fuit legislator, sed absque miraculis; nullo prodigio suam doctrinam suamque missionem probavit; poscentibusque ab eo signum in confirmationem suæ missionis respondit, se missum esse non cum miraculis, sed cum armis (Az. 14, 17). Interdum tamen quædam facta prodigiosa retulit; sed ex istis alia, quorum ipse solus testis fuit, forent probanda, v. gr. colloquia cum Archangelo Michaele; ejus noc-

turna ascensio in cœlum; nocturna locutio cum camelo; alia prorsus sunt ridicula, ut scissio lunæ, cujus dimidia pars in ejus manicas decidit, et ab eo lunæ restituta est. (Az. 64) [1].

2. Nec in testimonium mahumetanæ religionis ulla facta, quæ miracula ordinis moralis constituant, afferri possunt.

a) Neque celerrima propagatio [2]. Celerrime quidem propagata fuit religio mahumetana; sed in eo facto nihil, quod admirationem moveat, continetur; quippe quum ipsa omnibus passionibus indulgeat, et flagitiosissimas quasque permittat satiare cupiditates; illud miraculum fuisset, quod non statim multos nacta fuisset sectatores. Præterea, non suasu, nec miraculis, sed vi et armis usi sunt ejus præcones: inde Sarracenorum adagium: *Crede, aut morere.*

b) Neque religionis stabilitas. Nullibi stat mahumetismus nisi ubi imperat, vel saltem nisi ubi civili auctoritate fulcitur, et ubi nullos nactus est adversarios, qui ejus falsitatem ostendant. — Præterea, in diversas sectas divisi sunt Mahumetani, quæ omnes genuinam Mahumedis doctrinam sequi profitentur.

c) Neque Martyrum constantia. Multos martyres fecit Mahumetismus, Christianos trucidando; ast martyres martyrum christianorum dotibus insignitos nunquam protulit; martyrum loco colit milites, qui in prælio ad aliena bona rapienda morte occubuerunt. Nec ad martyrium suos valde exstimulat; docet enim (Az. 16) eis, qui propter metum fidem susceptam abnegaverint, iram Dei non impendere.

d) Neque saluberrimi effectus in mundo producti. Mores nullibi emendavit Mahumetismus; ast ubicumque terrarum invaluit, insanis superstitionibus regiones implevit, effrenatam licentiam et horrendam morum corruptelam introduxit, gentesque religione christiana excultas in barbariem reduxit.

Mahumetana igitur religio, cum nullum internum aut externum divinitatis signum præ se ferat, multa vero absurda, inter se contradictoria, rectæ rationi contraria, et Deo indigna in se contineat, idcirco ut divina nequaquam haberi potest, sed ut falsa superstitio et figmentum satanicum est rejicienda et exstirpanda.

CONCLUSIO TRACTATUS.

150. — Ad finem hujusce nostri tractatus jam ventum est. Quoad licuit per compendii limites, et pro nostra facultate, demonstravimus in I Parte quemlibet hominem teneri ad pro-

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 1, n. 18; et *Evid. fid.*, P. I, c. 6. — [2] S. Alph., *Ver. fid.*, P. II, c. 10, n. 2.

fitendam religionem, eamque veram, neque posse pro arbitrio suo quamcumque amplecti. In II Parte contra rationalistas revelationis possibilitatem, necessitatem atque divinam obligationem statuimus, necnon et criteria indicavimus, quibus vera revelatio a falsis evidenter dignosci queat. In III Parte, probata librorum Vet. et Novi Test. auctoritate historica, ope criteriorum religionis christianæ divinitatem, aliarum autem inanitatem demonstravimus, atque ad hanc devenimus conclusionem: Religionem christianam, quæ manifesta præ se ferat divinitatis signa, solam esse veram et solam amplectendam; alias vero religiones, quæ manifesta præ se ferant falsitatis signa, falsas esse et rejiciendas.

Cum igitur homo una ex parte libertate non polleat quamcumque sequendi religionem, sed veram teneatur profiteri; cum ex altera, religio christiana sit sola vera, sola divinitus revelata, rigorose sequitur, quemlibet hominem strictam habere obligationem amplectendi religionem christianam; qui vero eam sequi renuerit, eum extra viam salutis vagari et in æternum properare exitium: *Qui non crediderit, condemnabitur* (Marc. XVI, 16) ait Christus Dominus.

EXPLICIT TRACTATUS DE VERA RELIGIONE.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE VERA CHRISTI ECCLESIA.

Conspectus generalis.

Pars I. Ecclesiæ Christi delineatio.

- CAP. I. Ecclesiæ institutio.
  - A. 1. Definitio Ecclesiæ.
  - A. 2. Fundatio.
  - A. 3. Finis.
- CAP. II. Ecclesiæ natura.
  - A. 1. Visibilis societas.
  - A. 2. Hierarchica Ecclesiæ constitutio.
  - A. 3. Intrinseca Ecclesiæ perfectio.
  - A. 4. Ecclesiæ Membra.
  - A. 5. Eccl. Potestas.
    - § 1. Magisterium.
    - § 2. Imperium.
- CAP. III. Ecclesiæ proprietates.
  - A. 1. Necessitas.
  - A. 2. Indefectibilitas.
  - A. 3. Infallibilitas.
  - A. 4. Unitas.
  - A. 5. Sanctitas.
  - A. 6. Catholicitas.
  - A. 7. Apostolicitas.
- CAP. IV. Notæ veræ Ecclesiæ.

Pars II. Identitas Ecclesiæ Romanæ cum vera Christi Ecclesia.

- CAP. I. Probatur Eccl. Romanæ divinitas ex notis.
- CAP. II. Probatur Eccl. Romanæ divinitas ex primatu.
- CAP. III. Natura sacri apostolici primatus.
  - A. 1. Errores.
  - A. 2. De vi et ratione primatus.
  - A. 3. De R. Pontificis infallibilitate.
  - A. 4. De relatione S. Pontificis.
    - ad Episcopos.
    - ad Concilia.
- CAP. IV. Relatio Ecclesiæ ad societates civiles.
  - A. 1. Relationes Ecclesiam inter et statum.
  - A. 2. Jus bona temporalia possidendi.

Pars III. Fontes fidei.

- CAP. I. De sacra scriptura.
  - A. 1. Inspirationis.
    - Natura.
    - Extensio.
  - A. 2. Canon S. Scripturarum.
  - A. 3. Script. interpretatio.
- CAP. II. De Traditionibus.
  - A. 1. Notio.
  - A. 2. Existentia.
  - A. 3. Regulæ.

INTRODUCTIO. [1]

151. — In primo hujusce fundamentalis theologiæ tractatu demonstratum est aliquam a Christo Domino institutam fuisse religionem, quam, ut solam veram, omnibus sub pœna æternæ reprobationis, obligatoriam esse diximus. In hac autem generali consideratione nondum sistere potest christianæ religionis investigatio; plures enim existunt oppositi cœtus, qui se veram et genuinam Christi religionem profiteri gloriantur. Ulterius igitur investigatio protrahi debet, et quærendum est in quanam Ecclesia inveniatur vera Christi religio; seu quænam sit vera Ecclesia, quam Christus religionis suæ custodem constituit. Quod in secundo hocce tractatu præstabitur.

152. — **Scopus tractatus.** — Scopus tractatus de Ecclesia indicatur in prologo schematis Vaticani de Ecclesia Christi, in quo legimus: « Cum igitur Deus ac Salvator noster totius salutiferæ doctrinæ veritatem, et mediorum salutis thesauros, in Ecclesiam suam quasi in depositorium dives contulerit, ut omnes sumant ex ea potum vitæ: in primis ipsa vera Ecclesia et errantibus indicanda et fidelibus instantius commendanda est, ut illi ad viam salutis adducantur, hi autem in ea confirmentur et crescant. »

Quocirca, eò primum pertinet hic tractatus ut demonstretur illud hominibus satis non habendum esse quod sint christiani, sed hoc insuper requiri, ut sint catholici, membra scilicet Ecclesiæ catholico-romanæ, extra quam nemini speranda est sa-

[1] **Auctores consulendi:** Encycl. *Satis cognitum*, SS. D. N. Leonis PP. XIII. — *S. Alphonsus*, Veritas fidei; — Vindiciæ pro suprema Pontificis potestate. — *Bellarmin.*, De Ecclesia; — de S. Pontifice; — de verbo Dei. — *Pichler*, Cursus theol. polemicæ. — *Gatti*, Institutiones apologetico-polemicæ. — *Murray*, de Ecclesia. — *Cercia*, Demonstratio catholica. — *Mazzella*, De Religione et Ecclesia. — *De Groot*, Summa apologetica de Ecclesia. — *Perriot*, De Eccl. — *Egger*, Enchiridion theol. dogm. generalis. — *Tarquini*, Juris ecclesiastici publici institutiones. — Sed præsertim schemata Conc. Vaticani, et adnotationes, in Collectione Lacenci, T. VII.

lus. — Sed præter hunc scopum, qui totus est polemicus, alium etiam intendamus oportet, et eum quidem fidelibus utiliorem, et in eo positum, ut eis intima Ecclesiæ natura et constitutio exhibeantur; qua ex cognitione, cum arma ad vindicanda ab hostium cavillationibus jura et prærogativas, quae divinus ejus Fundator Ecclesiæ inesse voluit, subministrabuntur; tum amor erga S. Ecclesiam, Matrem nostram, excrescet. Et re quidem vera, teste SS. D. N. Leone PP. XIII: « Multum in intuentium animis nativa Ecclesiæ pulchritudo speciesque posse debet: neque abest a veri similitudine, tolli ejus contemplatione posse inscientiam; sanari opiniones falsas præjudicatasque,... quin imo excitari etiam in hominibus posse Ecclesiæ amorem utique similem caritati, qua Jesus Christus eam sibi sponsam, divino cruore redemptam, optavit: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea.* » *(Encycl. Satis cognitum).*

153. — Diversæ Ecclesiæ. — Diversi cœtus, qui se divinam et veram Christi Ecclesiam esse asseverant, ad tres reduci possunt. Existunt enim:

1. *Ecclesia Catholico-Romana.* Hujus membra per omnes mundi partes diffusa, non solum in eadem fide, et in eorumdem Sacramentorum participatione consociantur, sed eumdem etiam sequuntur Supremum Pastorem, Romanum Pontificem, quem ut visibile Ecclesiæ Caput et Christi Vicarium venerantur.

2. *Et ecclesiæ schismaticæ.* Ecclesiæ schismaticæ, primatu Romani Pontificis rejecto, ab unitate Ecclesiæ defecerunt.

Præcipuæ ecclesiæ schismaticæ sunt: *a) Ecclesia græca*, cujus separatio sæculo IX sub Photio inchoata, sæculo XI sub Michaele Cærulario consummata fuit. Ab eo tempore pluries tentata est unio Græcorum cum Ecclesia Romana, et in conciliis Lugdunensi et Florentino peracta est; sed opera Patriarcharum Constantinopolitanorum, mox iterum dissoluta est, et hodie adhuc perseverat schisma.

b) Ecclesia Russiaca seu Moscovita. Fides in Russiam sæculo X., unione Ecclesiæ Græcæ cum Romana adhuc vigente, introducta est; Ecclesiæque ibi fundatæ Patriarchis Constantinopolitanis subditæ erant. Deficiente vero Ecclesia

græca ab unitate, deficere etiam incœpit Ecclesia Russiaca, cujus separatio circa annum 1450 per Photium Kiovensem consummata adhuc perdurat.

Hac nostra ætate, peracto concilio Vaticano, ut aliqua Ecclesia sit schismatica, quin simul hæresi contaminetur, vix fieri potest; siquidem, vix potest evenire ut aliqua Ecclesia a Romano Pontifice separata, unam alteramve veritatem a prædicto Concilio de fide definitam non inficietur.

3. *Et sectæ hæreticæ.* Hæ sectæ non solum ab unitate Ecclesiæ desciverunt, sed ipsam fidem erroribus commaculaverunt. Aliæ orientales sunt, occidentales aliæ.

In Oriente quatuor præcipuæ vigent hæreticorum sectæ, seu Ecclesiæ: *a*) *Ecclesia Chaldaica*, quæ Nestorii errores sequitur, et vocatur *Nestoriana*. — *b*) *Ecclesia Syriaca*, quæ Jacobi Bradæi Monophysitæ errores amplexa est; et denominatur *Jacobita*. — *c*) *Ecclesia Armena*, quæ Eutychetis errores profitetur. — *d*) *Ecclesia Alexandrina seu Coptica*, sic denominata a lingua coptica seu ægyptiaca, qua in liturgia utitur; hæc ecclesia prædictarum sectarum erroribus commaculatur.

In Occidente, sectæ hæreticæ communi nomine *protestantes* nuncupantur; quandoquidem earum primi asseclæ in comitiis Spiræ habitis, contra divinam Ecclesiæ auctoritatem protestati sunt. Protestantismi præcursores fuerunt Wieleff in Anglia, et Joannes Huss in Bohemia. Ejus vero auctores et duces fuerunt: *a*) Lutherus, cui adhæsit Philippus Melanchton; *b*) Zwinglius et Œcolampadius, duces Sacramentariorum; *c*) Munzer et Joannes de Leiden, Anabaptistarum principes; *d*) Henricus VIII et Cranmer, schismatis anglicani patres; *e*) Calvinus et Beza, qui Lutheri doctrinam, in multis tamen immutatam, in Helvetia, Gallia et Hollandia sparserunt; *f*) Socini ambo, Lelius scilicet et Faustus, Antitrinitariorum duces.

154. — Media argumentationis. — Cum Ecclesiæ institutio sit factum quoddam positivum a libera Christi voluntate pendens, ideireo in investiganda Ecclesiæ natura, non tam ratione quam auctoritate nitendum est, dictis scilicet et factis Christi, quæ ex Scripturis et Traditione nobis innotescunt.

Si cum hæreticis et schismaticis, qui divinam sacrorum librorum auctoritatem agnoscunt, disputatio instituatur, libris sacris utpote divina pollentibus auctoritate, in modum argumenti ad hominem uti possumus: si vero contra incredulos Ecclesiæ natura et proprietates probandæ suscipiantur, libris sacris utpote auctoritate pollentibus humana uti possumus; quippe quorum auctoritas humana in præcedenti tractatu probata est.

Stabilitis semel ex Scriptura et Traditione Romanæ Ecclesiæ divina missione et infallibili magisterio, Ecclesiæ decreta et canones tanquam irrefragabilia veritatis argumenta allegari poterunt. — Imo, noster hicce tractatus, cum non eò tantum pertineat, ut acatholicorum putida figmenta refellantur, vel hi ad veræ Ecclesiæ gremium reducantur, sed eò etiam spectet, ut ipsis catholicæ Ecclesiæ filiis, et Ecclesiam ut Matrem diligentibus, et eam ut Sponsam Christi toto corde amplectentibus, et ejus vocem ut infallibile Spiritus Sancti oraculum audientibus, penitior de Ecclesiæ natura et prærogativis notitia tradatur, ideirco nihil prohibet quin in horum utilitatem Ecclesiæ canones et decreta in medium afferamus, antequam Ecclesiæ Romanæ divinitatem demonstremus. Quem in finem multis propositionibus notam theologicam præfigemus, sicut jam in tractatu de vera Religione præstitum est.

Ad Traditionem quod attinet, quæstione de divinitate et infallibilitate traditionum etiam seposita, primitivæ Ecclesiæ traditio maximam in inquirenda vera religione auctoritatem humanam habet. Cum enim apud omnes gentes patria religio semper fuerit res sacratissima et omnium maxima, fideles primitivæ Ecclesiæ de omnibus Christi dictis et factis diligenter inquisierunt; præterea, quia non diu post Christi adventum vixerunt, traditione orali ab Apostolis derivata, multa, quæ ad Christi religionem et Ecclesiam spectant, certo scire potuerunt. Horum igitur testimonium, etiam historice tantum consideratum, ad veram Christi religionem et Ecclesiam dignoscendam magnopere conducit.

Denique, primitivæ Ecclesiæ traditio ad protestantes redarguendos permultum confert. Fatentur enim Ecclesiam Ro-

manam per quinque vel saltem per tria priora sæcula veram fuisse Ecclesiam, neque a veritate nisi post illud tempus defecisse. Sibi igitur ni contradicere velint, testimonia Patrum, qui tribus primis Ecclesiæ sæculis vixerunt, accipiant necesse est.

155. — **NB.** Ex dictis patet, nos in circulum vitiosum non impingere, dum Ecclesiam ex Scripturis, Scripturas autem ex Ecclesia probamus. Dum enim Ecclesiam ex Scripturis probamus, Scripturis utimur non ut inspiratis, sed ut libris historicis, qui nobis Christi facta et dicta referunt, et quibus secundum strictas regulas critices omnimoda fides historica adhibenda est. Ex Scripturis igitur utpote historice certis, discimus et probamus Christum aliquam instituisse Ecclesiam, eique infallibilem docendi auctoritatem concessisse. Deinde, probato Ecclesiæ infallibili magisterio, quinam libri sint canonici atque divina valeant auctoritate, ex auctoritate Ecclesiæ probamus. Hinc patet non probari idem per idem, præsentemque demonstrationem petitione principii nullatenus inniti.

156. — **Divisio tractatus.** — In tota theologia nullus fortasse tractatus occurrit, cujus apud auctores tanta divisionum varietas, quanta pro tractatu de vera Ecclesia inveniatur. Eam præ cæteris divisionem seligere placuit, quæ et processui logico et dicendorum claritati magis consulere videatur.

Jamvero processus logicus expostulare videtur ut imprimis Ecclesiæ naturam atque proprietates, quales Christus eas esse voluerit, penitus cognoscamus.

Posteaquam, diversis Ecclesiis cum Ecclesia, qualem Christus eam instituit, collatis, Ecclesiæ naturam atque proprietates perspectas habuerimus, quisnam ex diversis cœtibus sit vera Christi Ecclesia, facili negotio agnoscemus.

Igitur: in prima Parte ex Scripturis et primæva traditione Ecclesiam a Christo fundatam delineabimus. In secunda Parte, Ecclesiæ Romanæ divinitas in aperto ponetur. — His duabus partibus ea, quæ ad Ecclesiam proprie pertinent, absolvuntur. Tertia tamen adjicietur Pars: *de fontibus fidei*, et quidem recte. Cum enim, ut ex dicendis in P. I et II constabit, Ecclesia constituta sit custos revelationis et veritatis magistra, idcirco, ut doctrina de Ecclesia omni ex parte ad apicem ducatur, de ipso deposito revelationis, cujus custodiæ præposita est Ecclesia, et ex quo eas haurit veritates, quas fidei nostræ credendas proponit, quædam prælibanda sunt.

PARS I.

ECCLESIÆ A CHRISTO FUNDATÆ DELINEATIO.

157. — Quatuor in hac prima parte investiganda occurrunt: primum, *an* sit aliqua Ecclesia a Christo fundata; antequam enim alicujus rei essentiam scrutari liceat, scire oportet an sit. — Cognita Ecclesiæ existentia, *quid* sit Ecclesia, quænam sit intima ejus natura a divino Fundatore indita, inquirendum est. — Exhibita intrinseca Ecclesiæ natura, quærendum est *qualis* sit, quænam scilicet sint proprietates, quas Christus eidem inesse voluit. — Denique cum ex voluntate Christi omnes homines veram Ecclesiam ingredi teneantur, divinus ejus Fundator eam quibusdam signis seu notis, quibus tanquam vera Christi Ecclesia ab omnibus agnosci possit, insignire debuit.

Agemus ergo in Cap. I. De Ecclesiæ institutione.
in Cap. II. De intrinseca Ecclesiæ natura.
in Cap. III. De proprietatibus Ecclesiæ.
in Cap. IV. De Notis Ecclesiæ.

—

CAPUT I.

DE ECCLESIÆ INSTITUTIONE.

Antequam demonstrare nobis liceat aliquam a Christo institutam fuisse Ecclesiam, Ecclesiæ notitia saltem generica præmittatur, necesse est. Cum vero sapientis sit propter finem agere, liquido sequitur ut, probata Ecclesiæ institutione, de fine, ob quem Ecclesia a Christo sit instituta, quædam adjiciantur. De tribus igitur dicendum est: I. De Ecclesiæ definitione; II. De ejus fundatione; III. De ejus fine.

ARTICULUS I.

DE ECCLESIÆ DEFINITIONE. [1]

158. — Significatio vocabuli Ecclesiæ. — Ad nominis significationem quod attinet, nomen *Ecclesia*, a verbo græco ἐκκαλέω derivatum, idem significat atque *evocatio*, seu *cœtus vocatorum*, seu *collectio hominum evocatorum*. — Latissima significatione omnem cœtum tam bonum quam malum significat; sic legimus (Ps. XXV, 5): *Odivi ecclesiam malignantium*. — Communi tamen usu ab auctoribus sacris et profanis in sensu minus lato accipitur ad cœtum religiosum, et speciatim ad congregationem Christi fidelium designandam. « Dicitur populus Dei cœtus vocatorum, *ait Bellarminus*, [2] quia nemo ad hunc populum se adjungit per se, et suo proprio instinctu, sed omnes quotquot veniant, a Dei vocatione præveniuntur. »

Ecclesia *metaphorice* dicitur ipse locus, in quo fideles congregantur; quo in sensu ait Apostolus (I Cor. XIV, 34): *Mulieres in Ecclesiis taceant.*

Ecclesia *proprie* sumpta pro cœtu fidelium sub Christo Capite congregatorum, varias habet acceptiones, latissimam scilicet, minus latam, et strictam. — *In sensu latissimo* Ecclesia complectitur omnes Dei servos tum in cœlis triumphantes, tum in terra militantes, tum in purgatorio patientes. « Ex omnibus fidelibus et Angelis, *inquit S. August.*, fit una civitas sub uno Rege. » *(In Ps. 36)*. De hac Ecclesia locutus est Apostolus, dicens (Eph. I, 22): *Ipsum* (Christum) *dedit Caput super omnem Ecclesiam.*

Sensu minus lato, Ecclesia significat cœtum fidelium, qui sive ante Christum, sive post Christum natum in terris versati sunt. « Ecclesiam universalem, *ait S. Greg. Magnus*, incipere ab Abel justo, usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est ». *(Hom. 19 in Evang.)*.

[1] Cf. *Curs. compl.* t. IV, p. 15. — [2] *Controv.* t. II, l. III, c. 1.

Sensu stricto et proprio Ecclesia sumitur pro societate servorum Dei in terris post Christum existentium. — De Ecclesia in hunc ultimum sensum accepta disserit hæc nostra tractatio.

« Hinc considerari potest triplex Ecclesiæ status in hac vita, *ait Mazzella* [1] cum Gatti [2]: status *legis naturæ*, status *legis scriptæ*, et status *legis gratiæ*. In statu legis naturæ nullam proprie habebat determinatam formam; etsi aliqua superaddebantur successive a Deo per revelationem.... In statu legis scriptæ forma ecclesiæ erat ad tempus determinata quoad populum hebraicum; sed gentes ad eam non tenebantur: idcirco quoad eas ecclesia erat sicuti in lege naturæ. In statu autem legis gratiæ ecclesia novam ac perfectam formam accepit à Christo; atque ad ei adhærendum obligantur omnes populi ».

159. — Essentialis Ecclesiæ definitio secundum catholicos [3]. — Ecclesia, in sua essentia considerata, aliter ab antiquioribus theologis, aliter a recentioribus definitur. Antiquiores, præscindentes a forma, et solam essentiam genericam considerantes, Ecclesiam definierunt *Cœtum seu congregationem fidelium*, vel *Congregationem baptizatorum*. « Ecclesia, *ait S. Th.*, secundum statum viæ est congregatio fidelium ». *(P. III, q. VIII, a. 4, ad 2)*. Ast, absoluto Concilio Tridentino, theologi explicatiores tradunt definitiones, quæ dogma catholicum contra hæreticos sæculi XVI clarius enuntient, neque solum genericam Ecclesiæ militantis essentiam, sed formam etiam ejusdem specificam exhibeant.

Ecclesia, quæ ut infra dicetur, (n. 174), ex Christi institutione societatem visibilem efformat, a recentioribus cum Bellarmino communiter definitur *Cœtus hominum viatorum unius et ejusdem fidei christianæ professione, et eorumdem sacramentorum communione adunatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipue Romani Pontificis* [4].

Hac definitione referuntur Ecclesiæ genus remotum, genus proximum, et differentia specifica. *Genus remotum:* Est *cœtus hominum viatorum;* ac proinde Ecclesia, non secus ac quælibet societas humana, est societas essentialiter visibilis. — *Genus proximum: unius et ejusdem fidei christianæ professione, et eorumdem sacramentorum communione adunatus;* ac proinde Ecclesia est societas visibilis non qualiscumque,

[1] *De Eccl.* n. 396. — [2] T. III, p. 341. — [3] Cf. Gatti, t. III, p. 343; Mazz., n. 40 et seq. — [4] *Controv.*, t. II, l. III, c. 2.

sed ad cultum Dei ordinata; est societas essentialiter supernaturalis, cujus membra supernaturali vinculo ejusdem fidei professionis et eorumdem sacramentorum communionis inter se consociantur. — *Differentia specifica: sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipue Romani Pontificis;* regiminis enim forma societates specifice distinguit.

160. — Definitio ecclesiæ secundum acatholicos[1]. — Hæretici pro errorum diversitate varias in medium protulerunt Ecclesiæ definitiones. Donatistæ, qui omnes per mundum Ecclesias, sua excepta, in fide errasse docuerunt, Ecclesiam definierunt « *cœtum fidelium, quorum fides nunquam defecit.* » — Pelagiani, qui ecclesiam ita sine ruga et macula esse contenderunt, ut ex solis justis, qui nullum omnino habent peccatum, constet, ecclesiam definierunt « *congregationem eorum, qui nullum habent peccatum.* » — Joannes Wicleff et Joannes Huss ecclesiam dixerunt esse *congregationem prædestinatorum:* inde deduxerunt præscitos, etiam quando sunt in statu gratiæ, non esse de Ecclesia. — Lutherus eam definivit: *Congregationem sanctorum, qui vere credunt et obediunt Deo;* ex quo arguit peccatores, ac proinde Papam, quem peccatorem dixit, non esse de Ecclesia. — Calvinus Ecclesiam dixit esse *congregationem justorum prædestinatorum;* ex quo intulit solos prædestinatos, qui actu sint in statu gratiæ, esse de Ecclesia. — Quibus in definitionibus ab hæreticis allatis, communis et fundamentalis error continetur, nempe ecclesiam esse invisibilem: nullus enim citra revelationem, quisnam sit justus aut prædestinatus, certo scire potest.

161. — De Ecclesiæ nominibus, figuris et parabolis. — 1. In Scriptura Sacra multis nominibus Ecclesia metaphorice designatur; satis habebimus ea referre, quibus præcipui ejus characteres commendantur. Dicitur Ecclesia: *Domus Dei,* (Tim. III, 5); *Civitas Dei,* (Ps. 47); *Civitas supra montem posita,* (Matth. V, 14); *Regnum Cœlorum,* (Matth. XIII); *Regnum Dei,* (Luc. XIII); *Regnum Christi,* (Joan., XVIII); *Castrorum acies ordinata,* (Cant. VI, 10); *Semen Abrahæ,* (Gal. III, 29); *Corpus Christi,* (Col. I, 24; Eph. I, 22, et alibi sæpius); *Ovile Christi,* (Joan., X, 16); *Sponsa Christi,* (Cant. IV, 8; — Osee, II, 19); *Regina circumdata varietate,* (Ps. 44, 11).

2. **Figuræ** Ecclesiæ ante legem mosaicam quatuor præcipuæ enumerantur: *a*) *Paradisus terrestris,* in quo solo erat beatitudo; *b*) *Eva,* cujus formatio e latere Adami dormientis

[1] Cf. Mazz., n. 404; Gatti, t. III, p. 347.

formationem Ecclesiæ e latere Christi mortui figurat; *c*) *Arca Noe,* extra quam nullus a diluvio salvus factus est; *d*) *Uxores Patriarcharum,* quarum fœcunditas Ecclesiæ fœcunditatem, quæ innumeros quotidie Christo gignit filios, præfigurabat.

Tempore legis tres præsertim enumerantur figuræ: *a*) *ipsa gens judaica,* « quæ, *ut ait S. August.*, magnus quidam propheta fuit Christi, christianique populi »; *(cont. Faust., l. XIII, c. 14); b*) *templum Jerosolymitanum,* quod centrum totius religionis populi hebraici exstitit; *c*) *lapis* de monte sine manibus abscissus, qui factus est mons magnus et universam implevit terram. *(Dan. II, 34, 35).*

Inter figuras Ecclesiæ in libris N. Test. memoratas, notandæ sunt: duplex piscatio jussu Christi facta; Christi tunica inconsutilis; vas quod S. Petrus vidit descendens de cælo, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terræ et volatilia cœli *(Act. X).*

3. **Parabolæ,** quibus Ecclesia in Evangelio designatur, quinque solent numerari: parabola *areæ,* in qua frumentum et palea miscentur, *(Matth., III, 12);* parabola *convivii nuptialis,* ad quod omnes, divites et pauperes, cæci et claudi vocantur, sed a quo illi, qui vestem nuptialem non habent, excluduntur, *(Matth., XXII);* parabola *retium seu sagenæ* missæ in mare, et ex omni genere piscium congregantis, *(Matth., XIII);* parabola *pascuorum,* in quibus oves et hædi communibus pascuis utuntur, *(Matth., XXV);* parabola *agri,* in quo inimicus homo superseminavit zizania *(Matth., XIII).*

ARTICULUS II.

DE ECCLESIÆ FUNDATIONE.

162. — Cognito in genere quid sit Ecclesia, inquirendum est an Christus aliquam Ecclesiam, societatem scilicet religiosam, quam doctrinæ suæ constituerit custodem, fundaverit.

Adversarios, saltem indirecte, protestantes habemus. « Ecclesiam esse a Christo institutam tanquam societatem, *inquiunt theologi Vaticani (pag. 579),* statuitur in primis contra vulgarem a protestan-

tium doctrina profectam sententiam affirmantium, allatam a Christo revelationem esse quidem « *religionem,* qua homines conjunguntur cum Deo; sed non esse *societatem,* qua homines cum invicem conjunguntur; » vel dicentium, « christianam religionem interna uniuscujusque societate cum Deo absolvi, ab eaque nullam hominum inter se societatem sive communionem exigi; » unde negant « institutam a Christo esse societatem, in qua divina Christi religio excolenda, et extra quam vera Christi religio nulla sit. » — Ecclesiam vero ad normam societatis ab Apostolis post Christi mortem constitutam fuisse docent; et quidem non secundum legem a Christo Domino sancitam, verum pro rerum adjunctis et ex causis plane humanis.

Adversarios etiam habemus quotquot Evangeliorum authenticitatem negant, recentiores scilicet rationalistas, et imprimis Strauss. Hic, in sua vita Christi, sicut Evangelia labente sæculo secundo a Christi discipulis conscripta fuisse tradidit, ita ab iisdem eodem tempore Ecclesiam institutam et synagogæ substitutam fuisse edocuit. (Cf. n. 103).

163. — Prop. I. *Christus Ecclesiam ceu veram societatem religiosam, et immediate quidem per se, instituit.*

Historice certa, et *theologice de fide,* ex manifestis Scripturæ testimoniis, et ex Vaticano, Const. *Dei Filius,* c. III, in quo legimus: « Deus per Filium suum Unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, etc. »

Prob. **I. Ex promissione institutionis Ecclesiæ.**

A. — Veteris Legis prophetiæ Ecclesiam a Messia fundandam prænuntiarunt. Legimus (Is. II, 2, 3): *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles; et fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et adscendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem.* His aliisque non paucis Scripturæ verbis amplitudo Ecclesiæ a Messia fundandæ delineatur. Sed Messias est Christus Jesus (n. 119 et seq.), qui testatus est (Luc., XXIV, 44): *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis et psalmis de me.*

B. — Christus Ecclesiam se esse ædificaturum expressis verbis promisit, cum ad Petrum ait (Matth., XVI, 18): *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* —

Et (Joan., X, 16) Christum legimus dixisse: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere; et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* Quibus verbis indicat Christus se omnes fideles in unum corpus sub regimine ejusdem pastoris esse reducturum, eos scilicet in veram constituturum societatem.

II. Ex facto institutionis. Cum societas sit adunatio plurium conjunctis viribus ad determinatum finem tendentium, ille per se et immediate societatem instituere dicendus est, qui plures in unum congregat, ut sub eodem regimine conjunctis viribus ad eumdem finem tendant. Atqui Christus homines immediate in unum corpus congregavit, ut sub eodem regimine, iisdemque mediis ad eumdem finem spiritualem conspirarent. Christus igitur immediate veram societatem spiritualem, quæ dicitur Ecclesia, instituit.

A. — *Prob. minor: primo ex verbis SS. D. N. Leonis PP. XIII:* « Mortales Jesus Christus, quotquot essent, et quotquot essent futuri, universos advocavit, ut ducem se eumdemque servatorem sequerentur, non tantum seorsum singuli, sed etiam consociati atque invicem re animisque juncti, ut ex multitudine populus existeret jure sociatus; fidei, finis, rerum ad finem idonearum communione unus, uni eidemque subjectus potestati. » *(Enc. Satis cogn.).*

B. — *Prob. minor: secundo per partes.*

1. *Christus homines in unum corpus congregavit.* — Christus alloquens Apostolos, dixit, (Marc. XVI, 15): *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* (Matth. XXVIII, 18): *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Unde ait Apostolus (1 Cor. XII, 13): *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* — Apud Joan. X, 16, Christus omnes se esse congregaturum dicit ut fiat *unum ovile et unus pastor;* et (Joan. XVII, 20-21): *Patrem rogat pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint: sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* — Pluries etiam testantur Evangelistæ innumeros in Christum credidisse homines.

2. *Christus homines congregavit sub eodem regimine.* — Constat ex una parte, Christum duodecim elegisse Apostolos, quibus munus prædicandi commisit, *(Matth. X, 1)*, potestatemque solvendi atque ligandi elargitus est. Constat Christum cæteris Apostolis omnibusque fidelibus B. Petrum præfecisse, (Matth. XVI, 18): *Tu es Petrus... Et tibi dabo claves regni cœlorum*, etc. (Joan. XX, 15): *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* — Constat ex altera parte, Christum fidelibus jussisse ut præpositis obedientiam exhibeant. (Matth. XVIII, 17): *Dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.* — (Luc. X, 16): *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.*

3. *Christus omnes ad communem spiritualem finem ordinavit.* — Finis societatis a Christo institutæ consistit in credentium sanctitate et salute æterna, et in ædificatione corporis Christi. (Joan. XVII, 19): *Ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* – (Joan. X, 27, 28): *Oves meæ vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me; et ego vitam æternam do eis.* — (Marc. XVI, 15): *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* — De ædificatione corporis Christi legimus apud S. Paulum (Eph. IV): *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma... Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas.... ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.*

4. *Eadem omnibus Christus præcepit media*, eamdem scilicet fidem, eorumdem sacramentorum participationem, atque eorumdem præceptorum observationem. (Marc. XVI, 15): *Prædicate Evangelium... qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* — (Joan. VI, 55): *Qui manducat meam carnem... habet vitam æternam.* — (Matth. XXVIII, 20): *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

III. Ex modo agendi Apostolorum. Post Christi ascensionem Apostoli loco Judæ proditoris Matthiam eligunt; ipsa die Pentecostes, peracta Petri prædicatione, multi crediderunt verbis ejus et *baptizati sunt; et appositæ sunt in die illa*

animæ circiter tria millia (Act. II, 41); fideles cœtum a synagoga distinctum constituunt. (Act. II). Apostoli diaconos instituunt: in synodo Jerosolymitana doctrinam auctoritative definiunt: leges statuunt: contumaces pœnis afficiunt: pastores ordinant eosque diversis ecclesiis particularibus præficiunt. Ex his omnibus, Ecclesiam jam a Christi temporibus per modum societatis constitutam fuisse, manifeste commonstratur.

IV. Ex perenni societatis christianæ existentia. Existit christiana societas ubique terrarum diffusa, quæ se a Christo fundatam dicit. Atqui si ad Christum usque retrogradientes, inde cursum sæculorum repetamus, nullum potest inveniri tempus quin Ecclesia exstiterit, vel quin se a Christo fundatam asseruerit. Cujus existentiæ testimonio nobis sunt non solum libri canonici et scriptores ecclesiastici etiam primi et secundi sæculi, sed vel ipsi auctores profani, ut Celsus, Plinius, Suetonius, Flavius Josephus, quorum scripta existentiam Ecclesiæ christianæ confirmant. Quibus testimoniis testimonia accedunt hæreticorum, quorum multum intererat Ecclesiam a Christo fuisse fundatam infitiari: quam divinam Ecclesiæ institutionem nunquam tamen negaverunt: sed penes se esse illam, quam Christus fundavit, Ecclesiam, probare conati sunt.

Christus igitur, et immediate quidem, aliquam fundavit societatem religiosam, Ecclesiam scilicet, utpote qui immediate ejus formam constituerit, ministros elegerit, Sacramenta instituerit, atque media ad Ecclesiæ finem consequendum designaverit.

Quærenti vero quonam tempore fundata sit Ecclesia, respondendum est: *a*) Ante Christi mortem Ecclesiam fuisse veluti conceptam: tunc enim temporis forma Ecclesiæ fuit indicata, Apostoli electi, leges promulgatæ, sacerdotium institutum, et præcipua sacramenta instituta, licet nondum administranda. — *b*) Ecclesiam, moriente Christo, fuisse natam: tunc enim synagoga expiravit. — *c*) Ecclesiam die Pentecostes fuisse promulgatam atque publici juris factam, et pro omnibus obligatoriam evasisse.

164. — Corollaria. Cum Ecclesia sit immediate a Christo, Deo-Homine, instituta, inde sequitur:

1. Ecclesiam esse religioni christianæ coævam et libris Novi Testamenti antiquiorem.

2. Ecclesiam esse societatem divino-humanam: *divinam,* quippe quæ Christum Deum habeat auctorem immediatum; *humanam,* quippe quæ hominibus constet mediisque materialibus necessario utatur.

3. Ecclesiam esse societatem *positivo-divinam,* cujus natura et proprietates non a principiis naturalibus repetenda sunt, sed a libera Christi ordinatione, quæ nobis unice ex Scripturis et traditione innotescit. « Ecclesiam instituit formavitque Christus Dominus: *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII,* propterea natura illius cum quæritur cujusmodi sit, caput est nosse quid Christus voluerit quidque reapse effecerit. » *(Enc. Satis cogn.).*

4. Ecclesiam esse in sua constitutione immutabilem: quod enim est de jure divino, humanam excedit potestatem. Si quis igitur formam a Christo Ecclesiæ inditam mutaret, is ipsius Ecclesiæ christianæ essentiam destrueret, et prorsus aliam extrueret [1].

165. — Prop. II. *Christus instituendo Ecclesiam, generica ejus essentiam, quam habuit a mundi initio, non mutavit, sed novum statum novamque formam ei dedit.* [2] — Certa.

NB. Aliquam in mundo semper exstitisse Ecclesiam, in qua hominibus omnia salutis media præsto erant, ex iis manifestum est, quæ n. 107 et seq. de revelatione primæva et mosaica delibata sunt.

Prob. I Pars: *Christus non mutavit Ecclesiæ essentiam.* Ecclesia, ut ex nominis etymologia patet, est congregatio hominum eadem fide inter se adunatorum et Deo conjunctorum. Sed fides, propter objecti identitatem, eadem est substantialiter ante et post Christum natum. « Sicut antiqui Patres, *ait S. Th.,* salvati sunt per fidem Christi venturi: ita et nos salvamur per fidem Christi jam nati et passi. » *(P. III. q. 61. a. 4).* — Eadem etiam fuit spes in Patriarchis ac in nobis: eadem etiam caritate Patriarchæ Deo adhærebant, et ad eumdem finem, ut nos, aspirabant. Christiana igitur Ecclesia a tempore, quo Redemptor fuit Adamo promissus, substantialiter identica exstitit.

Prob. II Pars: *Christus Ecclesiæ novum statum dedit.* Status Ecclesiæ vocatur Ecclesiæ vel fidei relatio ad Christum.

[1] Cf. Gatti, t. III, p. 394. — [2] Cf. Gatti, III, p. 361; Cercia, I sect. I, lect. 2; Mazz. n. 437 et seq.; Coll. Lac. t. VII, p. 319.

Alia autem est relatio alicujus ad rem futuram, alia ad præsentem vel præteritam. Sed Ecclesia primæva et judaica erant præparatio ad Christum venturum, sicut ipsa earum fides erat de Christo nascituro; Ecclesia autem christiana est Christi jam mortui continuatio, sicut ipsa ejus fides est de Christo jam mortuo. Status igitur Ecclesiæ Christi alius est a statu Ecclesiæ primævæ et judaicæ.

Prob. III Pars: *Christus Ecclesiæ novam dedit formam.* Forma Ecclesiæ dicitur quidquid ad ipsius regimen, et ad externam fidei protestationem pertinet, ut sunt sacerdotium, cultus, sacramenta, leges etc. Atqui hæc in Ecclesia christiana diversa sunt ab iisdem, prout in Ecclesia ante Christum exstiterant. Etenim:

In lege naturæ, fideles interno ejusdem fidei, spei et caritatis vinculo inter se erant coadunati; cultum etiam externum et sacramenta, quibus fidem exterius manifestabant, habuerunt; attamen, cum sacramenta cultusque externus nulla lege sancita fuerint, eadem non erant apud omnes; nec etiam magisterium unicum ad ea judicanda, quæ ad fidem cultumve pertinebant, constitutum erat. Deerat igitur in primæva Ecclesia commune externum vinculum; nec ipsa Ecclesia perfectam societatem externam efformabat.

In lege scripta, determinatus erat cultus publicus, determinata sacrificia et sacerdotium, instituta sacramenta, multæ leges positivæ latæ, et hierarchia, tanquam fidei et legis interpres, constituta erat. Sub lege igitur mosaica membra Ecclesiæ non solum internæ fidei, sed exterioris etiam ejusdem cultus ejusdemque regiminis vinculo in unum corpus erant adunata, atque perfectam societatem externam constituebant. Sed quidquid in judaica societate erat institutum, Christi christianæque ecclesiæ umbra et figura erat: unde adveniente realitate, figura evanesceret, oportuit.

Cultui igitur judaico novum et perfectiorem cultum substituit Christus: enimvero novum sacrificium, nova sacramenta, ac novum sacerdotium instituit. In locum diversorum sacrificiorum cruentorum Vet. Legis, Christus unicum Altaris sacrificium, quod est Novæ Ecclesiæ centrum, substituit; in ec-

clesia judaica, Sacramenta erant infirma et egena elementa, quae interiorem justitiam conferre non valebant; Sacramenta vero Ecclesiæ christianæ instrumenta sunt gratiæ, suscipientesque ex opere operato justificant; Sacerdotium aaronicum carnali generatione propagabatur; sacerdotium autem christianum spiritualiter et supernaturaliter ab uno in alium transmittitur.

Adde quod hierarchia Ecclesiæ Christi ab Ecclesiæ judaicæ hierarchia natura et perfectione longe discrepat. Sub lege mosaica, ad tempus tantum data erat Ecclesia, et uni populo judaico erat obligatoria; unde aliquando interitura erat, nec gentiles eam ingredi tenebantur; et ejus potestas hierarchica ad solos israelitas et ad tempus quidem determinatum pertinebat. Ast, quemadmodum ipsa Ecclesia, sic Ecclesiæ christianæ hierarchia ad finem usque mundi est duratura, et a Christo ita universaliter centrum ecclesiasticæ unitatis constituta est, ut qui summo hierarchæ subjici recuset, nec in Ecclesia manere, nec salutem operari queat.

Ex quibus manifestum est Ecclesiam a Christo fundatam, licet substantialiter eadem sit ac primæva et mosaica, in suo tamen statu atque in sua forma specifica ab eis omnino differre, et altioris esse perfectionis.

ARTICULUS III.

DE FINE ECCLESIÆ. [1]

166. — Finis dicitur id propter quod agens agit. In instituenda Ecclesia Christus duplicem finem intendit: ultimum unum, alterum proximum. *Finis ultimus* Ecclesiæ est ipse finis Redemptionis: salus hominum et gloria Dei; seu gloria Dei per salutem hominum. *Qui crediderit*, ait Christus, *et baptizatus fuerit, salvus erit.* (Marc. XVI, 16); et (Joan. XVII, 4): *Pater,...ego te clarificavi super terram; opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* De quo fine nunc non disseritur.

[1] Cf. De Groot, q. II, a. 3; Cercia, sect. I, lect. 7; Gatti, III, p. 398.

Finis proximus et immediatus est continuatio visibilis missionis Christi in terris. Christus scilicet Ecclesiam instituit, ut, ad animarum salutem et ad gloriam Dei procurandam, in ea et per eam visibilem suam missionem perennem in terris redderet; ac proinde ut Ecclesia personam Christi docentis et regentis continuo in terris gereret, et homines in Ecclesia et per Ecclesiam omnia subsidia ad salutem consequendam necessaria semper possiderent.

167. — Prop. *Finis Ecclesiæ proximus et immediatus est continuatio missionis Christi in terris.*

Historice *certa;* theologice *ad fidem pertinens,* ex Vaticano, Sess. IV, init.: « Pastor æternus et Episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam ædificare Ecclesiam decrevit. »

NB. Opus Redemptionis, quod Christus Salvator adimplendum suscepit, duo complectitur: solutionem scilicet pretii pro nostra liberatione, et actualem pretii applicationem animabus, ut efficaciter participes Redemptionis efficiantur. Solutionem pretii Christus, moriendo pro nobis in cruce, immediate et per se Deo persolvit; per se etiam, dum adhuc in terris degeret, pretii applicationem incœpit; ast ejus continuationem concredidit Ecclesiæ, ut in ea et per eam ad finem usque mundi salutiferum Redemptionis opus continuaretur. De hac secunda parte operis Redemptionis procedit propositio.

Prob. prop. Finis missionis visibilis Christi erat gloria Dei per salutem hominum procuranda. Sed legimus in Scripturis Christum Apostolos ad eumdem finem misisse, ad quem ipse a Patre fuerat missus, eisque ad hoc munus obeundum suam propriam potestatem communicasse, omniaque media ad hunc finem consequendum idonea elargitum esse. Ergo finis immediatus Ecclesiæ est ut visibilem Christi missionem perennem reddat in terris.

Prob. minor. I. *Christus Apostolis suam missionem demandavit.* — 1. Ad ipsam missionem quod spectat, legimus (Joan. XX, 21): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Et (cap. XV, 16): *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

2. Christus misit Apostolos tanquam suos legatos suamque personam gerentes. Legimus (Joan. XIII, 20): *Qui accipit si quem misero, me accipit.* — (Luc. X, 16): *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.* Unde ait Apostolus, (II Cor., V, 20): *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.*

3. Christus misit Apostolos eorumque successores ad omnes gentes, et usque ad finem mundi. (Marc. XVI, 15): *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* (Matth., XXVIII, 19, 20): *Euntes ergo docete omnes gentes... et ecce vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

II. *Christus suam potestatem Apostolis communicavit.* — Christus Redemptor erat Doctor, Sacerdos et Rex; cui triplici muneri triplex in eo respondebat potestas, docendi videlicet, sanctificandi et regendi. Quam triplicem potestatem Christus contulit Ecclesiæ.

1. Contulit POTESTATEM DOCENDI (Matth., XXVIII, 18, 19): *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.* — (Marc., XVI, 16) *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.*

2. Contulit POTESTATEM SANCTIFICANDI, gratiam conferendo et peccata dimittendo: (Joan., XX, 22-23): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc quum dixisset insufflavit; et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* etc.

3. Contulit POTESTATEM REGENDI: Dixit Christus Petro (Joan., XXI, 15-17.) *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Omnibus vero Apostolis dixit (Matth., XVIII, 18): *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Unde Ecclesiæ antistites monet Apostolus (Act. XX, 28): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.* — De qua triplici potestate infra fusius disputabitur (n. 209 et seq.)

III. *Christus Ecclesiæ omnia salutis media elargitus est*

1. Primum justificationis medium atque totius sanctitatis initium est fides, sine qua impossibile est placere Deo. Sed *fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi.* (Rom. X, 17). Prædicatio autem verbi Christi Ecclesiæ, et ipsi soli, concredita est, quippe quæ sola ad prædicandum Evangelium gentibus a Christo missa sit.

2. Alia præcipua gratiæ et sanctificationis media sunt sacramenta; hæc autem Christus Ecclesiæ, et ipsi soli, donavit. Unde ait Apostolus (I Cor., IV, 1): *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

3. Christus Petro munus pascendi gregem suum commisit. Sed pascere gregem Domini nihil est aliud quam media suppeditare, quibus homo sanctitatem et vitam æternam obtinere valeat. Cura igitur pascendi gregis Petro commissa, Christus eo ipso pascua, id est, media salutis ei communicavit.

Finis igitur Ecclesiæ est, ut ad ultimos terræ limites salutiferum Redemptionis opus extendat, et usque ad finem sæculi visibile Redemptoris munus ad sanctificationem corporis Christi in terris obeat, donec, impleto prædestinatorum numero, gloriosa et triumphans transeat in patriam, in æternum cum Christo Capite regnatura.

168. — Corollaria. Ex dictis sequitur: I. *Ecclesiam esse societatem spiritualem et supernaturalem.* Societatis natura ex fine desumitur; finis vero Ecclesiæ, ut manifestum est, omni ex parte spiritualis est et supernaturalis. (Cf. n. 197).

Sequitur II: *Ecclesiam esse societatem necessariam.* Nullus salvari potest nisi per Christi merita; etenim *non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* (Act. IV, 12). Sed secundum ordinariam Dei providentiam merita passionis Christi hominibus non aliter quam in Ecclesia et per Ecclesiam applicantur. (Cf. n. 236 et seq.).

Sequitur III: *Ecclesiam recte vocari sponsam Christi.* Sponsa dicitur quæ a viro ad prolem generandam et alendam eligitur. Ecclesia vero a Christo fuit electa ut innumeros filios sibi per fidem generatos aleret, atque secum in gloriam æternæ hæreditatis adduceret. *Viri,* ait Apostolus, (Eph. V, 25, 27), *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.*

Sequitur IV: *Ecclesiam recte vocari matrem nostram.* Mater dicitur quæ filios generat et nutrit. Ecclesia autem tanquam pia mater

nos omnes in sinu suo per fidem conceptos, atque per baptismum in vitam gratiæ genitos, doctrina et sacramentis jugiter pascit et fovet, donec occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. « Illius (Ecclesiæ) fœtu nascimur, *ait S. Cypr.*, illius lacte enutrimur. Spiritu ejus animamur. Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est et pudica..... Hæc nos Deo servat, hæc filios regno quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesia separatur adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi præmia qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. » *(De Unitate Eccl. c. V).*

CAPUT II.

DE ECCLESIÆ NATURA.

169. — Enucleatis Ecclesiæ fine atque existentia, ad ejusdem naturam plane determinandam gradum nunc facimus. Quæ quæstio in tractatu de Ecclesia cæteris pondere antecellit.

Ecclesia, ut ex dictis constat, vera est societas a Christo Domino fundata. Primum igitur nobis consideranda occurrit *natura generica* hujus societatis, utrum scilicet sit societas externa et visibilis, an invisibilis. *Agemus proinde in articulo I. de Ecclesiæ visibilitate.* — Cognita Ecclesiæ natura generica, *specifica ejusdem natura* est examinanda, utrum scilicet illa visibilis societas sit societas æqualium, in qua nullus jure naturæ aut jure divino positivo aliis præsit; an sit societas inæqualium, in qua non omnes eadem potestate polleant. *Unde in articulo II. sermo erit de hierarchica Ecclesiæ constitutione.* — Cum vero societates aliæ aliis essentiali perfectione antecedant, Ecclesiæ naturam penitus investigaturi, considerata hierarchica ejus constitutione, statim quædam de intrinseca et essentiali ejus perfectione adjiciemus, *quod in art. III.* peragetur. — Demum, cum quælibet visibilis societas duplici elemento necessario constet, *materiali* scilicet, quæ est hominum multitudo, et *formali*, quæ est potestas, tractabimus *in art. IV. de membris Ecclesiæ*, et *in art. V. de natura ecclesiasticæ potestatis.*

ARTICULUS I.

DE ECCLESIÆ VISIBILITATE[1].

170. — I. **Visibilitatis notio.** — Duplex est Ecclesiæ visibilitas, materialis et formalis. *Materialis Ecclesiæ visibilitas* in hoc consistit, quod est societas quæ per externa signa se conspiciendam exhibet, ita ut eam in tali loco existere, et hos vel illos ad eam pertinere, in concreto cognosci possit. Ita visibiles sunt Ecclesia Romana, Ecclesia anglicana, lutherana; ita visibilia sunt regna civilia, ut Gallia, Belgium, etc. Hæc visibilitas exsurgit ex membris quibus constat societas religiosa, ritibus quibus membra consociantur, ministerio quo reguntur, etc.

Formalis Ecclesiæ visibilitas in eo consistit, quod manifestis criteriis vera Christi Ecclesia et a falsis cœtibus certo valeat secerni, et cognosci possit tanquam ea, quæ sola a Christo, ad continuandam in terris visibilem suam missionem, fuit fundata.

Visibilitas materialis ad Ecclesiæ essentiam proprie pertinet: formalis inter ejus proprietates numeratur. Ast, cum una alterius sit fundamentum, et utraque eisdem probetur argumentis, brevitatis gratia de utraque in præsenti agimus.

171. — II. **Momentum quæstionis.** — Quæstio de Ecclesiæ visibilitate in disputatione contra novatores maximi momenti est. Qui enim negat Ecclesiam esse essentialiter externam et adspectabilem societatem, is eo ipso, et hierarchicam Ecclesiæ constitutionem atque infallibile magisterium negat; et subditorum destruit obedientiam erga prælatos; et Sacramentorum administrationem totumque cultum exteriorem penitus tollit: quippe quum hæc omnia in sola externa et visibili societate existere possint. Uno verbo, qui visibilitatem tollit, Ecclesiam a Christo constitutam funditus subvertit; atque insuper ipsam

[1] Cf. S. Alph., *Cont. Hær.*, c. XII, § 2 (VII, p. 350); Murray, Disp. V, p. 245; Gibbon, *De Luthero-Calvinismo*, Disp. II, q. I, p. 42.

Ecclesiæ necessitatem pessumdat: nisi enim Ecclesia sit externa et visibilis societas, ab homine nec cognosci nec inveniri potest, nec proinde cuiquam eamdem ingrediendi incumbere potest obligatio.

172. — Errores. — Ecclesiam esse essentialiter societatem externam, adspectabilem, visibilem, inficiantur Wicleffitæ. Hi, cum Ecclesiam definiant *cœtum prædestinatorum*, eam invisibilem esse necessario fateri coguntur. — Cum his plurimi ex protestantibus tam antiquioribus quam recentioribus consentiunt. « Quis Ecclesiam nobis monstrabit, *inquit Lutherus* [1], cum sit occulta in spiritu, et solum credatur, sicut dicitur: credo Ecclesiam sanctam. » — Idem docet Calvinus [2].

Protestantismi antesignani hunc errorem invexerunt, quo suam ab Ecclesia catholica separationem cohonestarent. Cum enim docerent Romanam Ecclesiam a mille jam annis a veritate defecisse factamque fuisse Antichristi Ecclesiam, seque ad veram Christi Ecclesiam restaurandam missos fuisse perhiberent, ex eis sciscitati sunt catholici: ubinam ergo ante Lutheri adventum erat Christi Ecclesia; hanc enim, cum sit indefectibilis, alicubi semper exstitisse necesse est? Ab hac gravissima difficultate ut sese expedirent, alii responderunt: Veram Christi Ecclesiam semper exstitisse, propterea quod ex Christi institutione solos justos, Deo tantum notos, comprehendat. Cum autem justi semper exstiterint, etiam sub captivitate babylonica (quo nomine Romanam designant Ecclesiam), hique semper fuerint Deo noti, veram Christi Ecclesiam, licet exterius a mille jam annis non amplius manifesta apparuerit, semper tamen exstitisse.

Alii vero, Scripturarum evidentia coacti, responderunt Ecclesiam esse quidem visibilem ex ordinatione divina, non tamen ita essentialiter et indefectibiliter, ut nullo temporis spatio obscurari possit. Quocirca docuerunt fieri posse, ut Christi Ecclesia aliquamdiu non amplius exterius manifesta appareat, et restauratione indigeat. Ita Calvinus, et confessio calviniana gallica, art. 31.

Alii demum, quibus nimis durum videtur concedere Ecclesiam ad tempus etiam prorsus defecisse, duplicem statuunt Ecclesiam, invisibilem unam, alteram visibilem et apparentem. Docent Ecclesiam invisibilem, quæ sola sit vera Christi Ecclesia, et solis justis et prædestinatis constet, nunquam deficere posse; Ecclesiam vero visibilem et exteriorem, quæ de Ecclesia solum habeat nomen, et justis simul et peccatoribus constet, ita deficere posse ut amplius non sit manifesta, sicuti, ut perhibent, in Romana Ecclesia ante Lutheri adventum acciderit.

[1] *De abrog. missæ priv.*, p. 1. — [2] *Instit.*, l. IV, c. 1.

173. — Doctrina catholica. — Fides autem catholica docet unam tantum esse Ecclesiam Christi veram, societatem spiritualem simul et externam, quæ ex voluntate divini sui fundatoris essentialiter est conspicua et visibilis, visibilitate tam materiali quam formali, et quæ ne ad minimum quidem tempus adeo obscurari potest, ut non amplius vel tanquam exterior societas appareat, vel tanquam vera Christi Ecclesia agnosci valeat. Sit igitur sequens propositio.

174. — Prop. *Vera Christi Ecclesia est societas essentialiter visibilis.*

De fide, ex Vaticano, Const. *Dei Filius*, c. III: « Ut officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum Unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. »

Prob. I. **Ex Script. S.** [1]. 1. *Ex Vet. Test., scilicet ex prophetiis.* Legimus (Mich., IV, 2): *Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos de viis suis.* — Et (Is., II, 2, 3): *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles; et fluent ad eum omnes gentes.* Atqui *mons domus Domini* Ecclesiam exprimit, ut omnes fatentur cum S. Augustino, [2] S. Optato Milev. [3], S. Basilio [4], S. Joan. Chrysost [5]. — Et (Is., LX, 3): *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* — Si autem Ecclesia abscondita esset atque invisibilis, gentes nec ad eam fluere aut ad eam ascendere, nec ab ea de viis Domini edoceri, nec per eam in lumine Salvatoris ambulare possent. Ecclesia ergo est essentialiter visibilis, tam materialiter quam formaliter.

2. *Ex Novo Test.* Scilicet: *a*) *Ex figuris.* Christus Ecclesiam civitati supra montem ædificatæ, et lucernæ ardenti

[1] Cf. Liber a Jesu, *De Eccl. milit.*, P. I, Disp. II, contr. 6 (t. 8, p. 214). — [2] In Joan. Tr. I, l. 13. — [3] *De schismate Donat.*, lib. 3. — [4] In Is., n. 66. — [5] In Is., II.

super candelabrum positæ comparat. *(Matth. V, 14, 15).* Sicut igitur civitas supra montem posita, et lucerna ardens super candelabrum omnibus sunt visibiles, ita et Christi Ecclesia omnibus manifesta est.

Christus Ecclesiam assimilat areæ, in qua sunt grana et palea; reti, in quo boni et mali inveniuntur pisces; agro, in quo zizania bono miscetur frumento; convivio, in quo boni et mali discumbunt; ovili, in quo oves et hædi reperiuntur. In vera igitur Christi Ecclesia boni et mali inveniuntur. Sed, fatentibus ipsis novatoribus, mali ad visibilem pertinent Ecclesiam. Ecclesia igitur Christi visibilis est.

b) *Ex facto institutionis.* Ex facto institutionis constat Christum Ecclesiam instituisse ut societatem perfecte ordinatam, in qua, ut dicitur in schemate Concil. Vatic., *de Eccl. Christi, c. IV, pag. 568*, inveniuntur: « visibile magisterium, a quo credenda interius exteriusque profitenda fides publice proponitur; visibile quoque ministerium, quod visibilia Dei mysteria, quibus interior sanctificatio hominibus et debitus cultus Deo comparatur, munere publico moderatur ac curat; visibile regimen, quod membrorum inter se communionem ordinat, externamque omnem et publicam fidelium in Ecclesia vitam disponit ac dirigit; visibile demum totum Ecclesiæ corpus, ad quod non justi tantum aut prædestinati pertinent, sed etiam peccatores, professione tamen fidei et communione cum eo conjuncti. Quibus fit, ut Christi Ecclesia in terris nec invisibilis nec latens sit; sed in manifestatione posita, veluti civitas excelsa et illustris in monte, quæ abscondi non potest, ac veluti lucerna super candelabrum, quæ sole justitiæ illuminata, mundum universum luce suæ Veritatis illustrat. »

II. **Ex Traditione.** S. Patres Ecclesiæ visibilitatem tam materialem quam formalem unanimiter commendant. Ait *S. Cyprianus*: « Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. » *(De unit. Eccl.).* — *S. Athanasius* in verba Ps. LXXXVIII, 38, *Et thronus ejus sicut sol*, scribit: « Thronum Christi intellige Ecclesiam: in illa quippe requiescit. Erit igitur, inquit, Ecclesia Christi fulgens et illuminans orbem, manensque in æternum sicut sol et luna. » — *S. Augustinus:*

« In manifestatione posuit Ecclesiam suam; non in occulto, non quæ lateat, non velut opertam, ne forte fiat sicut operta super greges hæreticorum. » *(In Ps. 18, enar. 2).*

III. **Ex Ratione.** 1. Ecclesia, *ut ait Bellarminus* (*Controv.*, l. III, c. 12), est societas non Angelorum, non animarum, sed hominum. Atqui talis societas necessario est visibilis: non possunt enim homines in unam societatem convenire, nisi externa et visibilia adsint signa et vincula, quibus socii in unum colligantur et sese mutuo cognoscant.

2. Cum extra Christi Ecclesiam nemini speranda sit salus, omnes eam ingredi tenentur. Hæc autem obligatio Ecclesiam ab omnibus agnosci posse necessario supponit. Ecclesia igitur est essentialiter visibilis.

Nec valet novatorum exceptio, nempe ad salutem necessarium non esse, ut homo exteriorem ingrediatur Ecclesiæ societatem, sed satis ei esse si vera fide in Deum credat. Etenim, secundum ordinariam Dei providentiam, per solam visibilem Ecclesiam fides gignitur, teste Apostolo (Rom., X, 14): *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Sed prædicatio ad solam Ecclesiam visibilem pertinet.

ARTICULUS II.

DE HIERARCHICA ECCLESIÆ CONSTITUTIONE.

175. — Quælibet societas, præter naturam genericam, propriam et specificam suam habet naturam et socialem constitutionem sua regiminis forma determinatam. Sicut enim specifica cujuslibet entis natura sua forma constitutiva determinatur, ita et societatis natura potestate, quæ est societatis principium formale, determinatur. Cognita igitur Ecclesiæ natura generica, ordo logicus expostulat, ut ejusdem naturam specificam, socialem scilicet ejus constitutionem seu *organizationem* et regiminis formam, inquiramus.

Docet fides catholica Christum in Ecclesia hierarchiam sacram instituisse, cui omnem potestatem, quam Ecclesiæ ad finem suum consequendum elargitus est, immediate et exclu-

sive commisit; ac proinde Ecclesiæ constitutionem socialem regiminisque formam immediate determinasse.

176. — Notio hierarchiæ. — Hierarchia vi nominis iden sonat ac *sacer principatus*, seu *sacrum imperium*, et significat seriem personarum sacram potestatem diverso gradu participantium sub unius summi sacerdotis gubernatione. Definitur a Cercia *(sect. II, lect. 12): Cœtus seu ordo præsidum et sacrorum ministrorum ad regendam Ecclesiam, gignendamque sanctitatem in hominibus divinitus institutus.*

Hierarchia distinguitur duplex, *ordinis* scilicet et *jurisdictionis*, secundum duplicem potestatem ordinis et jurisdictionis, quam Christus Ecclesiæ contulit. Ecclesia ad sanctificandos homines instituta est; ad sanctificationem vero concurrunt et Dei gratia et hominum cooperatio. Ad gratiam hominibus procurandam, Christus Ecclesiæ potestatem contulit ordinis, quæ ad sacramenta conficienda et administranda ordinatur; accipitur vi ordinationis. Ad provocandam autem hominum cooperationem Christus ei contulit potestatem jurisdictionis, quæ ordinatur ad subditos docendos et regendos; accipitur vi muneris ex deputatione a legitimis superioribus.

Hierarchia igitur ordinis definiri potest: *Ordo ministrorum ad offerendum missæ sacrificium sacramentaque conferenda divinitus institutus.* — Hierarchia vero jurisdictionis: *Ordo præsidum ad regendam Ecclesiam sub unius summa gubernatione divinitus institutus.* Hierarchia ordinis divina ordinatione instituta certo constat ex episcopatu, presbyteratu et diaconatu (cf. n. 182). Hierarchia jurisdictionis divina ordinatione constat ex primatu et episcopatu (n. 183). Sed ex ecclesiastica institutione inter primatum et episcopatum gradus existunt intermedii, ut cardinalatus, primatus nationalis, patriarchatus et archiepiscopatus.

177. — Diversæ regiminis formæ. — Triplex in societate existere potest regiminis forma. « Tres sunt, *ait Bellarminus*[1] formæ bonæ gubernationis: Monarchia, id est, unius principatus, cujus contrarium vitium est tyrannis; Aristocratia, id

[1] *De Rom. Pontif.*, l. I, c. 1.

est, regimen optimatum, cui opponitur oligarchia, hoc est, factio paucorum: et Democratia, hoc est populi totius imperium, quod in seditiones non raro degenerat. Docent hoc principes philosophorum.... nec sine magna ratione id docent. Nam si multitudo gubernanda est, fieri non potest, quin aliquo modo ex tribus gubernetur. »

« Quamquam autem, *addit*, tres tantum sunt formæ simplicis gubernationis, possunt tamen inter se illæ quasi permisceri, ex qua permixtione quatuor aliæ formæ mixti regiminis producentur. Una, temperata ex omnibus tribus; altera, ex Monarchia et Aristocratia; tertia, ex Monarchia et Democratia; postrema, ex Democratia et Aristocratia. »

178. — Errores. — Prodierunt plures errores sociali Ecclesiæ constitutioni atque regiminis formæ oppositi.

1. Protestantes [1], qui Ecclesiam a Christo Domino ad normam societatis externæ ac visibilis institutam fuisse negant, negant etiam aliquam eidem a Christo datam fuisse socialem constitutionem atque determinatam regiminis formam; sed affirmant « Ecclesiam esse instar collegii, quod libera hominum coitione et sociis jure æqualibus constat, et cujus constitutio a libera confœderatione proficiscitur [2]. »

Ex illo principio, quod nimirum Ecclesia sit collegium libera coitione initum, deducunt protestantes, Ecclesiam esse *societatem æqualium*, nullamque clericos inter et laicos adesse distinctionem; e contra, omnes fideles per baptismum factos esse sacerdotes, auctoritate et dignitate inter se æquales; totiusque ecclesiasticæ potestatis plenitudinem in populo residere. Cum vero populus per se sacris muneribus fungi nequeat, nonnullos ab eo deputari dicunt, quibus auctoritatem suam deferat, ut illius nomine ea munera obeant; qua deputatione si priventur, omni auctoritate eos privari, et in ordinem laicorum relabi. Hos propterea *ministros* vocant; et qui inter eos eminent, *episcopos et præsidentes* denominant, quin tamen ministrorum ordinem transcendant. Exinde protestantes ad validam ministrorum electionem exigunt populi suffragium [3], et in primis consensum principis sæcularis, qui « cum non amittat jus suum per ingressum in Ecclesiam, quod intuitu reipublicæ, cui præest, in quascumque universitates exercet, sine dubio etiam jus circa sacra retinebit... Deducitur hoc jus ex ipsa majestatis natura, quæ circa omnium civium negotia, quatenus superioris directioni subjici possunt, versatur. Et cum Ecclesia collegium quoddam

[1] Cf. *Theol. Conc. Vatic., Coll. Lac.*, p. 580 et seq. et p. 599. — [2] *Theol. Vatic., Coll. Lac.*, p. 580. — [3] *Coll. Lac.*, p. 607.

in republica repræsentet, non potest non, quatenus collegium seu externa societas in republica est, summæ majestatis imperio esse subjecta». Ita protestans Boehmer [1].

Protestantes igitur in Ecclesia non aliam nisi democraticam admittunt regiminis formam; divinam vero hierarchiam, et specialiter B. Petri primatum, omni conatu respuunt.

2. Ex reformatoribus in Anglia, alii, præsertim inter antiquiores, docent ecclesiasticam potestatem a Christo immediate et directe principibus sæcularibus fuisse concessam, quam deinde determinatis ministris committerent. [2] — Alii contra docent Christum solis Apostolis potestatem immediate concessisse, qui eam episcopis transmitterent; omnesque Apostolos paris fuisse dignitatis et potestatis, nullumque ex eis aliis fuisse præpositum. Hi in Ecclesia solam aristocraticam admittunt regiminis formam.

3. Reformatoribus sæc. XVI præiverat Marsilius Patavinus. [3] Hic in libro, quem inscripsit *Defensorium pacis*, hierarchiam divinitus institutam ex integro tollit. Docet: *a*) Subjectum, in quo residet Ecclesiæ potestas, esse totum cœtum fidelium, a quo in episcopos transfertur. — *b*) B. Petrum non plus auctoritatis habuisse ac cæteri habuerunt Apostoli; nec eorum caput exstitisse; imo Christum Ecclesiæ nullum caput dimisisse, sed imperatoris esse papam instituere aut destituere. — *c*) Omnes sacerdotes, sive sit papa, sive episcopus, sive simplex sacerdos, ex institutione Christi, æqualis esse auctoritatis et jurisdictionis. — Damnatus est a Joanne XXII, an. 1327.

4. Docent Græci schismatici Christum omnibus Apostolis eorumque successoribus æqualem jurisdictionis potestatem tribuisse, nullumque ex eis cæteris præposuisse, quem suum Vicarium constitueret in terris, cuique immediatam potestatem in universam Ecclesiam traderet; Beatumque Petrum nihil præ cæteris a Christo accepisse, nisi forsan primatum honoris, quo primus inter pares constitutus sit. Singulos proinde Apostolos eorumque successores eumdem participare gradum potestatis, nec in aliquem episcopum potestatem exercere posse, nisi omnes simul conveniant in concilium. Primatum vero Romani Pontificis supra alios Episcopos, qualem agnoscit Ecclesia Romana, jure ecclesiastico introductum fuisse contendunt.

5. Richerius, syndicus facultatis sorbonicæ, in suo opere *de ecclesiastica et politica potestate*, anno 1611 vulgato, docet «Christum suam fundando Ecclesiam, prius, immediatius et essentialius claves seu jurisdictionem toti dedisse Ecclesiæ, quam Petro et aliis Apostolis;» et Petrum ejusque successores non esse *nisi ministros* ab Ecclesia deputatos, qui ejus nomine potestatem exerceant; quocirca

[1] *Jus paroch.*, sect. I, c. 1, § 46. — [2] Cf. *Theol. Conc. Vat.*, Coll. Lac. p. 606 in fine. — [3] Cf. Mazzel., n. 517; Denzing., *Ench.*, n. 423.

Romanum Pontificem *Caput ministeriale* vocat. Docet præterea, potestatem jurisdictionis jure divino et independenter a S. Pontifice, non solum Episcopis, sed et presbyteris competere. Exinde Gallicani deducunt formam regiminis in Ecclesia esse aristocraticam, concilium generale esse supra Papam, Summique Pontificis decreta et judicia non esse irreformabilia nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

Qua Richerii doctrina ecclesiastici regiminis formam perverti manifestum est. « Regiminis forma, *inquiunt theologi Vaticani, (pag. 612)*, pendet a subjecto supremæ in societate potestatis; illam ergo pervertit, qui hanc vel ex integro vel ex parte subjecto denegat, cui eadem per supremum societatis auctorem competit. »

6. Richerii systema amplexi sunt Dupinius, de Dominis, cæterique theologi gallicani; illud etiam suum fecit et longius evolvit Justinus Febronius (Joannes Nicolaus de Hontheim, Trevirensis) in opere: *De statu Ecclesiæ et legitima potestate Romani Pontificis*, 5 vol. in 4°, anno 1763 edito. « Febronius, *ait S. Alphonsus*,[1] totis viribus probare nititur regimen Pontificis romani nequaquam esse supremum sive monarchicum, sed duntaxat aristocraticum, vel ad summum ex aristocratia et monarchia conflatum. Hinc Papam episcoporum primum esse asserit, ut qui a Christo Domino constitutus est primas et Caput ministeriale ad unitatem corporis aristocratici Ecclesiæ servandam; sed non ideo, inquit, Papa in communi episcopatu majori auctoritate pollet quam alii episcopi, qui æque ac Papa Ecclesiæ fundamenta, ovium pastores, Christique vicarii existunt, quique non a Papa, sed ab ipso Christo immediate et independenter a Pontifice, ad regendam Ecclesiam plenam auctoritatem acceperunt in omnibus illis, sive ordinis, sive jurisdictionis, quæ ad regimen Ecclesiæ spectant. »

179. — Quos contra errores, ut socialis Ecclesiæ constitutio atque regiminis forma, qualis a Christo fuit instituta, explanetur, probandum est: 1. Ecclesiam non esse societatem æqualium, sed clericos a laicis essentialiter esse distinctos; 2. Christum in Ecclesia hierarchiam ordinis, constantem ex episcopis, presbyteris et diaconis, instituisse; 3. Christum in Ecclesia hierarchiam instituisse jurisdictionis, qua imprimis episcopi jure divino sunt presbyteris superiores; 4. Christum in Ecclesia primatum instituisse; et 5. formam regiminis in Ecclesia ex Christi institutione esse monarchicam.

NB. — In hisce propositionibus enucleandis ea tantum attingemus, quæ ad scopum nostrum pertinent. Plura quidem tam de hierarchia

[1] *Vindiciæ pro suprema Pontif. potestate,* c. I, § 1; Cf. c. VII, § 1

ordinis, quam de hierarchia jurisdictionis inquiri possent; sed horum alia ad tractatum de Sacramento ordinis remittuntur, alia vero in tertio capite secundæ partis hujusce tractatus disputabuntur, in quo de Summo Pontifice quæstio movebitur.

180. — Prop. I. *In Ecclesia ex divina institutione essentiale clericos inter et laicos discrimen intercedit.* [1]

De fide, ex Trid. sess. VII, can. 10: « Si quis dixerit, christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit. » Et sess. XXIII, cap. 4: « Quod si quis omnes christianos promiscue N. T. sacerdotes esse aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes prophetæ, omnes evangelistæ, omnes pastores, omnes sint doctores. »

NB. — *Laici* (sic dicti a voce græca, λαος, populus) intelliguntur plebeii seu populares, quibus scilicet nulla pars ecclesiasticæ functionis demandata est. — *Clerici* vocantur depositarii sacræ potestatis, quam Dominus Ecclesiæ commisit. Nuncupantur *clerici* a voce græca κληρος (quæ sortem et hæreditatem significat), quia ipsi divino cultui consecrati quasi sors et hæreditas Domini sunt, et Dominus ipsis est pars hæreditatis suæ. [2]

Prob. **I. Ex figura novi sacerdotii.** Sacerdotium aaronicum, juxta Scripturarum testimonia, Novæ Legis sacerdotio, cujus umbra erat et figura, locum cedere debuit. Atqui in ecclesia judaica tribus sacerdotalis jure divino a reliquo populo erat distincta; præ cæteris enim solam tribum Levi elegit Deus, quæ sacrificia offerret, aliaque sacra munia perageret; nec cuiquam extra illam sacris se immiscere licitum erat. Jamvero, si in Lege Vet. Deus eos a populo discrevit, qui sacra ministrarent, nec munus eos eligendi populo commisit, a fortiori concedendum est etiam in Lege Nova, quæ Veterem perfectione superat, sacrorum mysteriorum dispensatores jure

[1] Cf. *Theol. Conc. Vat.,* Coll. Lac. p. 599. — [2] Cf. Bellarm., *De Membr. Eccl.* l. I, c. 1

divino esse a reliquo populo distinctos, nec populum sacerdotes constituendi jure pollere; nisi dicere placeat Deum umbræ et figuræ majorem quam realitati tribuisse honorem.

II. Ex Christi institutis. Christus ex turba discipulorum duodecim elegit, quos Apostolos nominavit *(Luc. VI, 12)*, eisque solis et immediate docendi, ministrandi et regendi potestatem concessit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... — Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos... — Quorum remiseritis peccata... — Quæcumque alligaveritis super terram...* — Ipsis solis potestatem contulit Eucharistiam conficiendi *(Luc. XXII, 19)*; ex eis solis publicum Ecclesiæ tribunal constituit *(Matth., XVIII, 17)*; denique tanquam Apostolorum coadjutores et socios nonnisi septuaginta duos designavit discipulos, qui sacrorum administrationem data proportione participarent *(Luc., X, 1)*.

III. Ex doctrina et modo agendi Apostolorum. *a)* Docet Apostolus *(I Cor. XII)* Ecclesiam esse instar humani corporis, in quo, licet omnia membra unum constituant corpus, et eodem vegetentur spiritu, multa tamen sunt membra, alia aliis nobiliora; et comparationem absolvit dicens (27): *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores;... Numquid omnes Apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores?* (Cf. ad Ephes. IV, 11). Et expressius adhuc idem affirmat (Act. XX, 28): *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

b) Apostoli independenter a populo, et plerumque etiam inconsulto populo, socios apostolatus elegerunt et pastores Ecclesiis præfecerunt. Paulus et Barnabas propria auctoritate per singulas Ecclesias presbyteros constituerunt *(Act. XIV, 22)*; Paulus Timotheum præfecit Ecclesiæ Ephesinæ *(I Tim. I, 3)*, et Titum Cretensi *(Tit. I, 5)*, quem etiam monet ut alios presbyteros eligat: *Hujus rei gratia constitui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* (Tit. I, 5).

Ex his autem iterum constat, depositarios ecclesiasticæ potestatis jure divino esse a populo distinctos, neque a populo suam eos sortiri potestatem; itaque clerici apte dicuntur segregati, secundum illud D. Pauli (Rom., I, 1): *Paulus servus Jesu Christi... segregatus in Evangelium Dei;* et monentur omnes ut, nisi divinitus sint vocati, ad sacerdotii honorem ne accedant (Hebr. V, 4); *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.*

181. — Corollaria. Ex dictis sequitur: I. Potestatem ecclesiasticam, qua ordinis, qua jurisdictionis, nullam in populo residere, nec quemquam a populo constitui posse sacerdotem. « Propositio quæ statuit, *ait Pius VI, in bulla Auctorem fidei*, potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur pastoribus qui sunt ejus ministri pro salute animarum, sic intellecta ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, (est) hæretica. »

II. Potestatem ecclesiasticam nullam residere penes principes sæculares. Eam enim habere non possunt neque ex concessione Christi, qui nullam eis dedit; neque ex delegatione populi, qui, quod non habet, aliis dare non potest; neque ex jure naturæ, ratione supremæ majestatis civilis, quia hæc est alterius naturæ ac potestas ecclesiastica, eaque inferior; inde fit ut ejus possessio nullum jus in sacra secum trahere valeat.

182. — Prop. II. *Est in Ecclesia ex ordinatione divina hierarchia ordinis constans ex episcopis, presbyteris et diaconis.*

De fide, ex Trid. sess. XXIII, cap. 4, et can. 6, in quo legimus: « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit. »

Tres partes continentur in propositione, quas seorsim probare necesse est; scilicet: I. esse in Ecclesia hierarchiam ordinis triplici gradu constantem; II. tres illos gradus existere ordinatione divina; III. tres illos gradus veram constituere hierarchiam.

Prob. I Pars: *est in Ecclesia hierarchia ordinis triplici constans gradu.*

I. **Ex Script. S.** De episcopis legimus (Act., XX, 28): *Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.*

De presbyteris (Tit., I, 5): *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros.* Et (I Timoth., V, 19): *Adversus presbyterum accusationem noli recipere.*

De diaconis sæpius fit mentio; (I Tim. III, 8): *Diaconos similiter pudicos:... habentes mysterium fidei in conscientia pura.* — (Philip., I, 1): *Paulus... omnibus sanctis... qui sunt Philippis, cum episcopis, et diaconibus.* Et cap. IV Act. legimus Apostolos septem ordinasse diaconos, quibus officium mensis ministrandi imposuerunt.

II. **Ex primæva traditione.** Ait *S. Clemens:* « Missus est Christus a Deo, et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis... constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui crediturі erant. » *(Ep. I. ad Corinth.)* — *S. Ignatius* ad Smyrnenses, cap. 8. scribit: « Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem: et presbyterium ut Apostolos: diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. » *Cf. eumdem ad Magnesios, c. II.*

Prob. II Pars: *tres gradus hierarchiæ divina ordinatione existunt.*

Prob. I. Quoad episcopos. Legimus. *Act., XX, 28,* episcopos a Spiritu Sancto ad regendam Dei Ecclesiam positos esse. Ergo instituti sunt divina ordinatione. — Testibus Tridentino, *sess. XXIII. cap. 4.* et Vaticano, Const. *Pastor æternus,* cap. 3. episcopi in locum Apostolorum successerunt. Sed Apostoli immediate a Christo constituti sunt episcopi, ut manifestum est de Juda, qui statim post Magistri traditionem laqueo se suspendit, de quo dicitur (Act., I, 20): *Et episcopatum ejus accipiat alter.*

II. *Quoad presbyteros et diaconos.* Presbyteri, secundum communem sententiam, successores sunt septuaginta duorum discipulorum, quos Christus designasse legitur, (Luc. X, 1). — « Episcopos vicem Apostolorum gerere, *ait S. Clemens Rom.,* discipulorum presbyteros. » *(Ep. I. ad Jacob. fratrem Domini).*

Præterea, presbyteri sicut etiam diaconi ab Apostolis et episcopis per manuum impositionem instituuntur; sed ex Scrip-

turis constat manuum impositionem Spiritus Sancti communicationem, et spiritualis potestatis collationem semper indicare. *(II Tim., I, 6)*. Jamvero non possunt Apostoli et episcopi Spiritum Sanctum communicare, nisi per divinitus acceptam potestatem. Si ergo potestas ordinandi presbyteros et diaconos Apostolis divinitus est collata, presbyteratus et diaconatus de jure divino dicendi sunt.

III. *Prob. ex traditione quoad tres gradus. — S. Clemens*, in verbis supra citatis, dicendo *acceptis mandatis*, manifeste indicat Apostolos ex Christi ordinatione episcopos et diaconos constituisse. — In eadem etiam epistola scribit: « A quibus celebrari vult (Dominus) ipse excelsissima sua voluntate definivit. » — *S. Ignatius* in epistolis ad Ecclesias docet, oportere fideles conjunctos esse « cum episcopo et presbyteris ejus et diaconis juxta sententiam Christi designatis, quos secundum propriam voluntatem suam firmavit in stabilitate per sanctum suum Spiritum. — S. Polycarpus, ad Philipp. V, diaconos vocat « ministros Dei et Christi, non hominum. » His consona docent unanimiter S. Patres.

Prob. III Pars: *tres gradus veram constituunt hierarchiam*, id est, inæqualem habent potestatem ordinis.[1] — Diaconi, ut fert unanimis traditio, potestatem corpus Domini consecrandi non habent; sed ministri sunt presbyterorum in oblatione Sacrificii Missæ; sunt igitur potestate presbyteris inferiores.

Presbyteri vi suæ ordinationis corpus Domini consecrare possunt; sed potestate carent aliis manus imponendi ad confirmationem vel sacerdotium conferendum; qua potestate episcopi vi suæ ordinationis pollent. Simplex ergo sacerdos in potestate ordinis episcopo est inferior, ut de fide declaravit Tridentinum, sess. XXIII, can. 7: « Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem,... anathema sit. »

[1] Cf. S Alph. *Cont. Hær.*, c. IX, n. 31; (VII, p. 149).

183. — Prop. III. *Est in Ecclesia hierarchia jurisdictionis, qua episcopi sunt jure divino presbyteris superiores.*

NB. Esse in Ecclesia hierarchiam jurisdictionis, sacram scilicet potestatem in corpus mysticum Christi, ad docendum et regendum gregem Domini, ex iis jam manifestum est quæ (n. 180) dicta sunt; ibi jam probatum est Christum personis a se determinatis potestatem docendi et regendi immediate concessisse. Cum igitur de hierarchia jurisdictionis tractemus, de gradibus, qui ex jure divino hanc constituunt hierarchiam unice, inquirendum est.

Hierarchia jurisdictionis jure divino duplici constat gradu: *primatu et episcopatu.* De primatu in sequenti propositione sermo erit: de episcopatu in hacce propositione agitur, in qua nos tria probare oportet: 1. Episcopos jure divino veram habere potestatem jurisdictionis; — 2. eos esse potestate jurisdictionis superiores presbyteris; — 3. istam eorum superioritatem esse de jure divino.

Prob. I Pars: *Episcopi jure divino potestatem habent jurisdictionis.*

De fide, ex Trident., sess. XXIII, cap. 4, et can. 6 et 7.

Prob. **Ex Scrip. S.** Christum Apostolis jurisdictionis potestatem concessisse, sacræ paginæ manifeste docent. Omnibus Apostolis dixit Christus: *Euntes, docete omnes gentes,... — prædicate Evangelium omni creaturæ,... — quæcumque alligaveritis... erunt ligata,... — quorum remiseritis peccata, remittuntur, etc.* Quam potestatem Christus eis concessit, ut eam suis successoribus communicarent; siquidem Ecclesiam ad finem usque mundi existere voluit, ut infra dicetur (n. 245). Atqui episcopi sunt Apostolorum successores. Episcopi ergo jure divino, vi suæ institutionis, in eam gregis partem, in qua positi sunt, jurisdictionis potestatem habent.

Præterea, affirmat Apostolus (Act., XX, 28) episcopos positos esse a Spiritu Sancto *regere Ecclesiam Dei.* Et B. Petrus eos monet, dicens (I Petr., V, 2): *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Sed *regere Ecclesiam, pascere gregem*, veram denotant jurisdictionis potestatem. (Cf. II Tim., IV, 2, 5; — ad Tit. cap. II). — Ex his, aliisque multis Apostolorum dictis et gestis, necnon et ex unanimi Patrum traditione constat, Epi-

scopos vi suæ institutionis, ecclesiasticæ jurisdictionis depositarios esse.

Prob. II Pars: *Episcopi potestate jurisdictionis sunt presbyteris superiores.*

De fide, ut supra.

Episcopos non esse presbyteris superiores primus asseruit Aerius, sæculo IV; quem secuti sunt Wicleffitæ, Waldenses, et novatores sæculi XVI, exceptis episcopalibus in Anglia.

Prob. I. **Ex Script. S.** Scribit Apostolus ad Timotheum (I Tim., V, 19): *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Episcopus igitur adversus presbyterum accusationem recipere, testes audire, atque ipsum auctoritative judicare potest. Sed qui judicat, potestate superior est eo, qui judicatur.

II. **Ex Traditione.** Unanimis sanctorum, etiam primitivæ Ecclesiæ, traditio nos docet, episcopum a temporibus apostolicis in sua Ecclesia primum semper obtinuisse locum; presbyteros vero, non secus ac alios fideles, ei perfectam semper exhibuisse obedientiam, nec ullam unquam in Ecclesia, nisi ex concessione sui episcopi, auctoritatem obtinuisse. Traditione docemur Aerium, qui sæculo IV, presbyteris eamdem ac episcopis tribuit auctoritatem, tanquam hæreticum fuisse rejectum[1]. Ecclesia igitur episcopos ut presbyteris potestate superiores semper habuit.

Prob. III Pars: *Superioritas episcoporum supra presbyteros est de jure divino.*

Hæc pars propositionis, licet a Tridentino non sit explicite declarata de fide, est tamen theologice omnino certa ex dictis ipsius Concilii, sess. XXIII, cap. 4, et ex damnata prop. Marsilii Patavini: « Omnes sacerdotes, sive sit papa, sive archiepiscopus, sive sacerdos simplex, sunt ex institutione Christi, auctoritatis et jurisdictionis æqualis. »

Prob. Qui vi divinæ suæ institutionis ordinariam et immediatam habent potestatem Ecclesiam docendi et regendi, jure divino sunt potestate jurisdictionis superiores illis, qui vi

[1] Cf. S. August. *De hæres.,* c. 53.

suæ institutionis eamdem potestatem non habent. Atqui soli episcopi vi suæ institutionis potestate docendi et regendi præditi sunt; eadem vero, vi suæ institutionis, nec presbyteri nec etiam parochi pollent. Ergo episcopi sunt jure divino quoad potestatem jurisdictionis superiores presbyteris.

Probatur minor:

a) Ex Verbis Christi. Christus, cum Ecclesiæ potestatem docendi et regendi concessit, eam in manus Apostolorum eorumque successorum exclusive contulit, ut ex Scripturis manifeste apparet. Atqui, teste universa Sanctorum doctrina, soli Episcopi, non autem simplices presbyteri, Apostolorum sunt successores. Ergo.

b) Ex Auctoritate SS. Pontificum. Asserit Papa *Vigilius:* « causas ecclesiasticas Episcoporum reservandas esse judicio, idque juxta ecclesiasticum morem, juxta paternas traditiones, juxta omnem auctoritatem evangelicæ apostolicæque doctrinæ. » Et *Pius VI.* in bulla *Auctorem fidei*, damnavit tanquam ordinis hierarchici subversivas propositiones Synodi Pistoriensis, in quibus statuebatur *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis diœcesanis ab Episcopo et parochis æqualiter pendere: vel parochos aliosve sacerdotes in Synodo congregatos esse cum Episcopo judices fidei, judiciumque in causis fidei ipsis competere jure proprio et quidem per ordinationem accepto* [1].

c) Ex prava Ecclesiæ. Si simplices sacerdotes vi suæ institutionis potestatem jurisdictionis haberent, atque jure divino judices fidei et pastores dominici gregis existerent, conciliis generalibus non secus ac Episcopi semper intervenire debuissent; nec suo jure interveniendi privari potuissent [2]. Ast ex perenni Ecclesiæ praxi, quæ erroris accusari nequit, constat, simplices sacerdotes ad Concilia rarissime esse vocatos; atque in iis, ad quæ fuerunt vocati, non eadem ac Episcopos auctoritate sedisse; et aliquando e conciliis fuisse ejectos, sicut e Chalcedonensi generali IV, in quo Patres reclamarunt di-

[1] Denzing, n. 1372 et 1375. — [2] Cf. S. Alph., *Hist. Hær., Conf.* XI, art. 8, n. 88 et 89.

centes: « Petimus, superfluos foras mittite; synodus Episcoporum est, non clericorum [1]; » — et e Lugdunensi II, anno 1274, foras etiam missi sunt omnes simplices sacerdotes, præter eos qui ad synodum nominatim vocati fuerant.

d) Ex præscriptione. A primis jam Ecclesiæ temporibus hierarchia jurisdictionis, qua Episcopi ab omnibus habebantur presbyteris superiores, instituta erat. Atqui nisi omnibus persuasum fuisset Episcoporum superioritatem esse ex divina institutione, simplices sacerdotes, quorum intererat sua jura tueri, utique reclamassent. Jamvero historia constat, nullum unquam reclamasse sacerdotem; e contra, Aerium, qui sæculo IV primus presbyteros Episcopis in potestate coæquavit, ab omnibus qua hæreticum fuisse rejectum. Firmissimum igitur argumentum subministrat præscriptio, Episcopos, ad potestatem jurisdictionis quod attinet, non solo jure ecclesiastico, sed jure etiam divino, presbyteris esse superiores.

184. — Prop. IV. *Christus in persona B. Petri primatum jurisdictionis instituit* [2].

De fide, ex Vatic., Const. *Pastor æternus*, c. I: « Si quis dixerit B. Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius ecclesiæ militantis visibile Caput; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse, anathema sit. »

Prænotanda. — 1. *Notio primatus.* — Primatus nomine generatim intelligitur quædam præeminentia. — Primatus distinguitur triplex: honoris, ordinis et jurisdictionis. *Primatus honoris* est mera tituli prærogativa, cui quædam jura honorifica, v. gr., circa sessionem, præcedentiam, annexa sunt. — *Primatus ordinis* (quem alii vocant etiam primatum directionis, auctoritatis), ille est cui annexa sunt jura, non quidem immediate rempublicam gubernandi, sed eam dirigendi

[1] Labbe, t. IV, col. 111. — [2] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 7; *Vindiciæ pro suprema Pontificis potestate.*

et efficiendi, ut ea quæ ad reipublicæ gubernationem spectant, ordinate et rite fiant; cujusmodi, v. gr., in præside alicujus reipublicæ invenitur. — *Primatus jurisdictionis* ille est, quo aliquis super alios verus superior constituitur, potestatemque obtinet eos tanquam subditos regendi et gubernandi in iis omnibus, quæ ad societatis finem pertinent.

2. *Quæstionis momentum.* — Quæstio de institutione et natura primatus in materia theologica summi momenti est, utpote quæ fundamentum sit et basis omnium, quæ de Romano Pontifice, visibili Ecclesiæ Capite, infra dicenda occurrunt. Cum enim auctoritas, quam sibi in universalem Ecclesiam vindicat Romanus Pontifex, eadem sit ac auctoritas a Christo Domino B. Petro concessa, si constare posset B. Petrum a Christo nullum accepisse primatum jurisdictionis, eo ipso constaret Romanum Pontificem auctoritatem, ad quam jus nullum habuit, usurpasse, ipsumque non Christi Vicarium, sed mercenarium esse, qui ad perdendas oves in ovile Christi introisset. Maximi igitur ponderis est propositio de institutione primatus, nec cuiquam mirum videri debet si novatores sæculi XVI aliique Ecclesiæ hostes, qui in cæteris secum indesinenter dimicant, summa concordia Petri primatum oppugnent.

3. *Errores.* — Quinam contra primatum B. Petri erraverint, ex dictis n. 178 jam constat; scilicet: *protestantes,* qui nullum primatum B. Petro collatum fuisse docent; *græci schismatici,* qui in B. Petro solummodo primatum honoris agnoscunt; primatum vero directionis et præsertim jurisdictionis ei absolute denegant; *gallicani,* qui in B. Petro ejusque successore primatum honoris et directionis, non autem jurisdictionis, agnoscunt.

185. — PROBATUR PROPOSITIO: **Ex Scriptura Sacra.**

I. Ex textu Matth. XVI, 16-18: *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dicit ei: Beatus es, Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Jamvero, ut propositio ex citatis verbis probari possit, tria constare debent: 1. Christum allocutum esse solum Simonem Petrum; 2. hæc verba: *Et super hanc Petram,* solam Petri personam significare, non autem Petri confessionem, vel fidem in Christum, vel ipsum Christum, ut somniarunt

protestantes; 3. primatum jurisdictionis his verbis vere contineri.

1. Constat Christum allocutum esse Simonem Petrum, non quatenus personam gerebat totius collegii Apostolici, ut contendunt Gallicani, sed quatenus erat singularis persona.

a) Christus enim illum alloquitur, qui eum confessus est; sed Petrus Christum confessus est nomine proprio, ut patet ex verbis Christi: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.* « Ratio igitur, *ait S. Alphonsus* [1], qua Petrus fuit a Christo constitutus petra fundamentalis Ecclesiæ, fuit quia ipse solus specialiter illuminatus et inspiratus exstitit ad confitendum Jesum Filium Dei, et ideo meruit a Christo audire: *Beatus es Simon.* »

b) Christus interpellans Petrum nomine proprio: *Beatus es Simon*, adjiciensque nomen ejus Patris *Jonæ*, imponensque ei nomen *Petrus*, *tu es Petrus*, dicensque singulariter *et ego dico tibi*, clare et manifeste indicat se illum signate alloqui, cujus nomen, quod a nativitate habuit, mutandum esse prænuntiavit quando illum primo vidit, ut refert Joannes I, 42.

c) Consonat Patrum traditio. *Ait S. Basilius:* « Quoniam fide præstabat, Ecclesiæ... ædificationem in seipsum suscepit. » *(Adv. Eunom., l. II, n. 4).* — *Et S. Ambrosius:* « Quia Petrus solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. » *(In Luc. c. XXIV, l. 10, n. 175).*

2. Certum est per verba: *Et super hanc Petram*, Christum solam Petri personam designasse. Quod ex pluribus constat, præsertim: *a) Ex obvia et naturali verborum significatione:* juxta regulas grammaticæ pronomen *hanc*, non ad aliud, quam ad subjectum, de quo immediate antea factus est sermo, referri potest: quod subjectum est ipse Petrus.

b) Ex natura verborum Christi significatione. Christus usus est idiomate syriaco, in quo, ut animadvertit S. Hieronymus, et persona et petra uno eodemque verbo *Cephas* significantur; (sicut: v. gr. gallice dicitur: Tu es Pierre, et sur cette pierre, etc.): itaque in verbis Christi eadem vox bis oc-

[1] *Vindiciæ*, c. 1, § 4; Cf. *Ver. fid.*, P. III, c. 9, n. 4 (p. 167).

currit: *Tu es Cephas, et super hanc Cephas ædificabo Ecclesiam meam.* « Hinc constat, *ait S. Alphonsus* [1], verbum *petram* a Christo applicatum fuisse non quidem divinæ suæ personæ, nec fidei professioni a Petro exhibitæ, sed propriæ personæ Petri. »

c) Ex contextu: Patet ex contextu Christum fidem Petri, per collationem alicujus doni singularis, remuneratam voluisse. Ast, si non Petrum personaliter, sed vel seipsum, vel fidem, quæ omnibus est communis, designasset tanquam petram super quam ædificanda erat Ecclesia, nullum donum singulare Petro contulisset.

d) Ex unanimi Patrum traditione et sensu Ecclesiæ. Ait S. Cyprianus: « Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem ædificavit Ecclesiam suam. » *(Epist. 71 ad Quint.) S. Maximus:* « Per Dominum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc. » *(In Nat. BB. Petri et Pauli, sermo 1).* Alia testimonia vide apud S. Alphonsum, loco cit.

3. Christus, dum B. Petrum Ecclesiæ fundamentum posuit, primatum jurisdictionis eidem in universam Ecclesiam eo ipso contulit [2]. Enimvero, ex Christi institutione, quod est fundamentum in ædificio materiali, hoc Petrus est in Ecclesia. Sed illud fundamenti munus est, ut videlicet in ipso et per ipsum exsurgat ædificii unitas, et toti structuræ tribuantur soliditas et immobilitas. Illud igitur munus Petri est:

a) Ut in eo et per eum unitas in Ecclesia habeatur et conservetur: ex quo efficitur, cathedram Petri vocari *centrum unitatis.* « Propterea inter duodecim unus eligitur, *ait S. Hieronymus*, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio. » *(Adv. Jovinian., l. I, n. 26).* « En ratio convincens, *addit S. Alphonsus* [3], cur S. Petrus intelligi debeat electus a Christo tanquam fundamentum principale et supremum omnium caput, cui omnes parere tenebantur, quia aliter inter ipsos Apostolos contentiones evitari non potuissent. »

[1] *Vindiciæ,* c. I, §. 2. – [2] Cf. *Encycl. Satis cognitum,* in init. 2 partis. — [3] *Vindiciæ,* c. II, §. 4.

b) Ut per eum conserventur Ecclesiæ firmitas et immobilitas, ita ut nunquam dissolvi aut ab hostibus conteri possit: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quam ob causam a Vaticano *(Const. Pastor æternus)* totius Ecclesiæ vis ac soliditas in apostolico primatu consistere dicuntur. « Petra enim dicitur, *ait S. Augustinus,* eo quod... tanquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat. » *(Sermo 192; app. edit. Bened.).*

Atqui illud Petri munus potestatis plenitudinem necessario importat. Etenim: *a)* Ecclesia est vera et perfecta societas. Societati vero unitatem et firmitatem tribuit auctoritas. Ergo eo ipso quod Christus B. Petro munus unitatem et firmitatem totius Ecclesiæ procurandi et conservandi demandavit, eidem potestatem in universam Ecclesiam attribuit. — *b)* Unitas Ecclesiæ, ut infra dicetur (n. 266 et seq.), exsurgit ex unitate fidei et regiminis, qua omnes eidem infallibili et authentico magisterio adhærent, et eidem supremæ potestati subjiciuntur. Ergo eo ipso quod Christus B. Petro munus ecclesiasticam unitatem conservandi imposuit, eidem etiam supremam docendi et regendi potestatem contulit, eumque totius Ecclesiæ supremum Pastorem et Rectorem constituit. Ergo « si Petrus est Ecclesiæ fundamentum, *inquit S. Alphonsus* [1], sine dubio ejus potestas esse debet suprema et infallibilis: alioquin ædificium Ecclesiæ nunquam in tuto, sed in continuo labendi periculo maneret. »

186. — Prob. II. Ex Matth., XVI, 19: *Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.*

His verbis, non secus atque superioribus, quibus solum Petrum allocutus est, Christus Dominus B. Petro summam potestatem in universam Ecclesiam contulit. *a)* Ex contextu patet Christum his verbis solum Petrum esse allocutum. « Nequit in dubium revocari, *ait S. Alphonsus* [2], quod sicut con-

[1] *Vindiciæ*, c. 1, §. 4; cf. c. 7, in fine, p. 598. — [2] *Vindiciæ*, c. II, §. 1; cf. *Ver. fid.*, P. III, c. 7, n. 6.

fessio Petri singularis fuit: *Tu es Christus filius Dei vivi*, ita pariter singularis fuit promissio Clavium ipsi facta, volens Christus singularem illam Petri confessionem dono Clavium remunerare, prout declararunt S. Patres. »

b) Hisce autem verbis supremam potestatem contineri manifestum est. Clavibus enim apud omnes gentes, sed speciatim apud Hebræos, suprema potestas metaphorice designatur. Sic de Eliacim, filio Helciæ, legimus (Isai., XXII, 22); *Et dabo clavem domus David super humerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat.* — Et Apoc., III, 7, suprema Christi potestas clavibus designatur: *Hæc dicit sanctus et verus, qui habet clavem David; qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit.* Regno autem cœlorum, cujus claves tradidit Christus, significatur Ecclesia, quæ sæpius regnum cœlorum vocatur; non quidem Ecclesia triumphans, sed militans, in qua sola aliquid solvendum est aut ligandum.

c) Denique Christus ipse, quam ampla sit hæc a se concessa potestas, explicat dicens: *Et quodcumque ligaveris super terram... et quodcumque solveris...* « Ligandi solvendique translata locutio, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII*, jus ferendarum legum, item judicandi vindicandique designat potestatem. Quæ quidem potestas tantæ amplitudinis virtutisque dicitur fore, ut quælibet decreta ejus rata sit habiturus Deus. Itaque summa est planeque sui juris, quippe quæ nullam habet in terris superiorem gradu, Ecclesiamque totam et quæ sunt Ecclesiæ commissa, universa complectitur. » *(Enc. Satis cognitum).*

187. — Prob. III. Ex Joanne XXI, 15-17: « *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.* »

His verbis Christus Dominus supremam in universalem Ecclesiam potestatem, quam ante suam mortem promiserat, B. Petro, eique soli, contulit, eumque totius Ecclesiæ primatem constituit. Etenim:

1. Ex toto verborum contextu diserte apparet, officium agnos et oves pascendi Petro præcipue fuisse collatum: una cum Petro aderant alii discipuli, et solum Petrum alloquitur Jesus, dicens *Simon Joannis... Pasce:* non dixit: *pascite*, quasi ad omnes loquens. — Deinde: Christus dixit: *Simon Joannis, amas me plus his;* id est, plus quam cæteri Apostoli. Ex quibus patet illud *pasce* non ad omnes Apostolos sed ad solum Petrum spectare.

2. Prædicta verba plenitudinem supremæ ac regiæ potestatis designant. « Per verbum *pasce, ait S. Alphonsus*[1], intelligitur omne officium pastorale, quod non solum est cibum præbere, sed ducere, præesse, corrigere et castigare. » — Et *SS. D. N. Leo PP. XIII:* « Illa vero, *inquit*, sunt pastoris officia et partes, gregi se præbere ducem, eumdemque sospitare salubritate pabulorum, prohibendo pericula, cavendo insidias, tutando a vi: brevi, regendo gubernando. » *(Satis cogn.).*

In Scripturis enim voces *pastor* et *pascere* subjectum usumque regiæ et supremæ potestatis indicant; teste Ezech., (XXXIV, 2): *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos!* — et (II Reg., V, 2): Davidem his dictis Deus compellavit: *Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel.*

3. Verba vero: pasce *agnos*, pasce *oves*, totum dominicum gregem, universalem Ecclesiam designant: agni sunt simplices fideles; oves, quæ generant, Ecclesiæ sunt pastores, qui doctrina sua Christo novos semper generant filios. « Prius agnos, *ait S. Eucherius*, deinde oves commisit ei, quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres; regit subditos et prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est. » *(Serm. in Vigil. S. Petri).*

[1] *Vindic.*, c. III.

Beatus igitur Petrus a Christo immediate constitutus est Rex universalis Ecclesiæ, et suprema, eminenti et independenti in omnia membra militantis Ecclesiæ auctoritate pollet.

188. — PROB. IV. *Ex aliis Scripturæ locis.*

Præter citata testimonia, quibus tanquam præcellentioribus Concilium Vaticanum *(Cap. I)* Petri primatum probavit, non desunt alia Scripturæ testimonia, quibus Petri primatus manifestatur, vel saltem innuitur.

1. Legimus (Luc. XXII, 32) Christum Petro mandasse, ut fratres confirmaret: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sed ut fideles in fide, ita ut hæc nunquam deficiat, confirmare possit, necesse est ut controversias decidat, credenda definiat, errores corrigat, dogmata contra adversarios defendat: quæ omnia absque suprema docendi et regendi potestate præstari nequeunt. — Solum Petrum Christus novo nomine nuncupavit. *(Joan. I. 42).* Nominis vero mutatio a Deo facta, aliquid speciale semper significat, sicut de Abram qui vocatus est Abraham, et de Jacob qui vocatus est Israel, manifestum est. — Solum etiam Petrum Christus in solvendo tributo sibi conjunxit, *(Matth. XVII. 23-26).* — Post Christi resurrectionem, Angelus, qui mulieres ad Apostolos misit, solum Petrum nomine suo vocavit: *Ite, dicite discipulis ejus, et Petro.* (Marc. XVI, 7). — Petro Christus redivivus primum apparuit: *Visus est Cephæ, et post hoc undecim* (I Cor., XV, 5). — Quæ omnia in Petro aliquam supra cæteros Apostolos eminentiam innuunt.

2. Quam Petri præeminentiam cæteri Apostoli agnoverunt. Evangelistæ, cum catalogum Apostolorum recensent, Petrum constanter primum nominant; cæteros vero eodem ordine non semper describunt. *(Matth. X, 2-5) — (Marc. III. 16-20 — Luc. VI. 14-17 — Act. I, 13)* — Petrum ab aliis tanquam eorumdem caput et ducem secernunt: (Marc. I, 36): *Et prosecutus est eum Simon, et qui cum illo erant.* — (Act. V. 29): *Respondens autem Petrus, et Apostoli, dixerunt.* — B. Paulus ascendit Jerosolymam videre Petrum. (Gal. I, 18).

3. Post Christi ascensionem, Petrus statim personam primatis gerit: Alterius electione in locum Judæ proditoris Apostolis proposita, eis simul eligendi modum indicat, *(Act. I, 15)*; post adventum Spiritus Sancti, *Petrus stans cum undecim* primus loquitur ad populum, *(Act. II. 14)*: primus etiam loquitur ad principes populi, *(Act. IV. 8)*: primus in gremium Ecclesiæ gentes admittit, *(XV, 7)*: primus in Concilio Jerosolymitano sententiam profert, et rem definit, *(IX. 32)*: universas Ecclesias visitat in Judæa, Samaria et Galilæa, tanquam imperator qui suas copias recenset, *ut ait S. Chrysostomus (Hom. 21, in Act.).* Ex his omnibus colligitur B. Petrum personam primatis gessisse.

189. — NB. Ad traditionem quod spectat, ea in decursu probationum sufficienter jam citata est. Constat de cætero Patres et Concilia unanimiter B. Petrum semper habuisse pro universali et Supremo Ecclesiæ Pastore, quem Christus suum in terris Vicarium et Caput totius Ecclesiæ ideo constituit, per quem et Ecclesiæ unitas fundaretur, et in quo ejus firmitas inniteretur. *Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia;* et qui Petro non superstruitur, extra Christi Ecclesiam vagatur. « Deus unus est, *ait S. Cyprianus*, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una supra Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare et unum sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. » *(Ep. 40 ad pleb. de quinque presb. schism).*

Objectiones.

190. — Protestantes et Febroniani, ut ostendant Petrum neque a Christo ullum primatum jurisdictionis accepisse, neque Ecclesiæ caput fuisse constitutum, multa congerunt argumenta, quorum præcipua paucis refutare operæ pretium fuerit.

Objicitur. I. Testatur Apostolus solum Christum esse Ecclesiæ fundamentum. (I Cor. III, 11), *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ergo illa Petra, super quam ædificata est Ecclesia, Christus est, non vero Petrus.

Resp. Christum esse primam petram et principale Ecclesiæ fundamentum, nemo unquam negavit. « Sed hoc non impedit, *inquit S. Alph.* [1], quod Dominus ex hoc mundo discedens et mundo invisibilis factus, Petrum ut fundamentum Ecclesiæ secundarium et visibile reliquerit. Salvator propria virtute est fundamentum Ecclesiæ, Petrus autem per Christi communicationem. Idcirco *S. Leo*, Petrum alloquens nomine Christi, scribit [2]: *Cum ego sim inviolabilis Petra, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Et alibi scribit: *Christus est Petra primaria, supra quam Ecclesia est ædificata; et Petrus est secundaria Petra, supra quam reliqua structura consurgit.* »

Instant: Ergo in Ecclesia duo suprema existunt capita; quod repugnat [3].

Resp. Duo in Ecclesia adesse suprema capita repugnat: *distinguo:* si ejusdem sunt dignitatis et ejusdem ordinis, *concedo;* si diversæ sunt dignitatis et ordinis diversi, *nego.* Jamvero Christus et Petrus capita

[1] *Vindic.* c. I, § 3, p. 531; cf. *Ver. fid.* P. III, c. 7, n. 5. — [2] *In annic. assumpt. suæ,* Sermo 3, c. 2. — [3] Cf. S. Alph. *Ver. fid. loc. cit.* n. 11, p. 148.

sunt diversi ordinis: *a)* Christus totius Ecclesiæ, militantis scilicet, purgantis et triumphantis caput est; Petrus vero, solius Ecclesiæ militantis; — *b)* Christus est Ecclesiæ militantis Caput invisibile, quam interno influxu jugiter regit et gubernat; Petrus caput est visibile, quod externa gubernatione Ecclesiam regit et dirigit; — *c)* Christus, propria auctoritate; Petrus vero, auctoritate Christi, cujus vices gerit in terris, Caput Ecclesiæ est; quapropter et Petrus *Vicarius* Christi vocatur.

Sicut ergo non repugnat existere in aliquo regno regem et pro-regem (vice roi), qui regem absentem suppleat et ejus nomine rempublicam administret, ita nec repugnat in Ecclesia, tum unum adesse caput supremum principale, qui Christus est, tum aliud etiam Caput adesse supremum secundarium, quod Christi nobis nunc invisibilis vicem suppleat, et ejus nomine Ecclesiam gubernet.

191. — Obj. II. Omnes Apostoli Ecclesiæ fundamentum vocantur, (Eph., II, 20): *Superædificati super fundamentum Apostolorum.* Ergo illa vox *super Petram* non de solo Petro, sed de omnibus etiam Apostolis est intelligenda.

Resp. Omnes Apostoli vocantur et sunt Ecclesiæ fundamentum, *distinguo:* ita ut omnes æqualiter fundamenti rationem habeant, *nego;* servato ordine quodam, *concedo.* Nam sicut Petrus Ecclesiæ fundamentum constitutus est, sed absque præjudicio Christi, fundamenti summi; ita alii Apostoli sunt Ecclesiæ fundamenta, sed absque præjudicio Petri, qui post Christum est principale fundamentum, quo tanquam Petra cæteri Apostoli, ut fundamenti rationem participent, imitantur necesse est. Petrus ergo, cui Christus signate dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram* etc. virtute a Christo immediate accepta, fundamentum est firmissimum, quod ædificium Ecclesiæ in unitate plene continet; cæteri vero Apostoli fundamenta constituuntur, quatenus Petro superstruuntur, et ab eo firmitatem et soliditatem participant.

192. — Obj. III. Quam Christus Petro promisit potestatem (Matth. XVI, 19), eam cæteris etiam Apostolis elargitus est, (Matth. XVIII, 18): *Quæcumque alligaveritis* etc. — (Joan. XX, 21): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Ergo Petrus non majorem, quam alii Apostoli, potestatem accepit.

Resp. Distinguenda est potestas ordinis et potestas jurisdictionis: Quoad potestatem ordinis, omnes Apostoli erant æquales; sicut etiam nunc potestate ordinis omnes Episcopi Summo Pontifici æquales existunt.

Ad potestatem jurisdictionis quod attinet, omnes Apostoli æque etiam cum Petro acceperunt plenam potestatem ubique terrarum prædicandi, sacerdotes ordinandi, episcopos constituendi, novas Ecclesias fundandi, novasque leges circa Sacramentorum administrationem sanciendi. Hujusmodi enim potestas in illis primordiis ad fidem propagandam fuit necessaria.

Hæc autem Apostolorum æqualis potestas jurisdictionis in universalem Ecclesiam primatui Petri minime officit. Etenim: *a)* Quando

Christus omnibus Apostolis in commune dixit: *Quæcumque alligaveritis* etc., omnibus quidem plenam dedit potestatem in Ecclesiam: ast nulli ex eis tribuit potestatem in alios Apostolos: unde vi illius concessionis nullus Apostolus in alium jurisdictionem habuit, nec ullus alteri qua superior præpositus est. Quando vero Christus Petro signate et singulariter dixit: *tibi dabo claves.... quæcumque alligaveris.... Pasce oves meas*, ei tanquam supremo capiti et principi potestatem non solum in reliquam Ecclesiam, sed in alios etiam Apostolos concessit; propterea « ipsi omnes erant subordinati Petro tanquam omnium Rectori, a quo dependere debebant » [1]. « Hoc erant utique et cæteri Apostoli quod fuit Petrus, *ait S. Cyprianus*, [2] pari consortio prædíti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. » — « Hinc, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII.* illæ de beato Petro singulares veterum locutiones, quæ in summo dignitatis potestatisque gradu locatum luculenter prædicant. Appellant passim *principem cœtus discipulorum : sanctorum Apostolorum principem : chori illius coryphæum : os Apostolorum omnium : caput illius familiæ : orbis totius præpositum : inter Apostolos primum : Ecclesiæ columen* » *(Enc. Satis cogn.)*.

b) B. Petrus, non qua Apostolus tantum, sed præcipue qua Petra et fundamentum Ecclesiæ, qua claviger in regno cœlorum, qua Supremus Pastor et Confirmator fratrum, supremam et eminentem potestatem ut ordinariam accepit. Unde ejus potestas in ejus successores erat transitura. — Cæteri vero Apostoli hanc suam universalem potestatem non ut ordinariam, sed ut extraordinariam, speciali privilegio, ratione scilicet Apostolatus, acceperunt: quam ob causam, utpote ad tempus eorum Apostolatus tantum concessa, hæc universalis potestas in eorum successores non transiit [3].

193. — **Obj. IV.** Saltem Apostolus Paulus Petro potestate æqualis fuit: illi enim concredita erat *sollicitudo omnium Ecclesiarum* (II Cor., XI, 28): ipse etiam Petrum reprehendit. (Galat. II.)

Resp. 1. Propositio: « S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes, qui unum efficiunt » vel « Sunt duo Ecclesiæ summi pastores ac præsides, qui unicum caput efficiunt », ita explicata ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum, sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiæ, declarata fuit hæretica ab Innocentio X. die 24 Jan. 1647 [4].

2. « Quantum ad sollicitudinem omnium Ecclesiarum quam habuit S. Paulus, S. Augustinus respondet eam spectasse ad *solam cla-*

[1] S. Alph. *Vind.* c. I, § 4, p. 534, cf. p. 538. — [2] *De Unit. Eccl.* c. 4; S. Alph. T. 9, p. 184. — [3] Cf. S. Alph., *Vind.* c. II, § 2, p. 539. — [4] Cf. Denzing. n. 965.

rem scientiæ, quæ B. Paulo tanquam Doctori gentium data est; non autem *ad clavem potentiæ*, quæ soli Petro fuit collata. Petro igitur S. Paulus æqualis fuit prædicatione doctrinæ, non autem exercitio potestatis in universali Ecclesiæ gubernatione. » *S. Alph.* [1].

3. Quod spectat ad reprehensionem qua B. Paulus Cephæ publice restitit: *a)* docent nonnulli Cepham, cui contradixit Apostolus, non esse B. Petrum, sed alium quemdam ejusdem nominis. [2] - *b)* Alii cum S. Hieronymo docent nullum exortum fuisse verum dissidium inter Petrum et Paulum, sed B. Paulum Petro restitisse prudenti quadam simulatione, eo scilicet consilio, ne hi, qui ex gentibus crediderant, dum Paulum Petro viderent resistentem, a fide deficerent. [3]

194. — Prop. V. *Forma regiminis ecclesiastici est monarchica* [4].

Certa, tam historice quam theologice.

Prob. **I.** Propositio fluit tanquam corollarium ex iis quæ supra sunt enuntiata: regimen Ecclesiæ *non esse democraticum*, ex iis constat quæ n. 189 delibavimus; ibi enim potestatem ecclesiasticam nullam in populo residere demonstravimus. — Regimen Ecclesiæ *non esse aristocraticum* ex iis deducitur, quæ de primatu Petri dicta sunt. (n. 184). Licet enim Episcopi non sint vicarii S. Pontificis, sed jure divino sint Ecclesiæ pastores et rectores, qui ordinaria et immediata potestate Ecclesias sibi commissas gubernant, omnis tamen eorum potestas Summo Pontifici est subordinata. Restat igitur ut regimen Ecclesiæ monarchicum esse admittamus.

Posito etiam quod potestas jurisdictionis Episcopis non a Papa, sed a Christo immediate communicaretur, ut nonnulli opinantur, inde concludere non liceret Ecclesiæ regimen esse aristocraticum, vel monarchicum mixtum aristocratia. Etenim, *ut ait S. Alphonsus* [5], « Quæstio an potestas jurisdictionis quam habent Episcopi, immediate a Christo vel a Papa eis communicetur, est quæstio de mero nomine; nam, etiamsi Episcopi illam a Deo, non a Papa, immediate reciperent, semper tamen recipiunt subjectam supremæ potestati quam Christus Papæ contulit super cunctam Ecclesiam. Quamvis igitur Episcopi im-

[1] *Ver. fid.*, P. III, c. 7, n. 9. — [2] Cf. *Etudes relig.* t. VII, n. 30 et 32. Juin et Août 1865. — [3] Cf. etiam S. Th. II. II, q. 33, a. 4, ad 2. [4] Cf. S. Alph. *Vindic.* c. 6, et 7; *Ver. fid.* P. III, c. IX, § 7; Bellarm. *De Rom. Pontif.* l. I; Mazz. n. 532. — [5] *Vindic.* c. III, § 2, p. 579.

mediate a Deo haberent potestatem, hoc tamen non impedit ipsos Pontifici subesse, ut revera subsunt. » (cf. n. 336).

II. Ex similitudinibus. « Omnia symbola, *ait S. Alph.* [1], quibus in Scripturis denotatur Ecclesia, nimirum regni, navis, arcæ, ovilis, domus, aciei ordinatæ, omnia necessitatem unius rectoris significant. [2] »

III. Ex Ecclesiæ typo; *id est synagoga.* « Corpus Ecclesiæ mysticum, *inquit S. Alphonsus*, [3] nunquam potest esse unum, nisi unum præsit visibile caput, a quo corpus Ecclesiæ regatur. In antiqua Lege Dominus sic præcipit (II Paral. XIX, 11): *Amarias autem, sacerdos et pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit...* Si ergo in lege antiqua unus sacerdos præesse debuit divinis rebus, quanto magis id locum habere debet in Lege nova, quæ antiquæ perfectio et complementum est? Hinc communiter doctores, ut S. Thomas, Gerson, Bellarminus, Duval... docent regimen Ecclesiæ esse monarchicum, cum duplici tamen discrimine a gubernio monarchico temporali: primum, quia Episcopi, licet Papæ subjecti, non sunt tamen ejus vicarii, sed ordinaria potestate suas regunt Ecclesias; secundum, quia nec Papa, nec Episcopi, hæreditaria successione suas dignitates acquirunt, ut reges, sed ex omni classe fidelium eliguntur. »

IV. Ex variis congruentiis. « Ad unitatem Ecclesiæ requiritur, *inquit S. Thomas*, quod omnes fideles in fide conveniant. Circa ea vero, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri: per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unus, qui toti Ecclesiæ præsit... Non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit.

« Adhuc, nulli dubium esse debet quin Ecclesiæ regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem *reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* (Prov. VIII, 15). Optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum;

[1] *Vind.* c. VI, § 1, p. 579. — [2] Cf. Bellarm. *De S. Pontif.* L. I, c. 9. — [3] *loc. cit.*

quod patet ex fine regiminis, qui est pax: pax enim et unitas subditorum est finis regentis; unitatis autem congruentior causa est unus. Manifestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesiæ præsit.» *(Cont. Gent. IV, c. 76).*

195. — **Quæritur:** *Utrum Ecclesiæ regimen sit simplex et pura monarchia, an monarchia temperata?*

Resp. Major pars theologorum affirmat regimen Ecclesiæ esse puram et simplicem monarchiam: quidam vero docent ipsum esse monarchiam aristocratia et aliquatenus etiam democratia temperatam; quæ tamen differentia est potius de nomine quam de re.

Hæc vox *monarchia temperata,* duplici sensu accipi potest: sensu stricto et proprio, et sensu quodam lato et improprio. – Si sensu stricto et proprio accipitur, idem sonat ac *monarchia diminuta,* monarchia quæ ab aliis in aliquo dependet, neque omnimodam potestatis plenitudinem possidet.

Qui monarchiam temperatam in hanc significationem accipiunt, docent regimen Ecclesiæ esse puram et simplicem monarchiam; et quidem merito. Ad constituendam enim puram et simplicem monarchiam tria requiruntur et sufficiunt: *a)* ut supremum caput sit simpliciter unum: *b)* ut omnia societatis membra, tam individualiter quam collective sumpta, supremo capiti perfecte subjiciantur; *c)* ut suprema potestas ita plene et indivise in capite resideat, ut nulla in re ab inferioribus dependeat, aut limites suscipiat. Hæc autem, ut omnes fatentur doctores catholici, in regimine Ecclesiæ præsto sunt.

Neque illud obstat quod in Ecclesia Episcopi non sunt S. Pontificis vicarii, sed jure divino immediata et ordinaria potestate Ecclesias sibi commissas regunt, ac proinde veram constituunt aristocratiam. Episcopi enim S. Pontifici in omnibus sunt subordinati, et in S. Pontifice plena, suprema et independens residet auctoritas. «Apostolatus, et in ipso episcopatus, *ait R.mus D. Acanzo,* immediate et jure divino est ex Christi institutione, non ad imponendum limitem, sed ad cooperandum supremæ ac plenæ potestati Petri in ædificationem Ecclesiæ, quam Christus acquisivit sanguine suo.» *(Coll. Lac. p. 323.)*

Si vero *monarchia temperata* sensu lato et improprio accipitur, scilicet vel ad indicandum præter supremum societatis caput alias in Ecclesia existere dignitates, quæ ex Christi institutione potestatem participant; vel ad innuendum, omnibus cujusvis conditionis hominibus aditum patere ad omnia munera ecclesiastica, tunc nihil prohibet quin cum nonnullis auctoribus affirmetur Ecclesiæ regimen esse monarchiam aristocratia et aliquo modo etiam democratia temperatam: aristocratia quidem, quia Episcopi sunt veri Ecclesiæ principes, qui

propria et ordinaria potestate Ecclesias sibi commissas regunt; democratia vero, quia nec suprema potestas nec episcopalis auctoritas in iisdem familiis vi hæreditatis transmittuntur; sed homines ex omnibus conditionibus ad eas accipiendas assumi possunt [1].

ARTICULUS III.

DE INTRINSECA ECCLESIÆ PERFECTIONE [2].

196. — Cum societates intrinseca et essentiali perfectione aliæ aliis antecellant, quo Ecclesiæ natura intimius cognoscatur, necesse est ut, considerata hierarchica ejus constitutione, de intrinseca ejusdem perfectione sermo statim subsequatur. Quæ disputatio inter præcipuas est reponenda: quippe, quæ in hac disputatione delibantur, ea sunt et ecclesiasticæ libertatis fundamentum, et omnium quæ vindicamus Ecclesiæ jurium, fons atque origo.

Docet doctrina catholica Ecclesiam, tum essentialiter esse societatem supernaturalem et corpus Christi mysticum; tum societatem esse legalem et perfectam.

197. — **Prop. I.** *Ecclesia est societas essentialiter supernaturalis.*

Philosophice *certa:* theologice *ad fidem pertinens.*

Prob. **I. Ex declaratione SS. D. N. Leonis PP. XIII:** « Hæc societas, *inquit*, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis: atque ideireo distinguitur ac differt a societate civili. » *(Encycl. Immortale).* — Et in Encycl. *Satis cognitum:* « Ecclesia societas est ortu *divina:* fine, rebusque fini proxime admoventibus, *supernaturalis:* quod vero coalescit hominibus, *humana* communitas est. »

II. Ex Ratione. Ea societas est essentialiter supernaturalis, quæ tam ratione finis et originis, quam ratione in-

[1] Cf. Bellarm. *De S. Pontif.*, L. I, c. 3. — [2] Cf. De Groot, Q. IV; Gatti, T. III, p. 372 et seq.; Tarquini, *Juris eccle. institutiones.*

trinseci principii vitalis atque mediorum, ordinem naturalem omni ex parte supergreditur. Atqui hujusmodi est Ecclesia. Ergo.

Prob. min. — 1. *Ratione finis.* Cujuslibet societatis natura ex ejusdem fine dignoscitur. Sed hic est finis Ecclesiæ ut perennem faciat in terris visibilem Christi missionem ad gloriam Dei per salutem hominum procurandam (n. 167); qui finis omni ex parte est supernaturalis.

2. *Ratione originis.* Ecclesia, nec est societas naturalis, orta ex jure naturæ: nec societas conventionalis, orta ex jure positivo humano: sed est societas divino-positiva a Christo, Deo-Homine, libere fundata. Ecclesiæ igitur origo omni ex parte est supernaturalis.

3. *Ratione principii vitalis intrinseci.* Intrinsecum Ecclesiæ principium vitale, quod eam animat, informat, et ex quo intrinseca membrorum ordinatio in finem atque omnis eorum operatio ad finem prosequendum procedit, est fides, spes et caritas, ut infra dicetur, (n. 203); quæ dona ordinis sunt prorsus supernaturalis [1].

4. *Ratione mediorum.* Media Ecclesiæ propria ad finem suum consequendum sunt hæc, scilicet: divinitus concessa potestas docendi, ministrandi et regendi; divini verbi prædicatio; Sacramentorum dispensatio: cultus divinus: aliaque salutis media, quibus Christus Ecclesiam dotavit. Sed hæc omnia ordinis sunt supernaturalis.

Coroll. Societas civilis, cum eo immediate pertineat ut civium bonum temporale assequatur, societas est ordinis naturalis. Ecclesia igitur, utpote societas supernaturalis, qualibet humana societate superior existit; atque excellentia et præstantia civilem societatem tanto excedit, quanto æterna hominis beatitudo quodlibet temporale bonum nobilitate supergreditur [2] (cf. n. 350). « Deus, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII.* perfecit, ut Ecclesia esset omnium societatum longe præstantissima: nam quod petit ipsa tamquam finem, tanto nobilius est quam quod cæteræ petunt societates, quanto naturâ gratia divina, rebusque caducis immortalia sunt præstabiliora bona. » *(Enc. Satis cognitum).*

[1] Cf. Cercia, Sect. II, lect. 4. — [2] Cf. *Schema Conc. Vat. de Eccl.*, c. 13, coll. Lac. p. 573.

198. — Prop. II. *Ecclesia est corpus Christi mysticum*[1]. *De fide,* ex expressis Scripturæ testimoniis.

NB. — Doctrina de corpore Christi mystico in tractatu de Incarnatione fuse evolvetur, n. 965 et seq. Ad hanc igitur doctrinam quod attinet, satis habebimus ea in præsenti indicare, quæ necessaria sunt, ut intrinseca et supernaturalis Ecclesiæ natura eluceat.

Prob. Christum esse Caput Ecclesiæ, atque Ecclesiam esse corpus Christi, frequentius in B. Pauli epistolis inculcatur. Legimus (Eph. I, 22, 23): *Ipsum* (Christum) *dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* — Et re quidem vera, sicut Christus ex Virgine carnem assumpsit, ut in ea et per eam opus redemptionis impleret, ita Ecclesiam elegit et assumpsit, ut in ea et per eam opus redemptionis jugiter continuaret: Ecclesia igitur est quædam Christi extensio, et recte corpus ejus vocatur.

Item, in familia sponsa viro tam intime unitur, ut sint duo in carne una, et ipsa fiat quasi viri plenitudo ad familiam augendam et explendam. Sed Christus Ecclesiam sibi in sponsam assumpsit eamque sibi tam arcte copulavit, ut non jam duo sed unum sint, sitque Ecclesia quasi Christi plenitudo ad generandos indesinenter filios, in quibus ipse vivat, et omnia in omnibus adimpleatur.

Ecclesia igitur, corpus Christi, non est aliquid adæquate distinctum a Christo, sicut nec corpus humanum a capite adæquate distinctum est; sed est ipse Christus in plenitudine sua, comprehendens in se et Caput Christum et ejus membra. *Vos autem,* ait Apostolus, (I Cor. XII, 27), *estis corpus Christi, et membra de membro;* et (ibid. 12) Ecclesiam Christum vocat: *Sicut enim Corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.*

Sicut autem in homine caput corpori ideo inseparabiliter est unitum, ut illud regat, diversa membra eodem vitali spiritu in unum compaginet, et omnibus vitam et motum ju-

[1] Cf. Hurter, n. 296 et seq.

giter influat, ita Caput Christus corpori suo Ecclesiæ ideo inseparabiliter unitur, ut illud regat, ejus membra eodem suo spiritu in unum compaginet, vitam supernaturalem et motum gratiæ ad operandum indesinenter influat. *Veritatem autem facientes in caritate,* ait Apostolus, (Eph. IV, 15, 16), *crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus: ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate.*

« Propter eam rem quod corpus est, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* oculis cernitur Ecclesia: propterea quod est Christi, vivum corpus est actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat. immissa virtute sua, Jesus Christus, in eum fere modum quo cohærentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitæ in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitæ perspicue ex iis, quæ ab ipsa aguntur, apparet. » *(Enc. Satis cogn.).*

Ex hac doctrina de Ecclesia, corpore Christi mystico, Ecclesiæ præcellens natura imprimis manifestatur. « Ad describendam Ecclesiæ naturam secundum veram et catholicam doctrinam, *inquiunt theologi Vaticani,* statuitur primo loco *(scil. in cap. I schematis de Ecclesia),* illam esse corpus Christi mysticum, eo quod: 1. in sacris litteris Ecclesia Christi nullo alio schemate frequentius, accuratius, et disertius proponitur: 2. quod eodem schemate continetur ipsa intima Ecclesiæ natura, et præstantissima, id est, divina ejusdem species ac vis.... Apparet insuper 4. nisi illa interna Ecclesiæ species habeatur ob oculos, constitui æstimarique, ut par est, de iis non posse, quæ ad ipsam externam ejusdem faciem spectant: et notum est omnibus 5. ipsam in primis esse mystici corporis speciem, quæ nunc inter homines adeo carnales ac mundanos aut penitus ignoratur, aut, uti oportet, non attenditur. » *(Coll. Lac. p. 578).*

199. — Prop. III. *Ecclesia est societas ubique legalis. Ad fidem pertinens,* ex principiis fidei manifeste deducta.

Societas *legalis* seu *legitima* ea dicitur, quæ est secundum legem, et jus habet pacifice existendi suisque utendi juribus.

Illud in quæstione non versatur utrum Ecclesia ubique terrarum de facto existat suisque juribus libere utatur; sed an jus habeat ubique terrarum et libere sese propagandi et suis utendi juribus, quin ab ulla potestate quoad limites legitime coarctari valeat.

Prob. Si qua societas a libera Dei voluntate pro omnibus gentibus et pro omnibus terræ partibus instituta est, ea ex lege divino-positiva est legalis, et ubique terrarum legitime existere suisque juribus uti potest. Atqui hujusmodi est Ecclesia, sicuti constat tum ex verbis Christi: *Docete omnes gentes,... prædicate Evangelium omni creaturæ;* tum ex fine Ecclesiæ, qui est æterna salus hominum. Ecclesia igitur ex positiva Dei voluntate potestatem habet divinitus datam ubique sese propagandi, ubique libere existendi, et ubique nativis suis juribus utendi, quin ab ulla potestate creata legitime impediri valeat.

Coroll. Leges igitur a sæculari potestate latæ, quibus liberæ Ecclesiæ extensioni, aut libero religionis exercitio impedimenta opponuntur, aut ejusdem divinitus concessa jura læduntur, eæ omnes irritæ sunt et inanes, neque ullam obligationem inducere valent, cum nulla lex humana contra divino-positivam prævalere valeat.

200. — Prop. IV. *Ecclesia est societas essentialiter perfecta.*

Ad fidem pertinens [1].

NB. — 1. Societas perfecta, *ut ait Tarquini* [2], ea dicitur quæ est in se completa, et in se possidet media sufficientia ad finem suum assequendum. Ad societatem igitur perfectam requiritur: *a)* ut habeat finem proprium: si enim cum altera societate finem communem haberet, pars foret alterius societatis, non vero aliquid totum in se completum. — *b)* Ut finem habeat fini alterius societatis non subordinatum; cum enim societatis natura a fine suo dependeat, si finis societatis est fini alterius subordinatus, ipsa etiam societas est subordinata,

[1] Cf. Leo XIII, *Encycl. Immortale Dei.* — [2] *Jus publ. eccl.*, n. 41 et seq.; Cf. Mazz. n. 551 et seq.

sicuti patet de societate domestica relate ad civitatem. — *c)* Ut habeat in se, *re* vel *virtute*, media ad sui conservationem et ad suum finem assequendum necessaria; si enim hæc media ab alia societate accipere deberet, ab ea dependeret, nec in se completa foret. — Dicitur *re* vel *virtute:* non enim necesse est ut habeat *formaliter* in se et per se omnia media; sed sufficit ut jus strictum possideat ea ab alia societate ita petendi, ut hæc absque injuria ea denegare non possit. — *d)* Ex dictis etiam sequitur, de essentia perfectæ societatis esse, hanc a nulla alia societate dependere.

2. Circa naturam Ecclesiæ, societatis perfectæ, errant protestantes, qui, *ut ait Pius IX* [1], « autumant Ecclesiam in civili imperio quoddam veluti collegium existere, nullisque proinde pollere juribus, præter ea quæ concessa illi sint atque attributa a civili societate. » (cf. n. 178). — Errant regalistæ et liberales politici radicales, qui protestantium vestigiis inhærentes « haud erubescunt asserere, *inquit Pius IX* [2], Ecclesiam non esse veram perfectamque societatem plane liberam, nec pollere suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis esse definire, quæ sint Ecclesiæ jura et limites, intra quos eadem jura exercere queat. — Hinc perverse comminiscuntur, civilem potestatem posse se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. »

Prob. prop. **I. Ex declaratione Summorum Pontificum.** « Ecclesia, *ait Pius IX*, ut vera et perfecta societas a divino auctore suo fuit instituta, quæ nullis circumscripta regionum finibus nulli etiam civili subdatur imperio, suamque potestatem ac jura ubique terrarum in hominum salutem libere exerceat. » — Et in syllabo proscripsit prop. XIX: « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, etc. » *(Alloc. Multis gravibusque).*

Et *SS. D. N. Leo PP. XIII:* « Hæc societas, inquit,... quod plurimum interest, est societas genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque

[1] *Alloc. Multis gravibusque,* 17 Dec. 1860. (Raulx, I, p. 458); Cf. Coll. Lac., p. 580 et seq.; 602. — [2] *Alloc. Maxima quidem,* 9 Jun. 1862. (Raulx, I, p. 506).

conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita ejus potestas est omnium præstantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia. » *(Encycl. Immortale).*

II. Ex Script. S. « In sacris litteris, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* passim videmus (Ecclesiam) vocabulis societatis perfectæ nuncupatam. Nominatur enim non modo *Domus Dei, Civitas supra montem posita,* quo convenire gentes omnes necesse est: sed etiam *Ovile,* cui præsit pastor unus, et quo recipere se oves Christi omnes debent: imo *Regnum quod suscitavit Deus,* quodque *stabit in æternum:* denique *Corpus* Christi, *mysticum* illud quidem, sed tamen vivum apteque compositum, multisque conflatum membris; quæ membra non eumdem actum habent: copulata vero inter se, gubernante ac moderante capite, continentur. » *(Enc. Satis cognitum).*

III. Ex voluntate divini Ecclesiæ Fundatoris. — Qui societati præsides assignat, quibus absolutam atque ab omni alia humana potestate independentem confert potestatem, ille societatem perfectam et independentem condere intendit. Atqui 1. Christus Ecclesiæ præsides immediate designavit, sicut ex iis, quæ supra de hierarchica Ecclesiæ constitutione dicta sunt, manifestum est. — 2. Christus Apostolis eorumque successoribus absolutam et ab omni humana potestate independentem dedit auctoritatem. Apostolis enim solis dixit: *Docete omnes gentes,... Quorum remiseritis peccata....* et soli Petro dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum,* et: *Pasce oves meas.* — Et (Marc. XIII, 9), manifeste indicat Dominus potestatem, quam dedit Ecclesiæ, exercendam esse etiam invitis principibus: *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me.*

IV. Ex constanti praxi Ecclesiæ. « Hanc auctoritatem, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* in seipsa absolutam planeque sui juris, quæ ab assentatrice principum philosophia jamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere nunquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus Synagogæ prohiberentur, constanter respondebant: *Obedire oportet*

Deo magis quam hominibus. (Act. V, 29). Eamdem Sancti Ecclesiæ Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt: romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare numquam prætermiserunt. Quin etiam et opinione et re eamdem probarunt ipsi principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tanquam cum suprema potestate legitima consueverunt. » *(Encycl. Immortale.)*

V. Ex natura Ecclesiæ. Ecclesia, utpote societas supernaturalis, superioris est ordinis quam civilis quælibet societas. Sed repugnat societatem superioris ordinis a societate inferioris ordinis pendere. Ergo Ecclesia a societate civili est independens, et in se perfecta societas.

VI. Ex absurdo. Nefas est dicere Christum Ecclesiæ suæ non satis providisse. Atqui si eam per modum perfectæ societatis non fundasset, sed eam quoad suam potestatem et media ad assequendum finem a societate civili pendere voluisset, ei non satis providisset. Equidem: *a)* tribus prioribus sæculis, et adhuc hodiedum in regionibus infidelibus et acatholicis, eam arbitrio acerbissimorum tradidisset inimicorum; *b)* et in regionibus catholicis, qui suprema potestate civili pollent, supremam etiam haberent potestatem ecclesiasticam; neque adeo unica in Ecclesia existeret suprema potestas, sed quot civiles societates, totidem numero existerent in Ecclesia supremæ potestates; ac proinde de Ecclesiæ unitate omnino actum foret.

201. — Conclusio: Igitur « cum Ecclesia, *ait Pius IX*, a Christo Domino fundata, ad sempiternam hominum salutem curandam, perfectæ societatis formam vi divinæ suæ institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli potestati civili subjaceat » *(Litt. ap., 26 Mart. 1860).* — Unde: potest « ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere absque civilis gubernii venia et assensu » *(Syll. XX);* — civili potestati nulla competit potestas nequidem indirecta negativa in Sacra *(Syll. XLI);* —

neque ullo modo « civilis potestas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent; » *(Syll. XLIV)*. — Ex his, tanquam ex suo fonte, ea maximi momenti effluunt corollaria quoad potestatem magisterii, ministerii et regiminis, de quibus longe lateque tractat jus canonicum.

ARTICULUS IV.

DE MEMBRIS ECCLESIÆ.

202. — Exposita Ecclesiæ natura, consideratio nostra circa elementum ejus materiale, circa ipsius scilicet membra, versetur necesse est. Cum autem, *teste Bellarmino* [1] ex hominibus alii sint de anima et corpore Ecclesiæ, alii de anima non autem de corpore, alii de corpore non autem de anima, idcirco ut materia de membris Ecclesiæ apte proponi possit, quædam imprimis de anima et corpore Ecclesiæ præmittenda sunt.

In hoc igitur art. agemus 1. de anima et corpore Ecclesiæ: et 2. de membris Ecclesiæ.

§ 1. *De Anima et Corpore Ecclesiæ* [2].

203. — Cum humana quælibet societas sit adunatio plurium, qui ad consequendum aliquod bonum commune ab omnibus cognitum et intentum conspirant, in ea proinde, præter illa quæ externum societatis corpus constituunt, aliquid aliud requiritur, quod totum illud corpus quasi informet, vivificet, atque ad statutum finem consequendum aptum reddat et moveat: quod quidem est finis cognitio et amor, ejusque adipiscendi desiderium, et mutua ad eum conspiratio. Quod elementum si deficiat, societas est veluti corpus informe, emortuum, omni motu et vita expers.

Invisibile illud elementum, quod corpus sociale informat et quasi actuat, *societatis anima* vocatur; haud secus atque in corpore humano elementum materiale ab invisibili anima

[1] *De Eccl. milit.*, c. II. — [2] Cf. Cercia, Sect. II, lect. 4.

informatur, vivificatur, in esse humano constituitur, atque ad finem humanæ vitæ prosequendum aptum redditur ac movetur.

In Ecclesia igitur, societate externa et adspectabili, præter visibile elementum, quod corpus vocatur, elementum etiam requiritur invisibile, quod illud corpus vivificet, informet, in ordine ad finem suum supernaturalem elevet, atque ad finem suum prosequendum aptum reddat atque moveat. Quod elementum anima Ecclesiæ vocatur.

« Complexio copulatioque earum duarum velut partium, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII.* est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animæ corporisque conjunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed Corpus Christi vita supernaturali præditum... Corpus ejus (Christi) mysticum non vera Ecclesia est nisi propter eam rem, quod ejus partes conspicuæ vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque cæteris, unde propria ipsarum ratio ac natura efflorescit... Istam igitur et visibilium et invisibilium conjunctionem rerum, quia naturalis atque insita in Ecclesia nutu divino inest, tamdiu permanere necesse est, quamdiu ipsa permansura Ecclesia. » *(Enc. Satis cogn.).*

Hæc Ecclesiæ distinctio in corpus et animam non solum in SS. Patrum ac theologorum dicendi ratione fundatur, sed in ipsa Scriptura innuitur. Fideles a S. Paulo expresse dicuntur unum corpus, et unus spiritus (Eph. IV, 4): *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Sed fideles Ecclesiam constituunt: hæc est igitur unum corpus, et unus spiritus seu una anima. — Præterea, Ecclesia in sacris litteris vocatur *corpus, corpus Christi.* Ecclesia vero non est corpus mortuum et informe, sed vivum et efficax. Ergo in hoc corpore inesse debet principium quoddam intrinsecum vitale, quod ei esse, vitam et motum tribuat: hoc autem ejus animam dicimus.

Ad corpus Ecclesiæ pertinet quidquid in ea est visibile et externum, et quasi determinabile, scilicet: *a)* ipsa multitudo hominum, ex quibus materiale Ecclesiæ consortium exsurgit; *b)* regimen externum, quo homines in unitate continentur atque ad socialem operationem diriguntur; *c)* media externa, quibus utitur Ecclesia, ut, v. gr. prædicatio, Sacramentorum

administratio, ritus et cultus exterior, etc., *d)* externa manifestatio interiorum charismatum.

Ad animam Ecclesiæ pertinet quidquid est intrinsecum et spirituale, quidquid eam informat, vivificat, actuat, in esse suo supernaturali formaliter determinat, et ad finem suum aptat et movet, scilicet: *a) fides*, qua Ecclesia Christo conjungitur, et *in esse talis societatis* constituitur, et qua bonum, quod est ejus finis, cognoscit; — *b) spes*, qua Ecclesia in bonum tanquam in finem tendit; — *c) caritas*, qua fideles perfecte inter se et cum Christo uniti, in commune bonum, quod est æterna beatitudo, efficaciter tendunt; — *d) gratia habitualis*, quæ, utpote divinæ consortium naturæ, fideles quasi deificat, eosque in finem supernaturalem directe ordinat, et ex qua tanquam e sua radice fides, spes et caritas procedunt; — *e) gratia actualis*, qua fides, spes et caritas, cæteræque virtutes infusæ ad operationem moventur; — *f)* ad animam denique alia omnia Spiritus Sancti charismata, quibus Ecclesia adornatur, referri possunt.

Anima igitur Ecclesiæ, si *formaliter* consideratur, consistit in fide, spe, caritate, cæterisque donis enumeratis. Cum vero hæc divina charismata per Spiritum Sanctum diffundantur, ipse Spiritus Sanctus etiam sæpius dicitur anima Ecclesiæ, sed ad modum *causæ efficientis*. — Spiritus Sanctus etiam dicitur *Cor* Ecclesiæ; quia sicut in homine cor est principium vitæ propter occultam quamdam influentiam quam habet in omnia corporis membra, ita Spiritus Sanctus per dona sua invisibiliter in totam influit Ecclesiam, ipsamque vivificat, actuat et unit.

204. — Corollaria. *Ex dictis sequentia deducuntur:*

I. Sicut homo nec est solum corpus, nec sola anima, sed essentialiter unum quoddam substantiale ex utroque compositum, ita Ecclesia Christi nec est solum corpus, nec sola anima, sed essentialiter unum quoddam totum ex utroque compositum; corpus igitur simul et anima sunt de Ecclesiæ essentia; ac proinde illi soli, qui ad ejus animam simul et corpus pertinent, perfecta sunt Ecclesiæ membra.

« Ecclesiam, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII*, cum corpus, tum etiam corpus Christi tam crebro sacræ litteræ nominant: *Vos autem estis corpus Christi.* Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia: propterea quod est Christi, vivum corpus est actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua, Jesus Christus, in eum fere modum quo cohærentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis... Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animæ corporisque conjunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus Christi vita supernaturali præditum. » *(Enc. Satis cognitum).*

II. Sicut in homine, anima est principium vitæ et totius activitatis, ita in Ecclesia interna Spiritus Sancti dona sunt principium intrinsecum vitæ et totius activitatis; ac proinde illi, qui ad solum corpus Ecclesiæ, non autem ad ejus animam pertinent, sunt membra mortua, omni motu et vita supernaturali carentia.

III. Sicut in homine anima agit in corpus, et corpus in animam, ad totius hominis conservationem et perfectionem, ita in Ecclesia anima jugiter agit in corpus, et corpus in animam, ut mutua actione corpus Christi dilatent et in dies perfectius ædificent.

IV. Quemadmodum, sublata hominis anima, destruitur homo; sic, anima Ecclesiæ sublata, destruitur Ecclesia. De essentia igitur Ecclesiæ est ipsam esse incorruptam in fide et sanctam. Cum autem fides, spes, caritas, et gratia ex jugi influxu Spiritus Sancti proveniant, Spiritus Sanctus Ecclesiæ jugiter assistat eamque perenniter inhabitet, necesse est, secundum promissionem Christi (Joan., XIV, 16, 17): *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum... apud vos manebit, et in vobis erit.*

§ 2. *De Membris Ecclesiæ*[1].

205. — Membrum corporis humani dicitur quælibet pars integralis, quæ actu corpori inhæret, et aliquem vitæ influxum

[1] Cf. Egger, *De Eccl.*, c. II, art. 2; Cercia, Sect. II, lect. 5; De Groot, q. III, a. 3.

ab anima recipit. Quæ de corpore humano dicuntur, analogice ad omne corpus morale, et speciatim ad Ecclesiam transferuntur; hoc tamen discrimen interest quod, dum membrum corporis physici nullum ab anima influxum vitæ recipere potest, nisi corpori actu inhæreat; aliquis tamen Ecclesiæ vitam participare potest, quin actu externæ et visibili Ecclesiæ societati inhæreat.

Circa doctrinam catholicam de membris Ecclesiæ errant protestantes et omnes illi, qui Ecclesiam definiunt *cœtum prædestinatorum*, vel *justorum*, vel *perfectorum*, (cf. n. 160), et proinde docent solis justis, aut solis prædestinatis Ecclesiam constare, peccatores vero et præscitos ab ejus sinu exsulare.

Probandum est igitur non solum justos et prædestinatos, sed et homines non prædestinatos et peccatores ad Ecclesiam vere pertinere. Quo probato, quinam ad Ecclesiæ animam, et quinam ad ejus corpus pertineant, indicandum est.

206. — Prop. *Ad Christi Ecclesiam pertinent non soli justi aut soli prædestinati, sed etiam peccatores et non prædestinati.*

De fide, ex damnatis prop. 1, 3, 5, 6 et 21 Joannis Huss in concilio Constantiensi [1]; — ex damnatis prop. 72-77, Quesnelli a Clemente XI in Constit. *Unigenitus* [2]; — et ex damnata prop. 15 pistoriensi a Pio VI. in Constit. *Auctorem fidei*, in qua hæretica declaratur propositio quæ docet solos fideles, qui sunt vere adoratores in spiritu et veritate, ad corpus Ecclesiæ pertinere [3].

Prob. **I. Ex Script. S.** 1. *Ex parabolis.* Christus Ecclesiam comparat *areæ*, in qua triticum invenitur et palea; (Matth. III); — *convivio nuptiali*, ad quod intrarunt boni et mali; mali autem, qui vestem nuptialem non habebant, in tenebras exteriores missi sunt. (Matth. XXII); — *sagenæ* missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. *Quam, cum impleta esset, educentes et secus littus sedentes, elegerunt bo-*

[1] Cf. Denzig., n. 522 et seq. — [2] Denzig., n. 1287 et seq. — [3] Denzig., n. 1378.

nos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi. (Matth. XIII, 48); — *decem virginibus*, ex quibus quinque fatuæ ad nuptias non fuerunt admissæ. (Matth. XXV). — Sed palea, homo veste nuptiali non indutus, mali pisces, virgines fatuæ, non justos aut prædestinatos, sed solos peccatores et præscitos significare possunt.

2. *Ex verbis Christi.* Legimus (Matth. XVIII, 15): *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Quibus verbis constat peccatores esse in Ecclesia, in eaque manere donec per legitimam auctoritatem ab ea fuerint separati.

3. *Ex verbis Apostoli.* Scribens ad Corinth. (I Cor. V, 1) ait Apostolus: *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Deinde jubet reum ab Ecclesia expelli. Ergo usquedum expelleretur, ille peccator erat de Ecclesia.

4. *Ex historia Judæ.* Judas, a Christo electus Apostolus, absque dubio erat de Ecclesia. Sed Judas fur erat (Joan. XII, 6), et præscitus. Possunt ergo peccatores et præsciti ad Ecclesiam pertinere.

II. Ex Traditione. « Arca Noe Ecclesiæ typus fuit, *ait S. Hieronymus:*... ut in illa omnium animalium genera, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt. Ut ibi pardus et hædi, lupus et agni: ita et hic justi et peccatores, id est, vasa aurea, et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur. » *(Dial. cont. Lucif. n. 22).* — *S. Cyprianus:* « Zizaniam in Ecclesia esse cernimus. » *(Ep. 51).*

III. Ex Ratione. In omni societate visibili, cujusmodi est Ecclesia, visibilia præsto esse debent signa, quibus ejus membra cum ab invicem tum ab auctoritate cognosci valeant. Sed prædestinatio et justitia, cum soli Deo sint notæ, ejusmodi signa esse nequeunt. Ad constituendum igitur Ecclesiæ membrum nec prædestinatio requiritur, nec justitia.

Præterea, illi in gremio Ecclesiæ versantur, pro quibus sanandis speciale a Christo institutum est tribunal: judiciaria enim potestas nonnisi in subditos exercetur. Sed in remissio-

nem peccatorum Christus tribunal pœnitentiæ instituit. Peccatores igitur in gremio Ecclesiæ existere possunt.

207. — Scholium I. De pertinentibus ad animam Ecclesiæ. Anima Ecclesiæ, ut supra notatum est (n. 203), formaliter consistit in fide, spe et caritate, quibus Ecclesiæ societas informatur, atque ad finem supernaturalem aptatur et movetur.

Illi ergo omnes qui fidem habent et caritatem, etsi inculpabiliter extra corpus Ecclesiæ vagentur, ad animam tamen Ecclesiæ perfecte pertinent, Christo Capiti perfecte inseruntur, et finis Ecclesiæ, æternæ beatitudinis, participes efficiuntur.

Qui, gratia et caritate per peccatum amissa, fidem tamen retinent, hi ad animam Ecclesiæ adhuc pertinent, sed imperfecte: fini nempe Ecclesiæ conjunguntur per cognitionem, sed ad eum perfecte non ordinantur, nec ad illum operibus consequendum cum aliis conspirant. Sunt sicut arida corporis membra, quæ licet ab anima quemdam influxum recipiant, opera tamen viva ad finem conducentia, exercere non valent.

Qui caritate simul et fide destituuntur, ab anima Ecclesiæ omnino sunt separati, et a fine Ecclesiæ, æterna beatitudine, omnino alieni.

208. — Scholium II. De pertinentibus ad Corpus Ecclesiæ. Societatis membrum ille censetur, in quo ea inveniuntur vincula, quæ ad societatis unitatem constituendam requiruntur. Jamvero unitas Ecclesiæ, in quantum est externa et visibilis societas, ex tribus exsurgit: ex unitate fidei, ex unitate cultus, et ex unitate regiminis, ut infra enodatius explicabitur. (n. 267). Ut igitur aliquis membrum corporis Ecclesiæ dici possit, requiritur et sufficit ut in eo inveniatur triplex vinculum, symbolicum, liturgicum et hierarchicum; seu, ut veræ fidei professione, Sacramentorum communione et obedientia erga legitimos pastores cum Ecclesia connectatur. Cui aliquod ex his tribus deest, membrum corporis Ecclesiæ dici nequit.

Ex qua regula facile deduci potest quinam ad ecclesiasticam societatem pertineant, quinam ab ea exsulent.

1. Catechumeni, etiamsi corde credant et fidem exterius profiteantur, atque legitimis pastoribus subjiciantur, inter Ecclesiæ membra non sunt computandi, ratione defectus in communione eorumdem Sacramentorum. Baptismum enim nondum receperunt, qui, ut monet Florentinum, in decreto pro Arm., « vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi et de corpore efficimur Ecclesiæ. »

2. Hæretici publici, qui veritatem aliquam pertinaciter negant, ab Ecclesia sunt separati ratione defectus professionis ejusdem fidei. Unde Titum monet Apostolus (III, 10): *Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita;* et Ecclesia hæreticos tanquam extraneos semper tenuit. — Ecclesiæ tamen subditi manent; etenim, *ut ait S. Thomas:* « quia character baptismalis, quo quis populo Dei annumeratur, est indelebilis, ideo semper remanet baptizatus aliquo modo de Ecclesia, et sic Ecclesia de ipso judicare potest. » *(Suppl. q. 22, a. 6, ad 1).*

An autem *hæretici occulti*, qui corde tantum veritatem ab Ecclesia propositam pertinaciter negant, membra sint Ecclesiæ, disputatur [1]. Alii negant cum Suarez [2]: quorum opinioni favere videtur Bulla *Ineffabilis*, in qua legimus: « Si qui secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, præsumpserint *corde sentire*, ii noverint se... naufragium circa fidem passos esse et *ab unitate Ecclesiæ defecisse.* » — Communior tamen sententia affirmat cum Bellarmino [3] eos esse membra Ecclesiæ, mortua utique et arida, quæ spiritualis vitæ sensu penitus sunt destituta. Horum ratio fundamentalis est: De membris Ecclesiæ judicandum est sicut de membris cujusque societatis visibilis. Ut aliquis vero ad aliquam societatem censeatur pertinere, sufficit ut externa vincula non abrumpat, quibus societati adstringitur, quicumque demum sint sensus ipsius interni. Cum igitur hæretici occulti omnia vincula, ex quibus Ecclesiæ societas exsurgit, externe conservent, Ecclesiæ membra censendi sunt, usquedum per manifestam rebellionem sese ab ea separent. — Ad argumentum ex verbis Pii IX depromptum respondent patroni hujus sententiæ: hæreticum,

[1] Cf. Mazz. n. 595 et 605. — [2] *De fide*, D. IX, Sect. 1, n. 2. — [3] *De Eccl. mil.*, c. 10.

qui corde fidem negat, deficere quidem ab interna Ecclesiæ unitate, et ab ejus anima separari, non autem ab unitate externa; ac proinde ipsum remanere membrum externæ societatis, licet aridum et mortuum.

3. Schismatici membra Ecclesiæ non sunt ratione defectus obedientiæ erga legitimos prælatos. « Schismatici, *ait S. Thomas*, dicuntur qui subesse renuunt Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant. » *(II. II, q. 38, a. 1).* — Sed Ecclesia est unum ovile sub uno pastore. Qui igitur pastori subdi recusant, ab ovili se separant, et ab unitate corporis Ecclesiæ deficiunt.

4. Ex Excommunicatis alii Ecclesiæ membra remanent, alii ab Ecclesia prorsus sunt separati. — Excommunicatio est sententia pœnalis, qua christianus bonis Ecclesiæ privatur. — Olim in Ecclesia distinguebatur excommunicatio major et excommunicatio minor. *Major* dicebatur quæ omnibus bonis, quorum distributio ad Ecclesiam pertinet, privabat, nempe sacramentis, orationibus publicis, fructibus sacrificii Missæ, et suffragiis sanctorum. — *Minor* dicebatur, quæ fidelem aliquibus tantum bonis, præcipue Sacramentorum perceptione, privabat. — Hodiedum sola majori excommunicatione utitur Ecclesia.

Ecclesiam jure pollere membra vitiosa et perniciosa e sinu suo ejiciendi, apud omnes in confesso est: quælibet enim societas facultate gaudet membra putrida abscindendi, ne alia commaculent. Quæstio igitur in eo solo sita est, an scilicet Ecclesia, cum aliquem excommunicat, eum e sinu suo expellere intendat.

a) Inter omnes convenit Ecclesiam olim per excommunicationem minorem fidelem e sinu suo non ejecisse, sed bonis quibusdam spiritualibus eum unice privasse.

b) Quod spectat ad excommunicationem majorem, quæ sola adhuc viget, si excommunicati sunt tolerati, probabilius est Ecclesiam non intendere fideles e sinu suo expellere, sed solum eos bonis omnibus privare, quibus disponere potest. Tales igitur excommunicati probabilius membra remanent Ecclesiæ. Hæc opinio, addit Mazzella, (n. 608), fere communiter nunc admittitur. — Si vero excommunicati sunt vitandi, Ecclesia

eos e sinu suo prorsus rejicere intendit, sicut ex formulis excommunicationis constat, in quibus de excommunicatis dicitur eos *separari a societate omnium christianorum; a liminibus S. Matris Ecclesiæ in cœlo et in terra excludi; a S. Matris gremio eliminari.* Excommunicati vitandi non sunt igitur membra Ecclesiæ, sed tanquam ethnici et publicani sunt habendi.

ARTICULUS V.

DE POTESTATE ECCLESIÆ.

209. — Ex iis, quæ in art. II de hierarchica Ecclesiæ constitutione exposita sunt, jam constat adesse in Ecclesia potestatem, quæ illius principium formale constituit; cujus autem potestatis natura cum nondum fuerit enucleata, ea de re in hoc articulo tractandum est.

Christus Redemptor in vita sua mortali triplici functus est munere: doctoris scilicet, sacerdotis et regis. Venit enim in mundum, cum ut homines viam salutis edoceret, tum ut, gratia infundenda, peccatis dimittendis, et seipso in cruce offerendo, homines sanctificaret, tum ut Ecclesiam a se institutam, quamdiu degeret in terris, visibiliter regeret. Cum autem Ecclesia eo fine sit instituta, ut ad animarum salutem visibilis Christi missio perennis redderetur in terris (n. 167), ideirco omnis potestas, quæ ad hunc finem consequendum necessaria est, in ea existat, necesse est. Existit igitur in Ecclesia, non secus ac in Christo, et potestas docendi, et potestas sanctificandi, et potestas regendi.

Potestas sanctificandi est potestas ordinis, quæ vi ordinationis accipitur; vocatur potestas *ministerii*, quia sacramentorum ministratione exercetur. — Potestas docendi et potestas regendi non vi ordinationis, sed ex speciali deputatione a legitimis superioribus accipiuntur, et potestatem constituunt jurisdictionis: potestas docendi *magisterium*, potestas regendi *imperium* nuncupatur.

Potestas jurisdictionis quatenus est potestas regendi subditos, jus dicendo, ferendo leges, etc., *ratione objecti* dividitur

in jurisdictionem fori interni et fori externi. Jurisdictio *fori interni* ea dicitur, quæ spectat ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem, sive intra pœnitentiæ tribunal sive extra illud exerceatur; v. gr., facultas dispensandi. — Jurisdictio fori externi ea dicitur, quæ directe publicum communitatis bonum respicit; hæc data est ad gubernandam Ecclesiam, quatenus est quædam visibilis et spiritualis Respublica, et corpus Christi mysticum.

De potestate ministerii et de potestate jurisdictionis fori interni in tractatu de Sacramentis sermo erit. Dicendum est igitur solum: I. de potestate magisterii; II. de potestate imperii.

§ 1. *De Magisterio Ecclesiæ.*

210. — Magisterium definitur: *Jus et officium quibus Ecclesia constituitur hominum magistra in ordine ad vitam æternam.*

Dicitur: *jus*, id est, vera docendi potestas, qua Ecclesia, sicut Christus, est *docens eos sicut potestatem habens* (Matth., VII, 29). — *Officium*, id est, munus et obligatio docendi: teste Apostolo (I Cor. IX, 16): *Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero.* — Huic obligationi respondet ex parte hominum officium audiendi et assentiendi. — *In ordine ad vitam æternam*; quibus verbis indicatur magisterii objectum, quod ex iis omnibus quæ ad salutem conducunt, coalescit.

De subjecto magisterii supra abunde actum est, (Cap. II, a. 2); superest ut de magisterii institutione, de ejus fine, et de ejus objecto, disseramus.

I. DE MAGISTERII INSTITUTIONE.

211. — Protestantes, ut qui Ecclesiam tanquam collegium libera hominum voluntate coadunatum concipiant (n. 178, 1), nullum in ea divinitus constitutum magisterium admittunt; sed unumquemque fidelium sibimetipsi esse fidei magistrum asseverant. Affirmant enim unumquemque de veritatibus revelatis judicare posse secundum sensum, quem privata sua

interpretatione in Scriptura Sacra deprehenderit; quam pro unico revelationis fonte habent (n. 380).

212. — Prop. *Existit in Ecclesia magisterium a Christo Domino institutum.*

De fide, ex dictis de hierarchiæ institutione (n. 183, 184), et ex manifestis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus Dominum Apostolis dixisse, (Matth., (XXVIII. 19, 20): *Euntes ergo, docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* — (Marc., XVI, 15, 16): *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ... qui non crediderit, condemnabitur.* — (Luc. X, 16): *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.* — Jamvero his verbis continetur: ex parte Ecclesiæ, jus et officium docendi: *docete, prædicate;* et ex parte hominum, officium audiendi: *qui non crediderit, condemnabitur, — qui vos spernit, me spernit.*

S. Paulus Apostolos Christi legatos esse prædicat, (II Cor. V, 20): *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* — (Rom. I, 5): *Per quem accepimus gratiam et apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus.*

II. Ex præscriptione et traditione. Ecclesia omni tempore docendi munere functa est, et gentes doctrinam evangelicam edocuit tanquam potestatem habens, et contradicentes semper redarguit, monitum sequens Apostoli dicentis (Tit. I, 10): *Sunt enim multi etiam inobedientes... quos oportet redargui.* Sed, fatentibus protestantibus, primitiva Ecclesia vera erat Christi Ecclesia, ac proinde circa suam potestatem errare non potuit.

Item, omnes S. Patres factis et verbis Ecclesiæ magisterium affirmant. « Prædicationem Ecclesiæ, *inquit S. Irenæus*, undique constantem et æqualiter perseverantem... perceptam ab Ecclesia custodimus... Hoc enim munus Ecclesiæ creditum est... In Ecclesia enim posuit Deus Apostolos, Prophetas et Doctores. » *(L. III, adv. hær., 24).*

III. Ex Ratione. Christus Ecclesiæ in necessariis deesse non potuit. Atqui ad fidei unitatem, firmitatem, custodiam et

propagationem, magisterium est Ecclesiæ necessarium. Instituit igitur Christus magisterium.

Prob. min. Magisterium est necessarium: *a) ad fidei unitatem:* Si cuique fideli concessa esset facultas eam amplectendi sententiam, quam quisque propria interpretatione in Scripturis intellexerit, prout docent protestantes, maxima quoad dogmata inter fideles vigeret discordia, sicut exemplo protestantium compertum est; et sic unitas fidei, ac proinde ipsius Ecclesiæ, pessumdaretur.

« Jesu Christi doctrina cœlestis, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII.* tametsi magnam partem consignata litteris afflatu divino, colligare tamen mentes, permissa hominum ingenio, ipsa non poterat. Erat enim proclive factu ut in varias incederet atque inter se differentes interpretationes: idque non modo propter ipsius vim ac mysteria doctrinæ, sed etiam propter humani ingenii varietatem, et perturbationem in studia contraria abeuntium cupiditatum. Ex differentia interpretandi dissimilitudines sentiendi necessitate nascuntur: hinc controversiæ, dissidia, contentiones, qualia incumbere in Ecclesiam ipsa vidit proxima originibus ætas... Ad cumjungendas igitur mentes, ad efficiendam tuendamque concordiam sententiarum, ut ut exstarent divinæ litteræ, omnino erat alio quodam principio opus. » *(Enc. Satis cogn.).*

b) Ad fidei firmitatem: Cum Scriptura Sacra multis in locis sit intellectu difficilis, quisnam sit verus ejus sensus certo et firmiter cognosci nequit, nisi a magisterio authentico declaretur (n. 376). — Item, cum plura dogmata in traditione contineantur, hæc etiam nobis tanquam Dei verbum certo innotescere non possunt, nisi ab aliqua auctoritate nobis ut verbum divinum proponantur.

c) Ad fidei custodiam: Oportet hæreses esse, ait Apostolus, (I Cor., XI, 19). Oportet ergo etiam adesse magisterium, quod eas auctoritative condemnare valeat: alioquin fides labefactaretur.

d) Ad fidei propagationem. Ad fidei propagationem requiritur ut adsint prædicatores, qui legitima missione mittantur; teste Apostolo (Rom. X, 13 et seq.): *Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?*

Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? Sed deficiente in Ecclesia authentico magisterio, nullus legitime ad prædicandum mitti potest. Ad fidei igitur propagationem requiritur, ut magisterium divinitus institutum, quod Evangelii præcones in mundum mittat, existat in Ecclesia.

II. DE FINE MAGISTERII, SEU DE REGULA FIDEI[1].

213. — Definitio regulæ fidei. — Ecclesia a Christo Domino magistra veritatis fuit instituta, ut hominibus norma credendi, seu certa et infallibilis regula fidei, exhiberetur. Est autem regula fidei *criterium quoddam, quo vera fides, quæ ad salutem conducit, ab omni falsa doctrina infallibiliter dignoscitur.*

214. — Divisio. — Regula fidei duplex distinguitur, remota et proxima. *Remota* est Scriptura Sacra et traditio, in quibus fidei depositum continetur: nihil enim credi potest fide divina, nisi quod est a Deo revelatum; tota autem revelatio Scriptura S. continetur et traditione. — *Proxima* est Ecclesiæ docentis propositio seu definitio; qua sola, quid in revelationis deposito contineatur, infallibiliter scire possumus. — Quæ duo declaravit Vaticanum *(Const. Dei Filius, c. III)*: « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur. »

De Scriptura et traditione, quæ remotam fidei regulam constituunt, et fontes fidei dicuntur, in tertia parte hujusce tractatus disputatio instituetur; in præsenti de sola fidei regula proxima, quæ est magisterii definitio, dicetur.

215. — Errores.[2] — Protestantes, qui magisterium divinitus institutum Ecclesiæ denegant, vel ipsum nomen ecclesiasticæ regulæ horrent. Omnes consentiunt regulam fidei remotam esse solam Sacram Scripturam; traditionem vero ad integrum eliminant. Ad regulam pro-

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 6, § 2 et 3; *Hist. hær. Confut.* XI, a. 8. — [2] Cf. Murray, t. II, p. 645.

ximam quod attinet, in diversas abeunt sententias. Alii præter Scripturam nullam aliam admittunt regulam, cum verbum Dei, ut aiunt, ex solo verbo Dei cognosci et dijudicari possit. Sociniani docent pro regula proxima obligatoria habendam esse rationem privatam suis viribus relictam; Lutherus et veteres protestantes demum dicunt pro hujusmodi regula habendam esse rationem privatam supernaturali Spiritus Sancti auxilio roboratam; quod auxilium vocant inspirationem privatam, spiritum privatum, gustum internum, illuminationem, lumen divinum. — Hi omnes cuique jus summum et independens tribuunt Scripturas examinandi, et corpus doctrinæ sibi conficiendi: exinde nata est theoria *liberi examinis* protestantium.

216. — **Prop.** *Magisterium Ecclesiæ est unica proxima fidei regula.*

De fide, ex Vatic., ex verbis supra relatis (n. 214).

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. Legimus (Eph. IV, 11, 14): *Ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Quibus verbis manifeste constat magisterium in Ecclesia divinitus fuisse constitutum, ut in fide haberemus firmitatem. A magisterio igitur ecclesiastico, et quid sit credendum, et quid sit rejiciendum, addiscere debemus.

2. Illius solius est nobis credenda proponere, quem Christus depositarium constituit suæ doctrinæ, et cui soli officium eam aliis annuntiandi contulit. Atqui solos Apostolos eorumque successores Christus suæ doctrinæ constituit depositarios: eis solis dixit: (Joan. XV, 15): *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et (Joan. XIV, 26): *Paracletus autem Spiritus Sanctus... ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* — Eos etiam solos misit, dicens: *Docete omnes gentes... prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ergo a solis Apostolis eorumque successoribus, quæ credenda sunt, accipere possumus.

3. Scribit Apostolus ad Galatas (I, 8): *Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Quibus verbis diserte constat ecclesiastici magisterii solius esse evangelicam tradere doctri-

nam. Sola igitur ecclesiastici magisterii prædicatio et definitio est proxima regula fidei.

II. Ex Traditione. S. Patres auctoritatem et prædicationem Ecclesiæ statuunt tanquam unicam credendi normam, a qua dissentire omnino nefas est. « Si quis, *inquit S. Ignatius M.*, ambulat in aliena doctrina, is non assentitur passioni. » *(Ad Philad., III).* — *S. Irenæus:* « Ecclesiæ prædicatio firma et vera regula est, qua una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. » *(L. V, Adv. hær., 20).* — Celebre imprimis est illud *S. Augustini:* « Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas. » *(Cont. Epist. fund., c. 5).*

III. Ex Ratione. 1. Regula fidei proxima talis esse debet ut per eam omnes et omni tempore, omnia quæ credenda sunt, certo et absque erroris periculo cognoscere valeant. Atqui hujusmodi regula est solius Ecclesiæ magisterium, non autem Scriptura Sacra, sive sola consideretur, sive consideretur ut explicata ratione privata nuda, aut cum privata Spiritus Sancti inspiratione. Ergo.

Prob. min. — **A.** — *Talis regula est Ecclesiæ magisterium.* — *a) Omnes* homines, tam indocti quam docti, Ecclesiæ prædicationem et decisionem facillime audire possunt; — *b)* Ecclesia, et antequam Scripturæ Novi Testam. fuerint exaratæ jam exstitit, et ad finem usque mundi permanebit. Omni igitur tempore homines ab ea potuerunt et poterunt veritates revelatas edoceri; — *c)* Omnia, quæ credenda sunt atque in Scripturis et in traditione continentur, custodiæ Ecclesiæ sunt credita: quo fit ut ab ea omnes omnia edoceri possint; — *d)* cum Ecclesiæ magisterium a Domino infallibilitatis prærogativam acceperit (cf. n. 249), omnes cum omnimoda certitudine et absque levissimo erroris periculo veritatum revelatarum cognitionem ab ea repetere valent.

B. — *Talis regula nequit esse S. Scriptura, sive sola sumatur, sive ratione privata explicetur, sive privata inspiratio ei superaddatur.*

a) Omnes fideles S. Scripturam, ad fidei dogmata ex ea colligenda, præ manu habere neque potuerunt, neque pote-

runt. Cum primis Ecclesiæ annis libri Novi fœderis nondum essent conscripti, non poterant illius temporis fideles S. Scripturam tanquam fidei regulam habere. — Conscriptis jam libris, permulti etiam fuerunt christiani qui eos, præsertim ante inventam artem typographicam, sibi comparare nequiverint; huc accedit quod permulti adhuc hodiedum sacros libros legere nesciunt, vel quia litteras ex integro ignorant, vel quia eorum exemplaria in patria lingua præ manu non habentur.

b) In S. Scripturis omnia religionis dogmata non continentur; sed plura in sola traditione habentur. Omnia igitur dogmata ex solis Scripturis cognosci non possunt.

c) Omnia, quæ in Scripturis continentur, nec ope solius Scripturæ, nec ope privatæ interpretationis, nec ope privatæ inspirationis certo et infallibiliter cognosci possunt.

Non ope solius Scripturæ: Multa in S. Scripturis continentur, quæ intellectu sunt difficilia, et quæ in aliis Scripturæ locis non elucidantur; horum igitur sensus per solam Scripturam certo determinari nequit.

Non ope privatæ interpretationis: Monet Apostolus (II Petr. I, 20, 21): *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Ergo, quis sit genuinus Scripturæ sensus ope privatæ interpretationis infallibiliter scire non possumus.

Non ope privatæ inspirationis: Divina assistentia in Scripturis interpretandis magisterio Ecclesiæ, non autem privatis hominibus, promissa est; imo, spiritus ille privatus, quo nituntur protestantes, in Scripturis diserte condemnatur, teste Joanne (I Ep. IV, 1): *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Ope igitur privatæ inspirationis veritates revelatæ infallibiliter cognosci nequeunt. (cf. n. 376).

2. Proxima fidei regula necessaria est in Ecclesia *ut controversiæ,* quæ circa fidem oriuntur, *definitive judicari valeant:* alioquin recta fides mox deficeret. Sed nec sola Scriptura, nec privata ejus interpretatio, nec privata inspiratio, controversiarum judices esse possunt.

Non sola Scriptura: hæc enim omnia dogmata non continet; controversiæ igitur circa plura dogmata ex sola Scriptura dirimi nequeunt. — Præterea, circa ipsam Scripturam oriuntur controversiæ, puta, circa ejus authenticitatem, canonem, sensum, etc. Hujusmodi autem controversiæ ex sola Scriptura aut nullatenus, aut saltem non infallibiliter dirimi possunt [1].

Nec privata Scripturæ interpretatio, nec privata inspiratio judices fidei esse possunt. Judex controversiarum debet esse et divinitus institutus, et infallibilis: si divina deest institutio, judex controversias auctoritative dirimere nequit; si vero in judice deest infallibilitatis prærogativa, de ejus decisionis certitudine dubium quoddam semper remanebit, nec controversiis finis imponetur. Atqui privata Scripturæ interpretatio, aut privata inspiratio: *a)* nec a Deo institutæ sunt tanquam controversiarum judices; cujus quippe institutionis nullum in Scripturis reperitur vestigium; e contra, ut supra notatum est, et privata interpretatio, et privata inspiratio positive reprobantur in Scripturis; *b)* nec infallibilitatis prærogativa donantur; quippe quæ soli ecclesiastico magisterio, non autem privatis personis, divinitus concessa sit.

Reliquum est igitur ut controversiarum judex sit sola Ecclesia, quæ sola a Deo constituta est revelationis custos et magistra veritatis, et quæ sola in docendo speciali Spiritus Sancti assistentia gaudet, qua ab omni errore semper servatur immunis.

3. Proxima fidei regula in Ecclesia necessaria est *ut fidei unitas retineatur.* Atqui privata Scripturæ interpretatio nedum fidei unitatem conservet, maximas directe generat discordias, hominesque in sectas innumeras dispescit; cujus divisionis protestantes manifestum præ se ferunt exemplum [2]. Ecclesiæ vero magisterium, cum in centro unitatis, in cathedra scilicet Petri fundetur, omnes fideles in eadem fide concatenat. Solum igitur Ecclesiæ magisterium tanquam proxima fidei regula assignari potest.

[1] Cf. S. Alph. *Ver fid.*, P. III, c. 6, § 2. — [2] Cf. S. Alph. *Ver. fid.*, P. III, c. 1, § 1; et, *Evid. fid.*, P. I, c. 3 et 4.

III. DE MAGISTERII OBJECTO.

217. — Magisterium a Christo Domino in Ecclesia institutum est, cum ut revelationis depositum sancte custodiretur et fideliter exponeretur, tum ut animæ in veræ fidei professione ad æternam pervenirent felicitatem. Ex hoc principio, quodnam sit jure divino objectum ecclesiastici magisterii, dijudicandum est: porro hoc objectum est omnis veritas, quæ vel ad fidei depositum pertinet, vel aliquam cum eo connexionem habet, vel necessaria aut utilis est ut fidei depositum sancte possit custodiri et fideliter exponi, neve animæ in fide et moribus ullum patiantur detrimentum. Cum enim Christus Ecclesiæ et fidem conservandam et animas tradiderit sanctificandas, media etiam illis mumeribus obeundis necessaria aut utilia eidem concesserit, necesse est.

Omnes vero scientiæ, omnes veritates aliquo modo ad hunc Ecclesiæ finem conferunt; quocirca omnes scientiæ omnesque veritates, aliæ licet alio modo, ecclesiasticæ auctoritati subjiciuntur.

218. — I. Ex veritatibus quædam directe et formaliter revelationis depositum constituunt; hæ veritates sunt fidei dogmata et morum principia, quæ revelatione continentur.

Quod has veritates spectat, Ecclesia plenum et exclusivum habet magisterium, cum ipsi soli, nec cuiquam alii, fidei depositum sit a Christo creditum; quapropter nemini licet quoad has veritates Ecclesiæ jura usurpare.

Potest igitur Ecclesia jure proprio et exclusivo veritates revelatas proponere et definire, errores contrarios damnare, aliis officium prædicandi committere vel denegare, scholas theologicas instituere, et rerum theologicarum doctrinam dirigere, ut constat ex damnatis prop. Syllabi, scil. 33: « Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam »; — 44: « Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent »; — 46: « In

ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur. »

219. — II. Aliquæ sunt veritates, quæ etsi in revelatione non continentur, summam tamen atque intimam cum dogmate aut morum regula connexionem habent, ut sunt, v. gr., scientiæ philosophicæ, quarum recta institutio ad dogmatum sanam intelligentiam fidelemque expositionem necessaria est, quarum vero depravata institutio ad fidei interitum et ad morum corruptelam directe perducit.

Habet igitur Ecclesia, vi divini sui magisterii, jus proprium et nativum, etsi non exclusivum, scholas philosophicas instituendi, et universim studiis philosophicis invigilandi, ut a recto tramite ne aberrent. « Porro Ecclesia, *inquit Vatic., Const. Dei Filius, c. 4*, quæ una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam, *(Coloss. II. 8).* »

Quam ob causam merito in Syllabo damnatæ sunt propositiones: 10: « Philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati. » — 11: « Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat. » — 14: « Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione. »

220. — III. Sunt veritates, quæ, etsi cum fide aut moribus non tam intimam quam veritates philosophicæ connexionem habent, aliquo tamen modo fidei illustrandæ aut contra oppugnatores defendendæ, vel necessariæ vel saltem summopere utiles sunt; cujusmodi sunt scientiæ naturales, v. gr., jus civile, astronomia, physica, geologia, linguistica, studia litteraria, etc.

Habet igitur Ecclesia, ratione divini sui magisterii, et absque civilis potestatis licentia, jus gymnasia instituendi, in quibus scientiæ naturales quæcumque excolantur; et universim jus nativum habet omnibus institutis, in quibus hæ disciplinæ traduntur, invigilandi, ne in eis aliquid contra fidem aut mores moveatur. « Nec sane, ait *Vatic., loc. cit.*, ipsa (Ecclesia)

vetat ne hujusmodi disciplinæ in suo quoque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea, quæ sunt fidei, occupent et perturbent. »

221. — IV. Existunt artes liberales et artes mechanicæ, quæ, etsi per se quoad fidem aut mores sunt indifferentes, ut architectura, statuaria, musica, etc.; ad fidem tamen et ad cultum divinum ordinari, vel etiam ad bonos mores depravandos multum conferre possunt: ita v. gr., ex picturis obscœnis morum corruptela progignitur; ex piis vero excitatur devotio.

Habet Ecclesia jus nativum illis artibus utendi easque tradendi ob spiritualem finem, scilicet vel ob cultum divinum, vel ob propriam cujusque sanctificationem. Potest igitur Ecclesia propria auctoritate instituta artistica et manualia erigere, et universim ejusmodi institutis invigilare, ut eorum occasione fidelium mentes ne corrumpantur.

222. — V. Cum a prima puerorum institutione plerumque pendeat recta eorum vivendi norma, ac proinde eorum salus æterna, Ecclesia, quae saluti omnium invigilare tenetur, nativum jus habet procurandi ut in scholis popularibus, præter scientias naturales, supernaturales scientiæ tradantur; jus habet exigendi ne quid in his scholis contra fidem aut bonos mores moveatur, et ut arceantur magistri qui discipulis sunt causa ruinæ spiritualis; ac proinde jus habet prohibendi ne fideles adeant vel scholas impias, in quibus puerorum mentes directe corrumpuntur, vel scholas neutrales, in quibus nullæ traduntur doctrinæ religionis catholicæ. Quo vero omne corruptionis periculum securius avertatur, puerique a teneris annis fidei principiis imbuantur, jus nativum habet Ecclesia scholas populares erigendi, in quibus pueri fidem et scientias naturales edoceantur.

Neque immerito igitur in Syllabo damnatæ sunt propositiones: 45: « Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus reipublicæ instituitur,... potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in

regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum. » — 47: « Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris.... eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia. » — 48: « Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet. »

§ 2. *De Ecclesiæ Imperio*[1].

223. — Definitio. — Potestas imperii seu regiminis est *jus gubernandi Ecclesiam quatenus est visibilis et externa societas, in ordine ad finem spiritualem.*

224. — Objectum. — Proprium potestatis regiminis objectum est *exterior disciplina*, quæ spectat ad cultum exteriorem, ad ritus sacros, ad Sacramentorum administrationem, ad psalmodiam, ad canonicam ministrorum electionem et institutionem, ad jejunia, vota, dies festos, ordines religiosos, Ecclesiæ bonorum temporalium administrationem, etc. Uno verbo: potestas imperii ad ea omnia extenditur, quæ spectant ad regimen Ecclesiæ quatenus est Respublica et externa visibilisque societas.

225. — Divisio. — Potestas regiminis distinguitur in potestatem legiferam, judiciariam et coactivam. — *Potestas legislativa* est jus præscribendi per leges obligatorias media ad finem societatis ordinata. — *Judiciaria* est facultas judicandi auctoritative de vero sensu legum et de sociorum actionibus quoad eas leges. — *Coactiva* est jus delinquentes coercendi et puniendi.

226. — Errores[2]. — Circa potestatem regiminis, quæ Ecclesiæ a Christo Domino concessa est, plures exorti sunt errores.

Docuit Marsilius Patavinus, in *suo defensorio pacis*, « quod tota Ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator[3]. » Denegavit igitur Ecclesiæ potestatem coactivam.

[1] Cf. Cercia, Sect. V, lect. 8. — [2] Cf. Coll. Lac., p. 605 et seq. — [3] Denzig., n. 427.

Henricus VIII, rex Angliæ, omnem potestatem ecclesiasticam tam circa sacra quam circa res exteriores ecclesiæ, apud regem residere docuit, cui a Christo immediate fuerit concessa; eos vero, qui in Ecclesia potestatem regiminis exerceant, eam a rege, et ut regis vicarios, tenere [1].

Protestantes, qui Ecclesiam non ut perfectam societatem, sed veluti collegium considerant, potestatem regiminis circa res spirituales in populo residere dicunt, a quo in ministros transferatur; quos tamen leges in conscientia ligantes edicere non posse. Quod autem ad externam Ecclesiæ gubernationem spectat, potestatem regendi apud principes sæculares residere dicunt.

Regalistæ, Gallicani, Febroniani et Pistorienses docent Ecclesiæ jure divino potestatem regiminis circa res pure spirituales competere; potestatem autem circa res exteriores et circa externum Ecclesiæ regimen penes principes sæculares residere, qui sicut eam Ecclesiæ communicent, ita et ejus usum moderandi semper retineant facultatem. — Addunt præterea, Ecclesiam sola suasione, non autem vi, subjectionem suis decretis exigere posse [2].

Alii demum ex gallicanis, etsi Ecclesiæ concedant ex jure divino potestatem legislativam, *regium placet* tamen ad valorem et executionem legum Ecclesiæ esse necessarium asseverant. « Ipsos minime pudet affirmare, *ait Pius IX* [3], Ecclesiæ leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis. »

227. — Prop. I. *Ecclesia jure divino potestatem habet legislativam.*

De Fide, ex condamnatione oppositæ doctrinæ.

Legimus in breve Benedicti XIV, *Ad assiduas,* an. 1755: « Eo enim tendere, ac collimare vidissetis execrandi fœtus auctorem [4], ut collatam a Christo Domino et Salvatore nostro Ecclesiæ suæ potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios, contumacesque exteriore judicio, et salubribus pœnis, coercendi, atque cogendi, labefactet, convellat, et prorsus eliminet; ecclesiasticum ministerium ita sæculari dominationi subjiciens, ut ad hanc spectare pronuntiet, de externa omni ac sensibili gubernatione cognoscere ac judicare. Pravum ac perniciosum systema, jampridem ab Apostolica sede, præsertim vero a Joanne XXII, prædecessore nostro,

[1] Coll. Lac., p. 606. — [2] Cf. prop. 4, Pistor., Denzig, n. 1367. — [3] Encycl. *Quanta cura.* — [4] Scilicet P. La Borde, in suo libro: *Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances spirituelle et temporelle.*

constitutione incipiente: Licet juxta doctrinam, reprobatum, ac pro hæretico expresse damnatum, etc. » — Cf. Etiam in Constit. *Auctorem fidei* Pii VI, propositionem IV Pistoriensem condemnatam [1].

Prob. **I. Ex Scrip. S.** 1. Christus dixit Apostolis (Matth., XVIII, 18): *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Jamvero his verbis constat Christum Ecclesiæ dedisse potestatem legislativam plenam et independentem. Etenim *a) ligare* et *solvere* necessario intelligi debent de vinculo morali, quod non potest esse nisi lex justa, et idem significant ac ferre legem aut abrogare; sicuti ex aliis Scripturæ locis constat: sic v. gr. (Matth. V, 17) Christus ait: *Non veni solvere (legem aut prophetas), sed adimplere.* (cf. ad Rom. VII, 2). — *b)* Hanc potestatem esse plenam, et ab omni alia humana potestate independentem, ex eo manifestum est, quod quidquid ligat aut solvit Ecclesia, in cœlis a Deo ratum habetur.

2. Christus dixit Petro (Matth. XVI, 19): *Tibi dabo claves regni cælorum:* id est, regiam potestatem, quia (ut optime notat R.^us^ D. Avanzo, in sua relatione habita coram deputatione fidei in Concil. Vatic., p. 324), apud Hebræos claves erant regiæ potestatis insignia. Sed regia potestas imprimis potestatem legislativam includit.

II. Ex praxi Apostolorum et Ecclesiæ. Apostoli potestate legislativa usi sunt; quam tamen ex concessione principum nullo pacto habere potuerunt: In concilio hierosolymitano decernunt ut fideles ab immolatis simulacrorum sese abstineant *(Act. XV, 29).* S. Paulus prohibet ne mulieres capite aperto in Ecclesiis orent *(I Cor. XI, 5);* leges fert de conditionibus et ad ordinandum episcopum *(I Tim. III),* et ad eligendas viduas *(I Tim. V);* etc. Quæ omnia ad disciplinam et res exteriores pertinent. — Leges vero ab Apostolis latæ inter fideles statim propagatæ et observatæ sunt, teste Apostolo: (Act. XV, 41): *Paulus... perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta*

[1] Denzig., n. 1367.

Apostolorum et seniorum. — Emortuis Apostolis, Ecclesiam leges ad disciplinam resque exteriores spectantes nativa sua auctoritate semper tulisse, ex historia Conciliorum et ex collectionibus juris canonici manifestum est.

III. Ex Ratione. Societatis perfectæ, testibus omnibus philosophis, ea est natura, ut jure proprio et independenter ab omni alia jurisdictione, ea omnia præcipere possit, quæ ad societatis finem obtinendum collineent, dummodo hæc alterius societatis jura nativa ne lædant. Atqui Ecclesia ex Christi institutione societas est perfecta. Ecclesia igitur jure divinitus accepto, neque solum ex principum concessione, ea omnia, quæ ad finem suum consequendum ordinantur, præscribere potest. Sed et externa Ecclesiæ disciplina, resque externæ omnes Ecclesiæ ad ejus finem ordinantur. Ergo et circa eas potestate propria et independenter ab omni humana potestate leges ferre potest.

228. — **Objicitur.** Potestas a Christo Ecclesiæ concessa est potestas spiritualis; principum vero potestas est temporalis. Sed sicut temporalis potestas circa spiritualia leges ferre nequit, ita nec spiritualis potestas circa res temporales. Non potest igitur Ecclesia circa res exteriores leges ferre, nisi sæcularis princeps illud ei concesserit.

Resp. Hæc objectio fundatur in sensu protervo, quo nonnulli ex regalistis naturam potestatis spiritualis et temporalis intelligunt: spiritualem potestatem vocant, quæ versatur circa spiritualia; temporalem, quæ circa res exteriores versatur. Cum vero potestatis sicut et societatis natura ex fine, in quem tendit, non autem ex objecto circa quod exercetur, sit specificanda, ea proinde potestas est spiritualis, quæ in finem spiritualem et supernaturalem tendit; quæ vero ad finem temporalem ordinatur, temporalis est.

Quibus notatis respondeo: Potestas Ecclesiæ est potestas spiritualis, ratione finis, *concedo:* finis enim Ecclesiæ est æterna hominum beatitudo; — ratione objecti, *distinguo:* ratione objecti formalis, *concedo;* ratione objecti materialis, *nego.* — Dixi: *ratione objecti formalis, concedo;* potestas enim spiritualis Ecclesiæ in rebus exterioribus, quas in finem spiritualem ordinet, exercetur. Quoad minorem, *nego paritatem:* cum enim res exteriores et temporales suapte natura spiritualibus subordinentur, qui jus habet ad finem spiritualem, eo ipso jus habet non solum ad media pure spiritualia, sed et ad temporalia, quæ ad finem spiritualem consequendum necessaria sunt; et circa ea leges ferre potest in ordine ad finem spiritualem. Cum autem spiritualia temporalibus non subordinentur, qui habet jus ad temporalem finem,

nullum jus nequidem indirectum in spiritualia obtinet, ac proinde circa ea nullam legem ferre potest. — Potest igitur Ecclesia, jure proprio et nativo, absque principum concessione, circa ea omnia exteriora leges ferre, quæ ei ad finem suum supernaturalem consequendum necessaria sunt.

229. — Prop II. *Ecclesia jure divino potestatem habet judiciariam.*

De fide, ut supra.

Prob. I. **Ex Script S.** 1. Legimus (Matth. XVIII, 15, 17): *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum... quod si non audierit eos, dic ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Hisce Christi verbis Ecclesiæ potestas judiciaria in foro externo in manifesto ponitur: enimvero reus, accusator, judex, sententia et pœna indicantur. Quam vero potestatem esse jus auctoritative et definitive causam judicandi, ex pœna manifestum est: *si non audierit, sit tibi sicut ethnicus.*

2. S. Paulus ad Timotheum scribit (I Tim. V, 19): *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Potest igitur Episcopus, qui in casu est Timotheus, in foro externo, testes audire, accusationem contra reum accipere, ac proinde etiam sententiam auctoritative pronuntiare. Quibus omnibus vera judiciaria potestas denotatur.

II. **Ex praxi Apostolorum et Ecclesiæ.** Apostoli potestate judiciaria in fideles usi sunt: B. Petrus judicium tulit de Anania et Saphira *(Act. V);* B. Paulus Hymeneum et Alexandrum judicavit *(I Tim. I, 20),* necnon incestuosum Corinthium *(I Cor. V, 3);* et *(ibid. 12)* ait: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Ergo de iis, qui intus sunt, judicare potuit. — Ecclesia, ut ex historia constat, hac sua potestate decursu temporum semper usa est.

III. **Ex Ratione.** Ecclesia jure divino potestatem habet legislativam. Porro potestas legislativa, nisi conjunctam habeat judiciariam, inanis est et inutilis. Spectata enim hominum indole diversa, nisi præsto esset potestas, quæ legem authentice interpretari valeat, dissensiones circa genuinum legis sensum mox orirentur; spectato vero passionum æstu, nisi

potestas actiones examinandi adesset, leges a multis non observarentur: quæ quidem ad potestatem spectant judiciariam. Nisi ergo dicere velimus Christum Ecclesiæ incassum potestatem legislativam contulisse, concedamus oportet ipsum Ecclesiæ judiciariam etiam elargitum esse potestatem.

230. — Prop. III. *Ecclesia jure divino potestatem habet coactivam.*

De fide, ut supra; speciatim ex condemnata prop. 5 Marsilii Patavini « Quod Ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator. » Quæ propositio ut hæretica est condemnata.

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. Ex verbis supra citatis: *sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ex quibus « constat, ait Joannes XXII, *(in constit. Licet juxta doctrinam),* quod si aliquis damnum alicui indebite dederit, illudque ad mandatum Ecclesiæ noluerit emendare, quod Ecclesia per potestatem a Christo sibi concessam, ipsum ad hoc per excommunicationis sententiam compellere potest: quæ quidem potestas est utique coactiva. »

II. **Ex Apostolorum factis et dictis.** « B. Petrus, *inquit Joannes XXII, (loc. cit.),* post ascensionem Domini, in personam Ananiæ et Saphiræ uxoris suæ, sine imperiali concessione aliqua, hac usus est potestate: in quos, quia de pretio agri Deo oblato fraudaverant, mortis sententiam promulgavit: quæ quidem sententia non processit de ipsorum conjugum voluntate.

« Item, B. Paulus Elimam magum, Sergium Paulum a fide quærentem abducere, ad tempus luce corporali privavit. Illum quoque fornicatorem Corinthium in carnis interitum tradidit Satanæ, ut ejus spiritus salvus esset.

« Item, Corinthiis scribens idem Apostolus dixit: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in caritate, et spiritu mansuetudinis?* (I Cor. IV, 21). In quo satis expresse coactivam potestatem supposuit se habere.

III. **Ex Ratione.** Christus Ecclesiæ potestatem legislativam et judiciariam concessit. Atqui utraque, sublata coactiva

potestate, vana foret et derisoria: unicuique enim integrum esset leges impune transgredi et Ecclesiæ judicia contemnere. Ecclesia igitur jure divino coactiva prædita est potestate; et merito in Syllabo damnata est prop. 24, quod « Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet. »

IV. **Ex absurdo.** « Advertant isti nequam homines, inquit Joannes XXII, *(loc. cit.)*, quomodo audent dicere quod ab imperatore terreno Ecclesiarum prælati coactivam vel aliam receperint originaliter potestatem, cum imperatores usque ad Constantinum fere omnes pagani fuerint seu idololatræ et persecutores, imo exterminatores, quantum fuit in eis, Ecclesiæ sanctæ Dei. Quomodo ergo illi talibus coactivam vel aliam potestatem concederent, utique nullus sapiens credere debet. »

231. — Prop. IV. *Potestas Ecclesiæ coactiva ad pœnas etiam temporales et corporales extenditur.*

Certa, ex condemnatione Pistoriensium, in Const. *Auctorem fidei*, et Nuytz, in breve *Ad Apostolicæ*, 22 Aug. 1851. Pistorienses enim et professor Nuytz Ecclesiæ quoad pœnas temporales et corporales coactivam competere potestatem directe negabant.

NB. — Pœna, quæ est subtractio boni delectabilis in punitionem culpæ, triplex est: *spiritualis*, qua aliquis bonis spiritualibus privatur; *temporalis*, qua homo privatur bonis vel fortunæ vel bonæ famæ; *corporalis*, qua aliquis in corpore affligitur, ut verberatione, carcere. — Non agitur de pœnis in foro pœnitentiali imponendis, sed de pœnis quæ ab Ecclesia in foro externo, contentioso, decerni possunt, in ordine tamen ad finem spiritualem, scilicet *ut spiritus salvus sit*, (I Cor. V, 5): vel saltem *ut et cæteri timorem habeant*, (I Tim. V, 20).

Prob. I. **Ex Script. S.** Jubet Christus hominem, qui Ecclesiam non audierit, habendum esse ut publicanum et ethnicum, ac proinde ut publica infamia notatum. — S. Paulus incestuosum corinthium tradidit Satanæ in interitum carnis *(I Cor. V, 5)*; ad Thessalonicenses scribens statuit de christiano inobediente (II Thess. III, 14): *Hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur;* et Timotheum monet ut peccatores publice arguat (I Tim. V, 20): *Peccantes coram omnibus argue.* Sed infamia, confusio, publica castigatio, in-

teritus carnis, inter pœnas temporales et corporales computanda sunt.

II. **Ex Traditione et praxi Ecclesiæ.** In Ecclesia ab antiquissima ætate morem viguisse peccatores graviorum criminum reos externis pœnis, ut carcere, verberibus, exilio, bonorum privatione mulctandi, ecclesiastica monumenta aperte testantur. De verberatione scribit *S. Augustinus:* « Qui modus coercitionis et a magistris liberalium artium, et ab ipsis parentibus, et sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi. » *(Ep. ad Marcell. trib.).* — *S. Gregorius M.* ad Januarium episcopum Calaritanum scribit: « Quos tamen si emendare se a talibus et corrigere nolle repereris, ferventi comprehendere zelo te volumus: et si quidem servi sunt, verberibus cruciatibusque, quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare: si vero sunt liberi, inclusione digna districtaque sunt in pœnitentiam redigendi. » *(Ep. Lib. VI, 65).*

III. Ex Ratione. A peccato ut homines deterreantur, Ecclesia ea media potest adhibere, quibus, spectatis hominum affectibus, hunc finem obtinere valeat. Sed multi privatione bonorum temporalium magis quam privatione spiritualium tanguntur. Potest igitur Ecclesia pœnas temporales et corporales irrogare.

232. — Scholium: de jure gladii. Disputant theologi et canonistæ an Ecclesiæ potestas coactiva ad jus gladii extendatur, ita ut pœna capitali in aliquem animadvertere possit. Concedunt quidem omnes jus gladii saltem *mediate* penes Ecclesiam esse, quia jure exigere potest a principe christiano, ut, si Ecclesiæ necessitas id postulet, pœna capitali in delinquentes animadvertat: secus enim bono Ecclesiæ satis provisum non fuisset.

Plures vero negant immediatum hujus juris exercitium penes Ecclesiam esse; quare, ut horum fert opinio, Ecclesia in neminem directe et per se pœnam capitalem edicere potest. Quorum ratio est, quia Ecclesia est Mater mansueta, quæ sanguinem horret, neque tali jure unquam usa est.

Alii vero, quorum sententia probabilior videtur, docent Supremum Reipublicæ christianæ Magistratum (non autem magistratus inferiores ob prohibitionem ex lege ecclesiastica) immediatam habere potestatem reum, bonum Ecclesiæ si postulaverit, pœna capitali mulctandi. Immediatum enim juris gladii exercitium ex jure naturæ cuilibet perfectæ societati competit; neque hujusmodi exercitium Ecclesiæ

ex ulla lege positiva interdictum est; neque illud Ecclesiæ mansuetudini adversatur, cum talis debeat esse ejus mansuetudo, ut simul cum necessariæ justitiæ administratione concilietur. Nec illud obstat quod Ecclesia hoc jure nunquam usa est; quia ille non usus provenire potest, non ex defectu potestatis, sed ex defectu opportunitatis, vel ex eo quod ministerium societatis civilis semper præsto erat. (Cf. Tarquini, n. 47).

233. — **Corollaria.** Cum Ecclesia ex Christi institutione sit societas perfecta, habens jure divino plenam, absolutam et ab omni alia humana auctoritate independentem regiminis potestatem, inde

Deducis I: Omnia quæ ad Ecclesiæ regimen aut bonum religionis spectant, ab Ecclesia libere et expedite suo judicio administrari posse. «Ecclesia, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* dux hominibus est ad cœlestia, eidemque hoc est munus assignatum a Deo ut de iis, quæ religionem attingunt, videat ipsa et statuat, et rem christianam libere expediteque judicio suo administret. Quocirca Ecclesiam aut non recte norunt aut iniique criminantur qui eam insimulant, velle se in civitatum rationes inferre, aut in jura potentatus invadere.» *(Enc. Satis Cogn.).*

Deducis II: Eum, qui christianæ reipublicæ præest tanquam visibile ejus Caput, strictum jus habere cum omnibus et singulis fidelibus libere communicandi. — Quapropter «Episcopis, sine gubernii venia, fas est ipsas apostolicas litteras promulgare.» *(Syll. 28);* et «civilis potestas non potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.» *(Syll. 49).*

Deducis III: Electionem vel depositionem ministrorum sacrorum ad solam Ecclesiam jure divino pertinere; nec civilem potestatem de ministrorum modo agendi cognoscere posse. — Illud igitur falsum est, scilicet quod «laica auctoritas habet per se jus præsentandi Episcopos», *(Syll. 50),* vel quod «laicum gubernium jus habet deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos;» *(Syll. 51);* vel quod «eidem competit jus *appellationis,* quam nuncupant *ab abusu.*» *(Syll. 41).*

Deducis IV: Ecclesiam ex ordinatione divina, non autem a jure civili, jus immunitatis habere tum quoad personas sibi necessarias, tum quoad res sibi proprias; — quamobrem eo jure a potestate civili privari nequit. *(Syll. 30, 31, 32).*

Deducis V: Caput visibile Ecclesiæ plena et independente auctoritate ea omnia ordinare posse, quæ, salva essentiali Ecclesiæ constitutione, ad omnimodam *organizationem* corporis fidelium necessaria sunt, vel ad regiminis facilitatem conferre possunt. — Unde potuit et potest Ecclesia jure proprio, prout ei pro temporum conditionibus opportunum visum fuerit, novos magistratus instituere, sicuti instituit hierarchiam quæ dicitur juris ecclesiastici, scilicet cardinalatum, patriarchatum, primatum regionalem, archiepiscopatum, etc. Potest novas

diœceses et parochias erigere, eas dividere, unire; potest tribunalia ecclesiastica erigere, formam judicii præscribere; ordines religiosos instituere et approbare, et ea decernere quæ ad earumdem familiarum regimen requiruntur: hæc enim omnia ad externum Ecclesiæ regimen pertinent.

234. — **NB.** Quæ in hoc et superiore art. enumerata sunt jura Ecclesiæ sunt propria et inamissibilia, quibus Ecclesia nec sponte se abdicare, nec per ullam creatam auctoritatem exspoliari potest. Hujuscemodi tamen possunt quandoque occurrere rerum circumstantiæ, ut majoris mali vitandi gratia, Ecclesia in usu sui juris aliquid relaxare valeat. Sic v. gr., præsentatio Episcoporum a principe civili, violatio immunitatis pro personis ecclesiasticis, etc., sunt in se reprobandæ; sed propter bonum pacis, neve majus malum accidat, quandoque permitti possunt.

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS ECCLESIÆ.

235. — Perspecta Ecclesiæ essentia, si hujus cognitionem omnibus numeris absolutam nobis comparare velimus, proprietates ejus nos considerare oportet: qui enim de aliqua re tantum sciret *quid sit*, non autem *qualis sit*, perfectam ejusdem notitiam non haberet.

Proprietates, *sensu lato*, vocantur quæcumque perfectiones, quæ enti insunt præter ejus essentiam, sive profluant ex entis essentia, sive ei aliunde addantur. — *Sensu stricto*, proprietates sunt perfectiones, quæ necessario ex entis essentia fluunt, ut v. gr., libertas in homine. — *Sensu strictissimo*, proprietates vocantur perfectiones, quæ necessario fluunt ex entis essentia, eique soli ita propriæ sunt, ut nulli alteri convenire possint. Vocantur etiam proprietates *differentiales*.

In hacce disputatione sub proprietatis nomine intelligimus omnes perfectiones, quæ ex voluntate Christi Ecclesiæ necessario insunt, sive ex ejus essentia fluant, sive eidem a Christo sint superadditæ. Octo enumerantur, videlicet: visibilitas, necessitas, indefectibilitas, infallibilitas, unitas, sanctitas, catholicitas, et apostolicitas. — Ex his, quatuor primæ sunt tantum

proprietates; quatuor ultimæ proprietates sunt differentiales, seu *proprietates* simul sunt, et *notæ* quibus vera Ecclesia a pseudoecclesiis discernatur.

Cum vero de formali Ecclesiæ visibilitate, quæ proprietas ponitur, supra jam satis fuerit disputatum (n. 170 et seq.), agendum nobis est tantum: 1. De Ecclesiæ necessitate; 2. de ejus indefectibilitate; 3. de ejus infallibilitate; 4. de ejus unitate; 5. de ejus sanctitate; 6. de ejus catholicitate; 7. de ejus apostolicitate.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE ECCLESIÆ [1].

236. — Definitio. — *Necessitate* eam intelligimus Ecclesiæ proprietatem, vi cujus Ecclesia est unicum medium ordinarium salutis, et ita quidem ut omnes homines, qui salutem consequi exoptent, eam ingredi teneantur.

237. — Duplex necessitas. — Relate ad salutem aliquid potest esse necessarium vel necessitate medii, vel necessitate præcepti. — *Necessitate medii* illud dicitur esse necessarium ad salutem sine quo, etiam inculpabiliter omisso, salus est impossibilis, v. gr. gratia sanctificans. — *Necessitate præcepti* aliquid dicitur necessarium ad salutem, quia a Deo præceptum est ut medium, quo tamen inculpabiliter omisso, salus nihilominus obtineri potest, v. gr. sanctificatio diei dominicæ.

238. — Diversi modi pertinendi ad Ecclesiam. — Ecclesia considerari potest sive quoad animam, sive quoad corpus (n. 203), contingereque potest ut aliquis sit de anima Ecclesiæ quin sit de ejus corpore. — Ad corpus Ecclesiæ aliquis dupliciter pertinere potest *re* vel *voto*. *Re* pertinet ad corpus Ecclesiæ, qui per baptismum Ecclesiæ est aggregatus, et actu ei conjunctus manet. — *Voto* ad Ecclesiæ corpus pertinet, qui illud ingrediendi desiderium habet. — Votum illud potest esse explicitum vel implicitum: *explicitum*, quando

[1] Cf. *Coll. Loc.*, p. 569 et 588 et seq.

nimirum aliquis Ecclesiam cognoscit, et eam ingrediendi desiderium habet, cujusmodi sunt catechumeni; vel quando aliquis, nesciens adhuc quæ sit vera Ecclesia, de ea, ut eam ingrediatur, inquirit; *implicitum*, quando scilicet aliquis inculpabiliter Ecclesiam ignorat et bona fide extra eam versatur, et paratus est facere quæcumque Deus ab eo expostulat, ac proinde etiam ingredi Ecclesiam, si hæc ei innotesceret.

Ad salutem necessarium esse *necessitate medii*, unumquemque hominem *re* pertinere ad animam Ecclesiæ, luce clarius est; ad salutem enim absolute necessaria est gratia sanctificans, in qua Ecclesiæ anima consistit. — Necessarium etiam est necessitate medii unumquemque *voto saltem implicito* ad corpus Ecclesiæ pertinere; quod quippe votum in gratia sanctificante necessario includitur.

Non est autem necessarium necessitate medii aliquem *re* ad corpus Ecclesiæ pertinere; qui enim inculpabiliter versaretur extra corpus Ecclesiæ, ea de causa non damnaretur, *ut declaravit Pius IX:* « Sed tamen pro certo pariter habendum est, qui veræ religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi hujusce rei culpa ante oculos Domini. » *(Alloc. Singulari quadam, 9 Dec. 1854. — Cf. etiam Epist. Encycl. Quanto conficiamur, 10 Aug. 1863. — Collect. Lac. p. 590).*

239. — Status quæstionis. — Quæritur igitur in hac quæstione, an Ecclesia, qua visibilis societas, sit omnibus ad salutem adeo necessaria, ut omnis qui in eam semel cognitam ingredi renuerit, salvus esse non possit.

240. — Errores. Docet fides catholica neminem eorum, qui culpabiliter extra corpus Ecclesiæ versantur, salutem consequi posse. Huic doctrinæ adversantur: *a) naturalistæ, rationalistæ* et *indifferentistæ*, qui hoc docent, scilicet quod: « homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt. » *(Syll. 16); — b) protestantes*, qui hoc tenent, scilicet quod « protestantismus non est aliud quam diversa veræ ejusdem christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est ». *(Syll. 18); — c) quidam ex catholicis*, qui

hoc putant, videlicet quod « saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. » *(Syll. 17).*

241. — **Prop.** *Extra Ecclesiam non est salus.*

De fide, ex Lateranensi IV, in quo definitum est: « Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur; » — et ex declaratione Eugenii IV, in bulla *Cantate Domino*, in qua legimus: « Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur et prædicat, nullos, intra catholicam Ecclesiam non existentes, ... æternæ vitæ fieri posse participes; sed in ignem æternum ituros, nisi ante finem vitæ eidem fuerint aggregati. » (Cf. etiam Pius IX, Alloc. *Singulari quadam*, 9 Dec. 1854).

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Marc. XVI, 15): *Prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Atqui credere et baptizari idem sonat atque visibili Ecclesiæ aggregari. Ergo omnis qui non vult Ecclesiæ aggregari, condemnabitur. — (Matth., XVIII, 17): *Si... Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ergo qui Ecclesiam non audit, id est, qui se eidem non subjicit, erit sicut ethnicus, id est, extra viam salutis. — (Cf. etiam Matth., X, 14, 15).

II. **Ex Traditione.** Ait *Origenes:* « Si quis salvari vult, veniat in hanc domum... extra hanc domum, id est, extra Ecclesiam, nemo salvatur. » *(Hom. IV in Josue, n. 5).* — *S. Cyprianus:* « Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. » *(De unit. Eccl. n. 6).* — *S. Hieronymus:* « Quicumque extra hanc domum (Ecclesiam) agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. » *(Ep. 14, ad Damasum).*

III. *Ex Protestantium confessione.* Protestantes, quamdiu ab illa quæstione, videlicet quænam sit vera Christi Ecclesia, præscinditur, unanimiter docent extra Ecclesiam non esse salutem. « Extra ejus gremium, *ait Calvinus* [1], nulla est spe-

[1] *Instit.* L. IV, c. 2.

randa peccatorum remissio, nulla salus.» *Et Lutherus*[1]: « Extra hanc christianitatem, ubi huic Evangelio locus non est, neque ulla est peccatorum remissio, quemadmodum nulla sanctificatio esse potest.»

IV. **Ex Ratione.** 1. Quilibet homo sub pœna æternæ damnationis eam tenetur profiteri religionem, quam Deus per Christum hominibus revelavit. Atqui Christus suam religionem soli suæ Ecclesiæ custodiendam commisit. Ergo quilibet Ecclesiam ingredi tenetur, ut per veram religionem Christo conjungi et salutem suam operari valeat.

2. Potest equidem Deus providentia extraordinaria homini fidem et alia salutis media, Ecclesia non adjutrice, elargiri: unde de salute eorum, qui inculpabiliter extra Ecclesiam versantur et legem naturalem observant, desperandum non est. Attamen, secundum ordinariam Dei providentiam, Ecclesia, quam Christus instituit ut salutiferum Redemptionis opus jugiter continuaret in terris, unicum est medium quo Deus utitur, ut hominibus fidem aliaque salutis media elargiatur. Atqui providentia Dei extraordinaria eos tantum respicit, qui ordinaria uti non possunt. Ergo qui culpabiliter extra veram Ecclesiam vagantur, carebunt mediis salutis et peribunt.

3. Qui in statu peccati mortalis moritur, æterno perit. Sed qui culpabiliter extra Ecclesiam e vivis decedit, in peccato lethali moritur; graviter enim peccat qui Deum spernit: ille autem Deum spernit qui Ecclesiam ingredi recusat, testante Domino (Luc. X, 16): *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Qui igitur extra Ecclesiam culpabiliter versatur, salutem consequi nullatenus potest.

242. — Objicitur. Hoc dogma, nempe: *extra Ecclesiam non esse salutem,* maximam inhumanitatem redolet, cum majorem hominum partem ab æterna beatitudine excludat. Sed Deus, utpote summe bonus, adeo crudelis putandus non est. (Jurieu).

Resp. Illud dogma maximam redolet inhumanitatem, *distinguo:* si omnes homines indiscriminatim, cum sontes tum insontes, qui extra

[1] *Cathec. major*, P. II, *Symb. Apost.*, a. 3.

Ecclesiam versantur, a beatitudine excludit, *concedo:* secus, *nego.* — Jamvero non docet Ecclesia omnes indiscriminatim, sed eos solum, qui culpa propria extra Ecclesiam versantur, damnari. Neque ideo ulla crudelitatis nota Deo inuri potest. Deus enim, utpote supremus Dominus, hominibus quam voluerit imponere potest religionem, et quam voluerit, indicare viam, per quam ad æternam felicitatem perveniant. Qui igitur Deo obedire recusat et per aliam viam ad finem tendere satagit, gravis delicti reus est, et ipsimet soli culpæ illud vertendum est quod ad beatitudinem non perveniat.

ARTICULUS III.

DE ECCLESIÆ INDEFECTIBILITATE.

243. — Definitio. — Indefectibilitas est proprietas, qua Ecclesia « eadem in se suaque a Christo accepta constitutione immutabilis perseverat. » [1]

Indefectibilitas duo includit: *a)* Ecclesiæ perpetuitatem ejusque nunquam interrumpendam existentiam usque ad finem mundi: *b)* ejus immutabilitatem tam in sua essentia et constitutione, quam in suis proprietatibus, ita ut Ecclesia sit semper identice eadem ac fuit a Christo condita, neque ulla post illam sive plenior sive perfectior salutis œconomia in hoc sæculo exspectanda sit. — Prius vocatur indefectibilitas *in existendo;* posterius indefectibilitas *in essendo.*

Indefectibilitate in essendo ab Ecclesia excluditur: *a)* omnis nova revelatio publica, qua fidei depositum augeretur; non autem hominum progressus in lege Christi intelligenda et explicanda. « Crescat igitur, *inquit Vatic., Const. Dei Filius, c. 4,* et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. » — *b)* excluditur omnis mutatio in essentialibus, ut in Sacramentorum forma et materia; non autem mutatio in accidentalibus, quorum determinationem pro temporum necessitatibus Christus Ecclesiæ reliquit, ut sunt v. gr., ritus in missa celebranda, jejuniorum institutio, institutio hierarchiæ quæ juris ecclesiastici dicitur.

[1] *Schema Concil. Vatic.* c. 9. Coll. Lac. p. 570.

244. — Errores. [1] Circa Ecclesiæ perennem existentiam erraverunt Sociniani, Voltaire, Strauss, et hodiernæ sectæ massonicæ; qui omnes Ecclesiam mox perituram esse dictitant.

2. Novatores sæculi XVI concedunt quidem Ecclesiam absolute sumptam deficere non posse, quia Ecclesia invisibilis semper sit remansura; ast docent Ecclesiam visibilem non solum deficere posse, sed de facto sub finem sæculi quinti defecisse, et tandem sæculo XVI a Luthero et Calvino fuisse restauratam.

3. Circa Ecclesiæ indefectibilitatem *in essendo* erraverunt Anabaptistæ, Quakeri, Swedenborgiani, Mormomes, qui novas revelationes, novamque Spiritus Sancti effusionem somniarunt. — His adnumerari debent Cathari, Beguardi, Fraticelli, qui novam salutis œconomiam ac proinde novam Ecclesiam exspectabant.

3. « His accedunt tandem socialistæ, humanitarii, aliique democratiæ universalis assertores, qui Ecclesiam ad typum communem omnis societatis exigentes, eamdem continuis ac necessariis transformationibus et reformationibus subjiciunt, ita ut cum jugi humanitatis progressione continuoque fluxu neque dogmatum symbolum immutabile neque Ecclesiæ constitutionem stabilem esse dicant. » [2]

245. — Prop. *Vera Christi Ecclesia est indefectibilis tam in existendo quam in essendo.*

De fide, ex manifestis Scripturæ testimoniis.

Prob. I Pars: *Est indefectibilis in existendo.*

I. **Ex Script. S.** 1. Vaticinia Vet. Test. Ecclesiæ perennem existentiam manifeste prænuntiant. Legimus (Is. IX): *Parvulus natus est nobis... super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo ut usque in sempiternum.* — (Dan. II, 44): *In diebus regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur... et ipsum stabit in æternum.* — Atqui regnum Messiæ est Christi Ecclesia; Ecclesia enim in Nov. Test. explicite regnum Christi vocatur; et Angelus ad Mariam ait (Luc. I, 32): *Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.*

2. Verba Salvatoris eamdem Ecclesiæ perennitatem pressius annuntiant. Dixit Christus ad Petrum (Matth. XVI, 18):

[1] Cf. Coll. Lac. p. 594 et seq. — [2] *Theol. Vatic.*, Coll. Lac. p. 583.

Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. — Et ad omnes Apostolos (Matth. XXVIII, 20): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

II. **Ex Traditione.** Scripsit *S. Hieronymus:* « Ex quo intelligimus Ecclesiam, usque ad finem mundi, concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari. » *(In Amos, c. 9).* — *S. Ambrosius:* « Ecclesia tempora sua habet persecutionis videlicet et pacis; nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit; obumbrari potest, deficere non potest. » (*Hexamer.* l. IV, c. 2).

III. **Ex Ratione.** Cum Ecclesia a Christo eo fine instituta sit ut salutiferum Redemptionis opus in terris continuaret (n. 167), idcirco ex voluntate Christi tamdiu durare debet, quamdiu in terris salutiferum Redemptionis opus applicandum est. Porro opus Redemptionis ad finem usque mundi applicandum est hominibus; etenim, teste B. Petro (Act. IV, 12): *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ecclesia igitur usque ad finem mundi est duratura. « Cum autem Ecclesia, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII*, sit ejusmodi voluntate et constitutione divina, permanere sine ulla intermissione debet ejusmodi in æternitate temporum: ni permaneret, profecto nec esset condita ad perennitatem, et finis ipse, quo illa contendit, locorum esset tempo umque certo spatio definitus: quod cum veritate utrumque pugnat. » *(Enc. Satis cognitum).*

Prob. II Pars: *Est indefectibilis in essendo.*

I. **Argumento generali:** Ecclesiæ indefectibilitas in essendo sequitur ejus indefectibilitatem in existendo. Ea enim Ecclesia, quam Christus vult esse perpetuo duraturam, est Ecclesia *sua*, est illa, quam ipse fundavit. Jamvero si Ecclesia in aliquo essentiali mutari posset, cessaret esse Ecclesia Christi. Ecclesia igitur mutari nequit.

II. **Prob. in specie:** 1. *Quoad essentiam et constitutionem socialem.* — Ecclesia quoad essentiam et socialem constitutionem nec ab homine nec a Deo immutari potest. Ergo

est absolute immutabilis. — *Prob. antecedens: Non ab homine:* Ecclesiæ constitutio essentialis est de jure divino-positivo. Quod autem est de jure divino positivo, ab homine immutari nequit. — *Non a Deo:* Potuisset equidem Christus Ecclesiam non condere, vel aliam ei dare constitutionem; ast postquam eam condidit in tali specie et forma, cum tali determinata constitutione, nulla adjecta promissione de nova Ecclesia postea fundanda, e contra, expressa absoluta voluntate hujus Ecclesiæ, quam condidit, perpetuo conservandæ, profecto non potest Deus amplius Ecclesiæ essentiam et constitutionem immutare, quin ipse mutetur. Sed Deus mutari nequit, secundum illud (Malach. III, 6): *Ego Dominus et non mutor.*

2. *Quoad proprietates essentiales.*

a) Nullum ens in proprietatibus suis essentialibus mutationem subire potest, quin etiam mutetur in sua essentia, ex qua proprietates naturaliter fluunt. Sed Ecclesia in essentia est prorsus immutabilis; ergo etiam in suis proprietatibus.

b) Ecclesia, sicut omnibus ad salutem est necessaria, ita ab omnibus et omni tempore debet posse cognosci ut vera Christi Ecclesia. Cum autem Ecclesia ex proprietatibus essentialibus cognoscatur, ut infra dicetur (n. 290 et seq.), ideo mutatis proprietatibus, ex eis jam non posset vera Christi Ecclesia cognosci, neque proinde jam omnibus ad salutem necessaria dici posset. Nequit, igitur Ecclesia in suis proprietatibus mutari.

246. — **Coroll.** Ex dictis infertur quanta insania delirent qui, aut novam salutis œconomiam, novam religionem, novamque Ecclesiam a Spiritu Sancto fundandam exspectant; aut contendunt Ecclesiam jam senuisse et necessitatibus ac propensionibus hujus sæculi non amplius esse accommodatam, ac proinde novam et perfectiorem ei esse substituendam. — Non senuit nec senescet Ecclesia, quam Christus jugi vitæ et gratiarum influxu vivificat, regit, et in perenni juventute conservat, ut cujusvis ætatis necessitatibus non solum spiritualibus sed et temporalibus opportuna adhibere valeat remedia. Sed veteraverunt societates, suave Christi jugum abjecerunt, *transgressæ sunt leges, mutaverunt jus,...* idcirco *maledictio vorabit terram.* (Is. XXIV, 6). Quapropter calamitates, quibus hodiernæ obruuntur societates, non ideo existunt quia Ecclesia eis medendi est impotens, sed quia ejus salutaria remedia contemnuntur et rejiciuntur.

ARTICULUS. III.

DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ.

247. — Infallibilitatis nomine ea intelligitur proprietas seu prærogativa, vi cujus Ecclesia in rebus fidei et morum ab omni errore præservatur immunis.

Duplex distinguitur Ecclesiæ infallibilitas, activa et passiva. Activa residet in Ecclesia docente; passiva, in Ecclesia discente.

Infallibilitas *passiva*, quæ dicitur etiam infallibilitas *in credendo*, et *inerrantia*, in hoc consistit quod Ecclesia universaliter sumpta, prout complectitur populum et pastores, errare nequit credendo aliquid esse revelatum quod non est revelatum, vel aliquid non esse revelatum quod est revelatum. Hanc in Ecclesia occurrere infallibilitatem, dogma fidei est; teste Apostolo, qui Ecclesiam vocat (I Tim. III, 15): *Columna et firmamentum veritatis*. Præterea, « excideret Ecclesia Christi a sua immutabilitate et dignitate, et desineret esse societas vitæ ac necessarium salutis medium, si eadem a salutari fidei morumque veritate aberrare posset. » *(Schema Vatic., Coll. Lac. p. 570).*

Infallibilitas passiva necessario fluit ex activa tanquam ex propria sua causa; fieri enim non potest ut Ecclesia audiens erret in credendo, si Ecclesia docens, cujus vocem audire debet, non errat in dicendo. Agemus igitur tantum de infallibilitate activa, de qua duo sunt investiganda: 1. Ejus existentia; 2. Ejus objectum.

§ 1. *De infallibilitatis existentia.*

248. — Infallibilitas activa definiri potest: *Prærogativa, qua per specialem Spiritus Sancti assistentiam, Ecclesia docens in rebus fidei et morum definiendis ab omni errore præservatur immunis.*

Explicatur definitio. Dicitur 1: est *prærogativa*, cœleste scilicet charisma, quo Christus Ecclesiam, sponsam suam, ex speciali amore insignivit ac honoravit.

Dicitur 2. *Per specialem Spiritus Sancti assistentiam:* his verbis indicatur infallibilitatis causa efficiens, quæ est ipsemet Spiritus Sanctus, non autem naturales Ecclesiæ vires, aut labor ejus proprius. — Indicatur etiam differentia, quæ infallibilitatem inter et revelationem aut inspirationem intercedit. Revelatio est rei ignotæ manifestatio; ad inspirationem ergo requiritur: primum, ut sacer scriptor a Spiritu S., et ad scribendum excitetur; et in scribendo immunis servetur ab errore; et, quæ nescit, illa ex interna illustratione edoceatur; deinde ut Spiritus Sanctus actione positiva scriptoris mentem et voluntatem ad ea omnia et sola, quæ Deus scripta vult, scribenda inclinet (n. 366). Ad infallibilitatem vero neque ulla nova requiritur revelatio, neque ulla positiva Spiritus Sancti impulsio, sed solum divina assistentia, qua Ecclesia in investigandis veritatibus antea revelatis ab omni errore præservetur immunis [1]. — Potest quidem Ecclesia docens ad aliquam veritatem definiendam immediate a Spiritu Sancto excitari; potest superna illuminatione quoad veritatem proponendam illustrari; sed hæc non sunt de essentia infallibilitatis.

Dicitur 3. *Ecclesia docens:* Quæ verba subjectum infallibilitatis significant. Infallibilitatem activam illis solis promisit Christus, quibus authenticum commisit magisterium, scilicet Petro et Apostolis, eorumque successoribus. Infallibilitatis igitur subjectum primo et principaliter est Petrus ejusque successor in primatu; (cf. n. 330), deinde sub eo et una cum eo corpus Pastorum, seu Episcoporum, qui apostolicum constituunt collegium (n. 340). Dicitur *corpus pastorum*, quia infallibilitas promissa est non cuilibet Episcopo in particulari, sed cœtui pastorum in solidum sumpto, seu toti corpori Episcoporum, sive sint per orbem dispersi, sive sint in generali concilio congregati; in utroque enim casu collegium constituunt apostolicum, cui promissa est infallibilitas, dummodo sint centro

[1] Cf. *Conc. Vat., Const. Pastor. æt.*, c. 4.

unitatis conjuncti, quia collegium apostolicum absque capite Petro concipi nequit.

Dicitur 4. *In rebus fidei et morum*, quibus verbis indicatur infallibilitatis objectum, (de quo fusius infra, n. 251).

Dicitur 5. *Definiendis ab omni errore præservatur immunis.* His indicatur finis infallibilitatis, qui non est ut Ecclesia novis revelationibus ditescat, sed, sicut dicitur *in Schemate Conc. Vati., (pag. 570)* « ut verbum Dei sive id scriptum sive traditum sit, in universali Christi Ecclesia integrum et a quavis novitatis immutationisque corruptela immune asseratur et custodiatur. »

Finis igitur infallibilitatis est: *a)* ut revelationis depositum in Ecclesia semper conservetur integrum et ab omni alteratione immune; *b)* ut omnis controversia, quæ circa res fidei aut morum oriri potest, definitive judicetur; *c)* ut fidelibus semper præsto sit regula fidei certa, per quam absque erroris formidine credenda edoceantur.

Activam Ecclesiæ infallibilitatem negant omnes novatores.

249. — *Ecclesia in doctrina fidei et morum conservanda et definienda est infallibilis.*

De fide, ex Vatic. Const. *Pastor æternus*, c. IV.

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. *Ex verbis Christi.* Legimus Christum Apostolis dixisse (Matth. XXVIII): *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Quibus verbis Christus Apostolis eorumque successoribus usque ad finem mundi specialem in exercendo docendi munere assistentiam promisit. Atqui illa assistentia veram importat infallibilitatem; si enim Ecclesia, assistente Christo, errare posset, error in Christum redundaret.

(Joan. XIV, 16-26): *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis... ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Quibus verbis Apostolis eorumque successoribus intima promittitur Spiritus Sancti inhabitatio et assistentia, qui eos docebit omnia, eisque suggeret omnia quæ ad eos locutus est Christus. Jamvero si Ecclesia cum tali Spi-

ritus Sancti assistentia errare posset, error in ipsum Spiritum Sanctum refunderetur.

B. Petro dixit Christus (Matth. XVI, 18): *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Porro si Ecclesia errare posset, portæ inferi, id est regnum Satanæ, cujus proprium est errores spargere, contra eam prævalerent.

2. *Ex verbis Apostoli.* Legimus (Eph., IV): *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos,... alios autem pastores et doctores; ad consummationem sanctorum... donec occurramus omnes in unitatem fidei,... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Docemur his verbis magisterium a Christo eo consilio fuisse institutum, ut homines usque ad finem mundi, *donec occurramus omnes in unitatem fidei,* præbant veritatibus revelatis assensum adeo firmum, ut nequitia et astutia perversorum hominum in nullum unquam errorem pertrahi possint. Atqui si Ecclesia in docendo infallibilis non foret, fideles hujusmodi assensum nunquam præbere possent, cum nunquam certi esse possent Ecclesiam non falli. Ergo Ecclesia in docendo est infallibilis.

Idem Apostolus ad Timotheum (I, c. III, 14) scripsit: *Hæc tibi scribo... ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Sicut igitur in materiali structura columna et fundamentum totum ædificium, ne corruat, sustentant; ita Ecclesia totam fulcit veritatem et Christi religionem, ne pereat. Sed si Ecclesia in docendo errare posset, veritatem tanquam columna non fulciret, sed contra, veritatem destrueret.

II. **Ex Traditione.** Universalis traditio Ecclesiæ docentis infallibilitatem practice et theoretice semper adseruit. — *Practice:* S. Patres ad confutandos hæreticos, ad Ecclesiæ doctrinam semper provocarunt. « Sufficit declarare adversariis, *inquit S. Athanasius:* hæc non est doctrina Ecclesiæ catholicæ. » *(Epist. ad Epict. 3).* — Præterea, tum Ecclesiæ judicia in dirimendis fidei controversiis, tum ejus sententiæ in definienda doctrina revelata, ut certa et inconcussa fidei regula

habebantur, adeo ut qui eis acquiescere recusabat, ab omnibus tanquam hæreticus fuerit abjectus. Sed hæc praxis manifeste innuit omnes Ecclesiam ut infallibilem veritatis magistram considerasse.

Theoretice: Ecclesiæ Patres infallibilitatem magisterii diserte adstruunt. Ait *S. Leo:* « Tanta divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia. » *(Sermo. 2).* — *S. Hieronymus:* « Cui (Ecclesiæ) dicitur: Surge et illuminare, ut quæ cecidit in incredulis (Judæis), surgat in fidelibus, et postquam surrexerit, illuminatur ut nequaquam habeat erroris tenebras. » *(L. I Ep. 238).*

III. **Ex Ratione.** — 1. *Ex fine Ecclesiæ.* Christus Ecclesiam eo fine instituit, primum ut religionem suam puram et intactam conservaret, deinde ut suam præsentiam suumque magisterium jugiter continuaret in terris, tum ut homines in ea et per eam illud ipsum salutis præsidium haberent, quod habuissent si ipse ad finem usque mundi visibiliter in terris remansisset. Atqui si Ecclesia docens non omnimoda infallibilitate donaretur, sed in doctrina fidei et morum proponenda errare posset, tunc, nec religionem puram et intactam conservare posset, nec Christi magisterium, quod est omnino infallibile, repræsentaret in terris, nec in ea et per eam homines tutissimam salutis viam invenirent. Necesse est igitur ut Ecclesia sit prorsus infallibilis.

2. *Ex œconomia fidei.* Si Ecclesia docens infallibilis non foret, error in ipsum Christum refunderetur. Atqui hoc est impossibile. Ergo. — *Prob. major:* Juxta Christi institutionem unicum organum fidei communicandæ est magisterium apostolicum, quod vice Christi loquitur, *qui vos audit, me audit;* et cui omnes sub pœna æternæ damnationis sese subjicere tenentur: *qui non crediderit, condemnabitur.* Si igitur Ecclesia docens, cujus decisioni omnes stare tenentur, errare posset, omnes fideles absque culpa propria in errorem necessario induci possent; et hoc quidem ex positiva Christi institutione, qui hujuscemodi obligationem audiendi Ecclesiam induxit; et sic error in Christum directe redundaret.

3. *Ex necessitate regulæ fidei.* Requiritur in Ecclesia regula fidei controversiarum judex, et hæc infallibilis sit oportet. Deficiente enim regula fidei, nec certo scire possemus quid tenendum sit, et quid rejiciendum; nec controversiis finis imponi posset; huic vero regulæ, si infallibilis non esset, absque formidine oppositi adhærere non possemus, et sic fides pessumdaretur. Atqui regula fidei proxima non potest esse nisi authenticum Ecclesiæ magisterium, ut supra probatum est. (n. 216).

250. — **Quæritur:** *An synagoga fuerit etiam infallibilis.*

Resp. Certum est Deum providisse ut in synagoga depositum revelationis sancte custodiretur, et ab omni errore præservaretur immune. — Utrum autem illud factum sit per infallibilitatis prærogativam ordinario magisterio judaico concessam, an per aliud medium, controvertitur.

Docent alii ordinarium synagogæ magisterium non fuisse infallibile; sed Deum, quando necessitas expostulabat, per extraordinarium magisterium prophetarum providisse, ne recta fides unquam deficeret. « Si quando, *inquit Franzelin* [1], magisterium ordinarium sua culpa deficeret, charisma propheticum magisterii extraordinarii supplebat defectum... Infallibilis itaque depositi custodia erat utique in Ecclesia mosaica, non tamen per promissam perennem assistentiam Spiritus veritatis pro magisterio ordinario; sed quatenus munus utrumque, ordinarium sacerdotii et extraordinarium prophetiæ, consideratur conjunctum. »

Alii vero docent ordinarium synagogæ magisterium fuisse infallibile. « Jam in Lege Vet., *inquit S. Alphonsus* [2], summi sacerdotis sententia erat infallibilis; qua de causa qui ejus decretis obtemperare recusabat, morti adjudicabatur. »

§ 2. *De Objecto infallibilitatis.*

251. — In schemate Conc. Vatic. *de Constitutione Ecclesiæ*, c. IX, [3] de objecto infallibilitatis legimus: « Objectum infallibilitatis tantum patere docemus, quantum fidei patet depositum, et ejus custodiendi officium postulat; adeoque prærogativam infallibilitatis, qua Christi Ecclesia pollet, ambitu suo complecti tum universum Dei verbum revelatum, tum id omne, quod licet in se revelatum non sit, est tamen

[1] *De Eccl. Thes.* III, 2. et Egger, n. 326. — [2] *Ver. fid.* P. III, c. 10.
[3] Coll. Lac. p. 570. cf. p. 415.

ejusmodi, sine quo illud tuto conservari, certo ac definitive ad credendum proponi et explicari, aut contra errores hominum ac falsi nominis scientiæ oppositiones valide asseri defendique non possit.»

Duplex igitur distinguitur infallibilitatis objectum: directum et indirectum.

252. — I. **Objectum directum seu primarium** sunt omnia quæ in revelatione *formaliter* continentur, sive sint veritates ordinis supernaturalis vel naturalis, sive spectent ad dogma, ad mores vel ad cultum, sive sint explicite aut implicite revelatæ. Ad hoc enim Ecclesiæ donum infallibilitatis directe concessum est, ut revelationis depositum intactum custodiatur et fideliter proponatur. Unde:

1. Infallibilis est Ecclesia in libris inspiratis agnoscendis, in eorum canone recensendo, in eorum interpretatione tradenda: hæc enim directe ad depositum fidei pertinent.

2. Errare nequit in approbatione versionum Scripturæ Sacræ, saltem quoad ea quæ fidei morumque doctrinam continent. Ecclesia enim est infallibilis in tradendo deposito fidei; ad quam traditionem diversæ Scripturarum versiones directe pertinent.

3. Errare nequit in proponendis symbolis fidei, in veritatibus revelatis definiendis, in explicandis præceptis moralibus aut consiliis evangelicis.

4. Est infallibilis in eruendo ex scriptis Patrum dogmata divinitus revelata, quæ in Scripturis non continentur: traditio enim non secus ac Scriptura depositum revelationis continet.

5. Est infallibilis in condemnatione propositionum, quæ revelatæ doctrinæ opponuntur: cujus enim est aliquam doctrinam infallibiliter definire, ejus etiam est oppositam doctrinam infallibili judicio reprobare.

6. Est infallibilis in definiendo suam propriam constitutionem, sua jura, suas proprietates et prærogativas: quæ quippe omnia in deposito revelationis formaliter continentur.

253. — II. **Objectum infallibilitatis indirectum et secundarium** sunt veritates quædam ordinis naturalis vel facta

naturalia, quæ, etsi non sint revelata, tam intimam tamen cum dogmate aut morum integritate connexionem habent, ut sine eis nec dogma nec morum integritas salva subsistere possint. Cujusmodi sunt, v. gr. systemata philosophica, orthodoxia alicujus libri, generalis Ecclesiæ disciplina.

In illis judicandis, quæ talem cum fide aut moribus connexionem habent, Ecclesiam esse infallibilem, unanimis omnium theologorum sententia docet. Disputant tamen auctores utrum sit *de fide*, an solum *theologice certum*, Ecclesiam in his esse infallibilem. (cf. n. 327, 5).

254. — Prop. *Ecclesia, in judicandis veritatibus naturalibus cum dogmate aut moribus connexis, est infallibilis.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Eph. IV, 11-14): infallibile magisterium fuisse Ecclesiæ datum: *ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* — Et (Colos II, 4, 8): *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum... Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum.* Sed nisi Ecclesia de scientiis profanis, quæ cum fide connectuntur, infallibiliter judicare posset, tunc impedire non posset quin et omni vento doctrinæ circumferamur, et philosophia decipiamur.

II. **Ex Ratione.** Ecclesia ex mandato divino jus et officium habet revelationis depositum custodiendi et defendendi; quem in finem infallibilitatis donum accepit. Ergo eodem divino mandato jus habet ad media, sine quibus fidei et morum integritatem defendere non posset. Sed medium necessarium ad depositum revelationis efficaciter custodiendum et defendendum, est auctoritas de omnibus dictis et factis judicandi, quæ cum dogmate aut morum doctrina connexa sunt, et hæc in periculum adducere possent. Unde et in Conc. Vaticano, Const. *Dei Filius*, c. IV, can. 2, anathema dicitur in eos, qui Ecclesiæ jus denegant proscribendi humanarum disciplinarum assertiones, quæ doctrinæ revelatae adversantur[1]. Jamvero, nisi

[1] Cf. etiam Pium IX, *Gravissimas inter*, 11 Dec. 1862.

Ecclesia in illis judiciis ferendis infallibilis foret, finis intentus nullatenus obtineri posset; homines quippe ejus decisiones, sub prætextu quod in eis forsan erraverit, semper eludere possent.

255. — **Scholium.** *De natura assensus Ecclesiæ in his judiciis præstandi.* Cum Ecclesia officium et potestatem habeat infallibiliter de omnibus judicandi, quæ cum dogmate aut moribus connexa sunt, nemini licet his Ecclesiæ judiciis obedientiam detrectare, sed omnibus incumbit gravis obligatio, assensu non tantum externo, sed interno, sincero et absoluto sese subjicendi. « Quoniam vero satis non est, ait Vatic. (*Const. Dei filius*, c. IV), hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus servandi etiam Constitutiones et decreta, quibus pravæ ejusmodi opiniones, quæ isthic diserte non enumerantur, ab hac sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt. » *Et Pius IX (Encycl. Quanta cura)* : « Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce litteris commemoratas auctoritate nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus. » cf. etiam Syll. prop. XXII. — « Omnes propositiones, *ait etiam S. Alphonsus*, a pontificibus damnatæ, licet non omnes sint hæreticæ, sed aliæ temerariæ, aliæ erroneæ, aliæ scandalosæ, etc., tamen accedente Pontificis definitione, tenendum est de fide, quod illæ propositiones vere sint temerariæ, vel alia inficiantur nota, quam ipsas pati Pontifex declaravit. » *(Mor. L. I, n. 104).*

Notant tamen theologi, fidem, qua veritatibus non revelatis ab Ecclesia decisis adhæremus, non esse fidem divinam, propterea quod eas non credimus propter auctoritatem Dei revelantis; sed esse fidem *ecclesiasticam*, quam alii vocant *mediate divinam*. Dicitur *ecclesiastica*, quia credimus propter infallibilem auctoritatem Ecclesiæ; dicitur *mediate divina*, quia Ecclesiæ infallibilitatem credimus propter auctoritatem Dei. Unde propositio contraria veritati non revelatæ, sed cum revelata connexa, non est hæretica, sed inferiori censura notatur, diciturque erronea, falsa, scandalosa, temeraria, impia, etc.; et qui eam pertinaciter sustineret, peccaret utique graviter, et esset hæreticus *præsumptivus, suspectus de hæresi*, non autem hæreticus formalis.

256. — In causis mere scientificis, quæ neque revelatæ sunt, neque directe aut indirecte ad depositum fidei custodiendum referuntur, v. g., systema copernicum, regulæ algebricæ, etc., et in factis personalibus, v. gr., an talis persona tale crimen commiserit, Ecclesia infallibilis non est. « Certum est, *ait S. Thomas*, quod judicium Ecclesiæ universalis errare in his quæ ad fidem pertinent, impossibile est...

In aliis vero sententiis quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes.» *(Quodl. IX, a. u.)*.

Hactenus de objecto indirecto infallibilitatis in genere. Exinde cum communi theologorum sententia deduces sequentia corollaria:

257. — I. **Infallibilis est Ecclesia** non solum in damnandis propositionibus, quæ fidei directe opponuntur et hæreticæ sunt; sed etiam in iis damnandis, quæ indirecte et mediate tantum doctrinæ revelatæ opponuntur, et quibus notæ hæresi inferiores inuri solent. Ratio ex dictis est evidens: nisi enim Ecclesia in hujusmodi propositionibus condemnandis infallibilis esset, depositum fidei custodire nequiret. — Ecclesia ergo, sive hujusmodi propositiones damnet nullam notam qualificativam eis decernendo, *(ut e. gr. in Syllabo)*, sive eas damnet cuilibet propositioni in specie propriam inurendo censuram, (ut in Const. *Auctorem fidei*, Pii VI, 28 Augusti 1794), sive multas propositiones in globo reprobet, eas vocando respective erroneas, hæresi proximas, falsas, impias, periculosas etc., (ut in Bulla *Unigenitus* Clementis XI, 8 Septembris 1713), judicium vere dogmaticum et infallibile enuntiat, cui omnes fideles sincere sese submittere tenentur.

258. — II. **Infallibilis est Ecclesia in disciplina generali.** — Nomine disciplinæ generalis intelliguntur leges et instituta, quæ ad externam totius Ecclesiæ gubernationem spectant; qualia sunt quæ referuntur aut ad cultum externum, ut liturgia et rubricæ; aut ad Sacramentorum administrationem, ut communio sub una specie; aut ad hierarchicam subordinationem stabiliendam, ut est institutio prælaturarum quæ vocantur juris ecclesiastici; aut ad munera ecclesiastica rite obeunda, ut leges de residentia, de cælibatu, de jejunio requisito ad celebrandum, etc.

Ecclesia dicitur infallibilis in disciplina nec eo sensu, quod leges disciplinares sint immutabiles: mutatis enim circumstantiis, sæpe opportunum est leges disciplinares abrogari vel mutari; nec eo sensu, quod leges disciplinares sint semper

omnium optimæ et utilissimæ: hoc enim ad Ecclesiæ prudentiam pertinet, de qua hic non loquimur. Sed Ecclesia in disciplina generali dicitur infallibilis hoc sensu, quod in legibus disciplinaribus nihil possit reperiri, quod sit contra fidem, aut bonos mores, quodve in detrimentum Ecclesiæ aut in damnum fidelium vergere possit.

Ecclesiam in disciplina infallibilem esse, ex ipsius missione sequitur: Missio Ecclesiæ est fidem integram servare et populos ad salutem ducere, docendo eos servare quæcumque mandavit Christus. Sed si in disciplina aliquid præscribere, aut mandare aut tolerare posset, quod est contra fidem aut mores, aut quod in detrimentum Ecclesiæ aut damnum populorum vergeret, Ecclesia a sua divina missione deviare posset; quod repugnat.

Idem suadetur a Tridentino, *sess. XXII, can. 7:* « Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa quibus in missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis quam officia pietatis, anathema sit. » — Et *Pius VI.* in Const. *Auctorem fidei*, propositionem 78 pistoriensem: « quasi Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset, non solum inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum », damnavit ut falsam, temerariam, scandalosam, perniciosam, piarum aurium offensivam, etc.

NB. Cum Ecclesia in disciplina generali sit infallibilis, universalis Ecclesiæ praxis et oratio liturgica ad ejus fidem ostendendam valde inserviunt, inde commune adagium: *Lex orandi legem statuit credendi*; sic v. gr., adoratio SS. Eucharistiæ exhibita realem manifestat Christi præsentiam; preces pro defunctis probant purgatorii existentiam.

259. — III. **Infallibilis est Ecclesia in approbatione ordinum religiosorum.** — Ordo religiosus est *societas quæ per tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ, sub certa institutorum forma ab Ecclesia approbata, ad perfectionem tendit.* — Tria memorata vota ad essentiam cujuslibet ordinis religiosi pertinent; institutorum seu regularum forma, quæ in

diversis ordinibus pro diversitate finium diversa est, unum ordinem ab alio quasi specifice distinguit.

Quæstio hic non movetur, utrum Ecclesia sit infallibilis in approbando generatim statu perfectionis, qui in votorum observatione positus est; sed an sit infallibilis in approbando tali speciali ordine sub determinata sua regula.

Judicium Ecclesiæ in approbatione alicujus ordinis religiosi potest considerari vel ut doctrinale vel ut prudentiale. Judicium *doctrinale* est de ordinis honestate, et de ejus aptitudine ad ducendum homines in perfectionem; judicium *prudentiale* est de opportunitate talis ordinis habita omnium circumstantiarum ratione, utrum scilicet in talibus adjunctis talem ordinem admittere an rejicere expediat. — Non de prudentiali, sed de solo doctrinali judicio quæstio movetur.

260. — *Probatur Ecclesiæ infallibilitas quoad judicium doctrinale.* — Approbatio ordinis religiosi est judicium, quo Ecclesia pronuntiat talem ordinem, ad evangelicam perfectionem et sanctitatem consequendam, omnibus viam tutissimam suppeditare. Atqui si hujusmodi vivendi norma in se spectata aliquid, quod Evangelio aut legi naturali foret contrarium, continere posset, Ecclesia tanquam sanctitatis viam aliquid proponere posset, quod homines a salute retrahit; et eo ipso fideles in inluctabilem conjiceret errorem: quod Ecclesiæ sanctitati et missioni repugnat. Unde ait *S. Thomas:* « Cum ergo per Apostolicam Sedem religiones aliquæ sint institutæ, ...manifeste se damnabilem reddit quicumque talem religionem damnare conatur. » *(Cont. Impugn., c. 4).*

Scisciranti vero an Ecclesiæ judicium prudentiale sit etiam infallibile, *respondet Billuart* [1]: « Aliud est judicium, utrum hic et nunc expediat hunc ordinem admittere? Et de hoc judicio non ita constat esse infallibile; quia non e scientia solum, sed e prudentia pendet: at saltem temeritatis notam non effugeret, qui contra communem Ecclesiæ sensum, erroneum assereret. »

261. — IV. **Infallibilis est Ecclesia in canonizatione Sanctorum** [2]. — Canonizatio a Benedicto XIV definitur [3]: « *Sen-*

[1] *De reg. fid.*, Dis. III, a. 5. — [2] Cf. Ferraris, v. *Papa*, art. II, n. 49. — [3] *De Canoniz.*, l. I, c. 39, n. 5.

tentia definitiva S. Pontificis, qua decernit aliquem Beatum in Sanctorum catalogum esse referendum, et coli debere in toto orbe catholico atque in universa Ecclesia cultu illo, qui cæteris canonizatis præstatur.»

In hac definitiva sententia ferenda Ecclesiam errare non posse, omnes docent theologi, oppositamque sententiam alii vocant hæreticam, alii saltem temerariam et scandalosam.

Prob. I. Ecclesia in materia morum est infallibilis. Porro Sanctorum canonizatio ad mores pertinet. Illud enim Ecclesia in Sanctorum canonizatione præcipue intendit, videlicet ut nobis exemplaria virtutum ad vitam sancte instituendam proponat. Si quem igitur in impœnitentia mortuum canonizare posset, hominem vitiosum nobis imitandum exhibere, et proinde vitiorum exempla tanquam vitæ normam nobis consectanda proponere posset: quod in materia morum maximus foret error.

2. Ecclesia in disciplina generali est infallibilis. Jamvero canonizatio ad disciplinam generalem pertinet, quandoquidem ea præscribitur, ut in toto orbe catholico atque in universa Ecclesia, honor et cultus duliæ alicui exhibeantur.

3. Ecclesiæ sanctitati repugnat, ab ea judicio definitivo et irrevocabili proclamari, Dei inimicum et hostem in cœlis regnare, et coli debere tanquam Dei amicum. Quod tamen fieret, si Ecclesia in Sanctorum canonizatione errare posset.

262. — Scholium de beatificatione. Canonizationem præcedere solet beatificatio, quæ est sententia qua Ecclesia, post accuratum examen virtutum ac miraculorum alicujus defuncti, indulget et permittit ut ei cultus duliæ deferatur. « Ultima differentia inter beatificationem et canonizationem, *inquit Benedictus XIV* [1], minime quidem constituenda erit vel in permissione cultus, vel in ejus coarctatione ad personas aut locos particulares, quæ in beatificatione habeatur, secus ac in canonizatione; sed in extrema et definitiva de sanctitate sententia cultum aliis Sanctis debitum in universali Ecclesia per canonizationem, nequaquam vero per beatificationem præcipiente.»

« Duo communiter asserunt Doctores circa beatificationem, *ait Leytam* [2]. Primum est beatificatum infallibiliter esse in cœlo; neque potest id negari sine temeritate et impietate. Secundum est: id non

[1] *Loc. cit.* n. 14. — [2] *Synopsis de Eccl. mil.*, n. 436.

esse de fide.» — Alii tamen graves Doctores docent esse de fide Ecclesiam in alicujus beatificatione errare non posse [1].

263. — V. Infallibilis est Ecclesia in factis dogmaticis judicandis. — Factum dogmaticum vocatur factum per se humanum, necessario tamen connexum cum jure, seu cum fidei morumve doctrina; v. gr., *an Concilium Vatic. fuerit œcumenicum*, en factum humanum; sed quia ab isto facto pendet quæstio: *an judicia doctrinalia Vaticani sint de fide*, ideirco factum cum jure intime connectitur, qua de causa *dogmaticum* vocatur.

Plura enumerantur facta dogmatica: de uno tantum disputare juvat, de quo, occasione hæresis jansenistarum, celebris viguit controversia: an scilicet Ecclesia de sensu alicujus libri infallibile valeat proferre judicium.

Ad librum aliquem quod spectat, v. gr., ad *Augustinum* a Jansenio conscriptum, triplex quæstio moveri potest: 1. *An Augustinus sit a Jansenio conscriptus.* En factum mere historicum, de quo infallibiliter non judicat Ecclesia, quia sola suppeditantur testimonia humana. — 2. *Utrum quinque propositiones ex Augustino desumptæ et ab Innocentio X. anno 1653 condemnatæ, in se et in sensu suo objectivo considerato, sint orthodoxæ, an hæreticæ.* En quæstio juris seu doctrinæ, in qua dijudicanda Ecclesiam esse infallibilem fide certum est.— 3. *An prædictæ propositiones in sensu suo objectivo, qualis ex verbis et ex contextu eruitur, inveniantur in Augustino: seu an Augustinus contineat istas quinque propositiones.* En factum dogmaticum, quia *Augustinus* est factum humanum, sed cum doctrina intime connexum. — Dicitur: *in sensu suo objectivo*, quia Ecclesia, in judicanda alicujus libri doctrina, nunquam intendit de sensu subjectivo judicare, quem auctor in mente habuit; sed de solo sensu objectivo, quem verba, in se et cum relatione ad contextum considerata, præ se ferunt.

264. — Postquam Innocentius X, bulla *Cum occasione*, 1653, quinque Jansenii propositiones ex libro, cui titulus *Augustinus*, excerptas

[1] Ferraris; voc. *Papa*, art. II, n. 53 et seq.

condemnaverat, Jansenistæ, ut condemnationem effugerent, docuerunt Ecclesiam esse quidem infallibilem in damnanda aliqua propositione in se sumpta, ac proinde eam fuisse infallibilem in condemnandis quinque illis propositionibus in se consideratis; ast negaverunt easdem propositiones, saltem eo sensu quo fuerunt condemnatæ, in libro *Augustini* reperiri: negaverunt insuper Ecclesiæ competere auctoritatem infallibiliter declarandi propositionem aliquam in aliquo libro contineri.

265. — **Prop.** *Ecclesia in factis dogmaticis judicandis est infallibilis.*

Prob. I. **Ex praxi Ecclesiæ.** Ad ipsam Ecclesiam spectat de suæ infallibilitatis extensione judicare; hanc enim ex divina revelatione, in qua scrutanda ab omni errore immunis est, cognoscit. Atqui Ecclesia continua praxi infallibile de objectivo librorum sensu judicium ferendi auctoritatem sibi attribuit: non solas enim hæreticorum doctrinas in se spectatas, sed eorum quoque libros damnavit, fidelibusque, ut huic suæ sententiæ sincero animo acquiescerent, jugiter injunxit. Sic, v. gr. in Concil. Nicæno, Patres non solum hæresim Arii, sed etiam ejus librum, quem *Thaliam* inscripserat, damnarunt; in Ephesino, epistolam Nestorii reprobarunt; in Constantiensi, propositiones ex scriptis Wicleffii et J. Huss exsertas proscripserunt.

II. **Ex Ratione.** 1. Infallibilitatis prærogativa a Christo Ecclesiæ ideo concessa est, ut magistra esset veritatis, et fideles pasceret salutaria eis præbendo pabula, pestiferaque ab eis arcendo. Atqui nisi Ecclesia de sensu alicujus libri infallibile judicium posset proferre, accidere posset ut librum orthodoxum tanquam hæreticum proscriberet: hæreticum vero approbaret tanquam orthodoxum; ac proinde Ecclesia non veritatis sed erroris foret magistra; nec pabula salutaria præberet, sed mortifera. Quod Ecclesiæ missioni aperte repugnat.

2. Ecclesia est custos revelationis. Ut autem divinam doctrinam sancte custodire, et efficaciter defendere valeat, ea, quæ eidem opponuntur, infallibili judicio discernat, necesse est. Atqui infallibili judicio, quænam veritati opponantur, cognoscere nequit, nec proinde suo munere fungi potest, nisi eodem

infallibili judicio de sensu librorum, in quibus de rebus fidei et morum agitur, judicare possit. Ergo Ecclesia de sensu librorum infallibile judicium proferre potest.

ARTICULUS IV.

DE UNITATE ECCLESIÆ.

266. — Definitio. — Unitas est Ecclesiæ proprietas, qua cum Ecclesiarum multiplicitas, tum Ecclesiæ intrinseca divisibilitas, excluduntur. — Vi hujus unitatis unica tantum existit vera Ecclesia, et ea quidem in se una est atque indivisibilis, et « non per varias christiani nominis consociationes dispersa atque diffusa, sed tota in se collecta penitusque cohærens, in sua conspicua unitate indivisum ac indivisibile corpus præfert. » *(Schema Vatic. de Eccl. c. 5; Coll. Lac. p. 569).*

Ad unitatem Ecclesiæ constituendam duo conferunt elementa, videlicet: *materiale*, quod consistit in multiplicitate membrorum vel Ecclesiarum particularium; et *formale*, quod est vinculum quoddam morale, quo multitudo ad unitatem formaliter redigitur.

267. — Doctrina catholica. — Docet fides catholica veram Christi Ecclesiam esse unicam et in se indivisibilem; et ejus diversa membra ad unitatem formaliter redigi per triplex vinculum et ejusdem fidei professionis, et eorumdem Sacramentorum communionis, et subjectionis erga eumdem supremum Pastorem. Cum enim Ecclesia sit societas visibilis, vinculum, quo fideles in unum corpus congregantur, debet, servata debita proportione, idem esse atque illud, quod requiritur ad constituendam cujuslibet societatis unitatem. Porro convenit inter omnes, societatis unitatem inde oriri, quod omnes socii mutua conspiratione in eumdem finem, per eadem media, sub directione unius supremæ potestatis tendant. Ecclesiæ igitur unitas etiam in eo sita est, quod omnes fideles eadem fide atque mutua caritate inter se copulati, ad finem vitæ æternæ per eadem media sub directione ejusdem supremi capitis aspirant.

Unde Ecclesiæ unitatem in tribus esse positam recte asseritur: *a) in unitate* ejusdem fidei, qua omnes quidquid a Deo revelatum et ab Ecclesia propositum est, credunt; *b) in unitate communionis*, qua omnes interna caritate se mutuo diligunt, et externo vinculo eorumdem Sacramentorum et rituum a Christo institutorum inter se connectuntur; *c) in unitate regiminis*, qua omnes eidem Supremo Pastori subjiciuntur.

268. — Errores. [1] — « Profecto unam esse Jesu Christi germanam Ecclesiam, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, ex luculento ac multiplici sacrarum litterarum testimonio, sic constat inter omnes, ut contradicere christianus nemo ausit. Verum in dijudicanda statuendaque natura unitatis, multos varius error de via deflectit. » *(Enc. Satis cogn.)*.

Et re quidem vera, circa naturam unitatis Ecclesiæ errant:

1. *Anglicani*, qui docent unitatem Ecclesiæ universalis conflari e pluribus ecclesiis particularibus, quamvis fide vel communione dissitis. — Secundum antiquiores Anglicanos, Ecclesia universalis constat ex Romana, Græca, Armenica, Ægyptiana, Moscovita, Anglicana pluribusque aliis; — qui vero Doctoris Pusey doctrinam sequuntur, Ecclesiam universalem componi dicunt ex Romana, Anglicana et Græco-schismatica, apud quas, aiunt, forma hierarchiæ ecclesiasticæ, quæ originalis vel Apostolica sit, perseverat.

2. *Novatores sæc. XVI*, utpote qui unitatem communionis atque regiminis nihil ad unitatem Ecclesiæ conferre dicant, ex sola fidei unitate unitatem Ecclesiæ repetunt; unde veram Ecclesiam docent esse diffusam per omnes christiani nominis sectas, in quibus vera fides invenitur, licet sint ab invicem independentes, immo et ad invicem inimicæ.

Verum in iis assignandis, quæ ad prædictam fidei unitatem sint necessaria, inter se dissident. Alii, præsertim antiquiores, docent ad unitatem fidei, ac proinde ad titulum membri veræ Christi Ecclesiæ, requiri et sufficere ut ea credantur, quæ in Scripturis continentur. — Alii cum Calvinista Jurieu [2] fidei veritates in articulos fundamentales et non fundamentales distinguunt. Fundamentales Jurieu illos vocat « qui explicite credendi sunt ab omnibus si salvi esse velint; » non fundamentales vero eos « qui sine salutis dispendio rejici possunt etiamsi per ministerium apostolicum uti credendi proponantur. » Unde docent eos, qui articulos fundamentales admittant, licet non fundamentales rejiciant, fidei unitatem conservare et in sinu veræ Christi Ecclesiæ versari.

[1] Cf. *Theol. Vatic.*, Coll. Lac. p. 587. — [2] Cf. S. Alph. *Cont. hær.* c. XII, 2. (T. 7, p. 355); *Ver. fid.* P. III, c. V, n. 7.

Probandum est igitur Ecclesiam ex Christi institutione esse unicam, atque unam, id est, in se indivisam, non vero per varias christiani nominis consociationes dispersam; ejusque unitatem cum ex unitate fidei, tum ex unitate communionis, tum ex unitate regiminis essentialiter exsurgere.

269. — Prop. I. *Ecclesia ex Christi institutione est essentialiter unica, atque una et in se indivisa.*

De fide, ex Symb. Constantinopolitano, et ex constanti Ecclesiæ praxi et doctrina.

Prob. I Pars: *Ecclesia est unica.*

I. **Ex verbis Christi.** Legimus (Joan. X, 16 : *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere; et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Atvero his in verbis Christus manifeste de Ecclesia loquitur, simulque testatur ovile suum esse unum, et pastorem esse unum. Unica igitur est Christi Ecclesia.

(Matth. XVI, 18): *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* « Sane Jesus Christus, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII*, de ædificio ejusmodi mystico cum loqueretur, Ecclesiam non commemorat nisi unam, quam appellat *suam: ædificabo Ecclesiam meam.* Quæcumque, præter hanc, cogitetur alia, cum non sit per Jesum Christum condita, Ecclesia Christi vera esse non potest. » *(Enc. Satis cogn.).*

II. **Ex Traditione.** S. Patres in unicitate Ecclesiæ celebranda unanimes sunt. « Deus unus est, *inquit S. Cyprianus*, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una. Scindi unitas non potest. » *(De unit. Eccl.).*

III. **Ex Ratione.** 1. *Ex fine Ecclesiæ.* « Quid enim, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, in condita condendave Ecclesia petiit, quid voluit Christus Dominus? Hoc scilicet: munus idem, idemque mandatum in eam continuandum transmittere, quod ipse acceperat a Patre... Jamvero Christi muneris est vindicare ab interitu ad salutem *quod perierat*, hoc est non aliquot gentes aut civitates, sed omnino hominum, nullo locorum temporumve discrimine, universum genus... Itaque partam per Jesum Christum salutem, simulque beneficia omnia quæ

inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare ætates debet Ecclesia. Quocirca ex voluntate auctoris sui unicam in omnibus terris, in perpetuitate temporum, esse necesse est. Plane plus una ut esse posset, excedere terris et genus hominum fingere novum atque inauditum oporteret. » *(Enc. Satis cogn.).*

2. *Ex Ratione corporis mystici.* « Illud accedit, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII*, quod Ecclesiam Filius Dei mysticum corpus suum decrevit fore, quocum ipse velut caput conjungeretur, ad similitudinem corporis humani quod suscepit: cui quidem naturali conglutinatione inhæret naturale caput. Sicut igitur mortale corpus sibi sumpsit unicum... sic pariter unum habet corpus mysticum, in quo et cujus ipsius operâ facit sanctitatis salutisque æternæ homines compotes. » *(loc. cit.).*

Prob. II Pars: *Ecclesia est una, id est, in se indivisibilis.*

Prob. I. **Ex verbis Christi.** « Atvero, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, qui unicam condidit, is idem condidit unam: videlicet ejusmodi, ut quotquot in ipsa futuri essent, arctissimis vinculis sociati tenerentur, ita prorsus ut unam gentem, unum regnum, corpus unum efficerent: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* (Eph. IV, 4). Voluntatem hac de re suam Jesus Christus sanxit, propinqua jam morte, augusteque consecravit, ita Patrem adprecatus: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me... ut et ipsi in nobis unum sint... ut sint consummati in unum.* (Joan. XVII, 20-23). Imo tam intime nexam jussit esse in sectatoribus suis unitatem tamque perfectam, ut conjunctionem cum Patre suam ratione aliqua imitaretur: *Rogo... ut omnes unum sint, sicut tu, Pater in me, et ego in te.* (Joan. XVII, 21). » *(loc. cit.)* — Porro, hæc intima unitas, quam Christus pro Ecclesia expostulat, ejus divisionem in diversas consociationes omnino excludit.

II. **Ex verbis Apostoli.** Scripsit Apostolus (I Cor. XII, 12): *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus.* — (Rom. XII, 4, 5): *Sicut in uno corpore multa membra habemus... ita multi unum corpus*

sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. — Ex quibus manifestum est Ecclesiam, corpus Christi, esse, ad instar corporis humani, non solum unam, sed indivisibilem omnino, neque posse in diversa corpora ab invicem separata dispesci, quin funditus pereat.

III. **Ex Ratione.** Cum ex institutione Christi Ecclesia sit una, et unitate fidei, et unitate communionis, et unitate regiminis (sicut infra probabitur, n. 270), fieri nequit ut religiosæ consociationes, quæ triplici illo vinculo inter se non consociantur, veram Christi Ecclesiam constituant. Atqui diversæ Ecclesiæ, ex quibus Anglicani et protestantes universalem Ecclesiam conflari dicunt, inter se triplici illo vinculo non consociantur. Non potest igitur universalis et vera Christi Ecclesia ex particularibus illis Ecclesiis constare.

270. — Prop. II. *Ex Christi institutione Ecclesia necessario est una unitate fidei, unitate communionis, et unitate regiminis.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis, et constanti Ecclesiæ doctrina et praxi.

Prob. in genere ex verbis *SS. D. N. Leonis PP. XIII (Enc. Satis cogn.):* « Sicut ad unitatem Ecclesiæ, quatenus est *cœtus fidelium,* necessario unitas fidei requiritur, ita ad ipsius unitatem, quatenus est divinitus constituta societas, requiritur jure divino *unitas regiminis,* quæ *unitatem communionis* efficit et complectitur. »

Prob. in specie: I Pars: *Ecclesia est una unitate fidei.*

NB. Cum agatur de unitate fidei Ecclesiæ, quatenus hæc est visibilis et externa societas, per fidem intelligitur cum fides interna tum externa ejus manifestatio; utraque est enim necessaria, secundum illud Apostoli (Rom. X, 10): *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Prob. I. **Ex verbis Christi.** Mittens Apostolos in mundum, dixit eis Christus (Marc. XVI, 15): *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit... salvus erit.* — (Matth. XXVIII, 20): *Euntes, docete omnes gentes,... docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.*

Expressa igitur Christi voluntate, unum et idem Evangelium est et omnibus prædicandum et ab omnibus admittendum; — neque vero dixit Christus: *qui crediderit aliquas veritates, qui crediderit articulos fundamentales,* sed absolute: *qui crediderit.* Necesse est igitur ut in eadem fide omnes fideles conveniant, atque omnia, quæ eis Christus per Ecclesiam proponit, credant.

Præterea, Christus jussit ut sibi docenti fides adjungeretur. « Quæcumque præcipit, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* eâdem omnia auctoritate præcipit: in exigendo mentis assensu nihil excipit, nihil secernit. Eorum igitur qui Jesum audissent, si adipisci salutem vellent, officium fuit non modo doctrinam ejus accipere universe, sed tota mente assentiri singulis rebus, quas ipse tradidisset. » *Atqui* « Doctrinam Apostolorum religiose accipi sancteque servari perinde imperat ac suam: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* (Luc. X, 16)... Ergo Apostolorum vel unum repudiare doctrinæ præceptum plane non plus licuit, quam de ipsius Christi doctrina rejecisse quicquam. » *(loc. cit.).* Necesse est igitur omnes fideles in eadem fide convenire.

II. **Ex Verbis Apostoli.** « Istam tutandæ unitati, de qua dicimus, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* institutam divinitus rationem urget B. Paulus in Epistola ad Ephesios; ubi primum monet, animorum concordiam magno studio conservanvandam: *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* (IV, 3 et seq.); cumque concordes animi caritate esse omni ex parte non possint, nisi mentes de fide consentiant, unam apud omnes vult esse fidem: *Unus Dominus, una fides:* ac tam perfecte quidem unam, ut errandi discrimen omne prohibeat: *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Idque non ad tempus servari docet oportere, sed *donec occurramus omnes in unitatem fidei,... in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* » *(loc. cit.).*

III. **Ex Traditione.** S. Patres unanimiter docent, fidei unitatem in Ecclesia esse necessariam, atque eos, qui vel minimo fidei articulo contradixerint, extra Ecclesiam atque extra sa-

lutis viam vagari. « Vera et universa Ecclesia, *inquit S. Irenæus,* unam et eamdem toto terrarum orbe fidem tenet. » *(Adv. hær. l. I, c. 10). — S. Clemens Alex.:* « Ecclesia, quæ antiqua est et catholica, una est propter unitatem fidei. » *(Strom. L. VI).*

IV. **Ex praxi Ecclesiæ.** « Ecclesia, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,*... nihil egit studio et contentione majore, quam ut integritatem fidei omni ex parte tueretur. Hinc perduellium habere loco et procul amandare a se, qui de quolibet doctrinæ suæ capite non secum una sentirent. Ariani, Montanistæ, Novatiani, Quartadecumani, Eutychiani certe doctrinam catholicam non penitus omnem, sed partem aliquam deseruerant: hæreticos tamen declaratos, ejectosque ex Ecclesiæ sinu quis ignorat fuisse? Similique judicio damnati, quotquot pravorum dogmatum auctores variis temporibus postea consecuti sunt. » *(loc. cit.).*

V. **Ex natura fidei.** « Ea est natura fidei, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* ut nihil tam repugnet quam ista credere, illa rejicere. » Et re quidem vera, objectum formale fidei idem est pro omnibus et singulis veritatibus revelatis, auctoritas scilicet Dei loquentis. Ac proinde « is, qui veritatibus divinitus acceptis vel in uno capite dissentiat, verissime fidem exuit funditus, quippe qui Deum, quatenus summa veritas est et *proprium motivum fidei,* recusat vereri. » *(loc. cit.).* Non potest igitur fieri ut in Ecclesia sit diversitas in fide. Ex quo constat, distinctionem in articulos fundamentales et non fundamentales, quam protestantes excogitaverunt, insulsam esse et impiam, fideique prorsus subversivam.

Prob. II Pars: *Ecclesia est una unitate communionis.* Unitas communionis sita est et in mutua caritate, qua omnes fideles ad invicem in unum compaginantur; et in participatione eorumdem Sacramentorum, ejusdemque cultus celebratione: quæ omnia in Ecclesia adsint, necesse est.

1. *Adesse debet mutua caritas.* Mandat Christus discipulis suis, ut se invicem diligant (Joan. XV, 17): *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem;* et hanc dilectionem tanquam signum distinctivum discipulorum suorum indicat (Joan. XIII,

35): *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* — Et S. Joannes, Epist. I, totus est in hac mutua caritate commendanda.

B. Paulus Ephesios adhortatur (IV, 2, 3): *cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Et (I Cor. XII), Ecclesiam corpori humano comparat, talemque inter membra corporis Christi mystici requirit unionem et communionem, quales existunt in corpore humano, in quo inter omnia membra tanta viget harmonia et communicatio, ut si quid patiatur unum membrum, compatiantur omnia membra: si glorietur unum membrum, congaudeant omnia membra, et pro invicem sollicita sint membra, ne sit schisma in corpore.

« Quamobrem, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII*, dispersa a membris ceteris si qua membra vagantur, cum eodem atque unico capite conglutinata esse nequeunt: *Unus Deus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus et fides una et plebs una in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari.* (S. Cypr. *De cath. Eccl. Unit.* n. 23). » *(Enc. Satis cogn.).*

2. *Adesse debet unitas in cultu et in sacramentorum participatione.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Prædixit Malachias (I, 11), in religione a Messia fundanda, unicum fore ubique terrarum sacrificium: *Magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Quapropter et Christus, peracta ultima cena, unicum Nov. Legis sacrificium instituit (Luc. XXII, 19): *Hoc facite in meam commemorationem.*

Baptismum et Eucharistiam, quæ sunt Sacramentorum præcipua, enumerat Apostolus tanquam vincula unionis inter Christianos. Ad Corinthios scribens ait (I Cor. XII, 13): *Omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles.* Sed baptismum unum est: (Eph. IV, 5): *Una fides, unum baptisma.* — De Eucharistia vero scribit (I Cor. X, 16, 17): *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio san-*

guinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi simus, omnes qui de uno pane participamus.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Cyprianus:* « Aliud altare constitui aut sacerdotium novum fieri præter unum altare et unum sacerdotium non potest. » *(Epist. 40).* — Et *S. Hieronymus:* « Unum... est altare in ecclesia, et unam fidem et unum baptisma Apostolus docet, quod hæretici deserentes, multa sibi altaria fabricati sunt. » *(In Osee, c. VIII).*

Prob. III Pars: *Ecclesia est una unitate regiminis.* — Regiminis unitatem essentialiter requiri in Ecclesia, ex iis, quæ de primatus institutione dicta sunt (n. 184), abunde manifestum est, et ulteriori probatione non indiget.

Unum tamen cum Vaticano *(Const. Pastor æt.)* notare juverit, unitatem scilicet regiminis esse in Ecclesia fontem et munimen unitatis fidei et communionis. « Ut Episcopatus ipse, *ait Vatic.*, unus et indivisus esset, et per cohærentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum cæteris Apostolis præponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem æternum exstrueretur templum, et Ecclesiæ cœlo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret. »

ARTICULUS V.

DE SANCTITATE ECCLESIÆ.

271. — Definitio. — Sanctitas est proprietas, qua Ecclesia ab omni labe immunis et Deo perfecte semper conjuncta, sua membra cum Deo conjungere indesinenter satagit, ita ut semper in sinu suo possideat fideles, qui maxima perfectione spirituali donentur, suamque sanctitatem externis signis manifestent.

Sanctitas est perfecta puritas a peccato (Polm.), sanctum enim dicitur quod est coram Deo mundum et purum, et ab omni spirituali immunditia liberum. — Sanctum etiam dicitur

quod est Deo dicatum et consecratum; qua ratione, v. gr., calix sanctus dicitur.

Ecclesiam esse aliquo modo sanctam, nullus hæreticorum negat: Scripturæ enim testimonia, quibus sanctitas ei adscribitur, nimis cogentia sunt quam ut sanctitas ei possit denegari: vocatur quippe Ecclesia *regnum cælorum, corpus Christi, sponsa Christi, templum sanctum, habitaculum Dei*, etc.; quæ cuncta sanctitatem quamdam innuunt. Præterea, testatus est Apostolus (Eph. V): *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; ut exhiberet ipsi sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta et immaculata.*

272. — Diversæ rationes sanctitatis. — Ecclesia diversis rationibus sancta dicitur: 1. ratione ordinationis, quia est tota Deo dicata et consecrata, cultuique divino addicta; 2. ratione originis, quia Deum habet auctorem; 3. ratione capitis, Christi scilicet, qui vitam et sensum spiritualem in eam jugiter influit; 4. ratione finis, qui est Redemptionis continuatio ad salutem animarum; 5. ratione doctrinæ, quæ tota est sancta et salutifera; 6. ratione mediorum, quia sola « legitimum sacrificii cultum et salutarem habet sacramentorum usum, per quæ tanquam efficacia divinæ gratiæ instrumenta Deus veram sanctitatem efficit[1]. »

273. — Sanctitas socialis. — Hisce vero sanctitatis rationibus omissis, sanctitatem Ecclesiæ, prout est externa et visibilis societas, considerare satis habebimus. Cum sanctitas in gratia sanctificante et virtutum exercitio sit posita, ea societas dicitur et est essentialiter sancta: 1. in qua continua cura viget atque sollicitudo, ut per apta sanctificationis media gratiam sanctificantem hominibus procuret et eam in eis augeat, atque sua membra ad virtutis exercitium jugiter promoveat. Hæc sanctitas vocatur *sanctitas activa*, et dici potest *sanctificatio*. — 2. In qua semper aliqua inveniuntur membra, quæ reali sanctitate polleant; hæc sanctitas vocatur *sanctitas passiva*. — Dicitur *aliqua membra*, non enim necesse est ut omnia societatis membra sint sancta; namque,

[1] *Catech. Rom.* P. I, c. X, q. 9.

cum sanctitas passiva liberam hominis cooperationem requirat, fieri potest et reapse fit ut multi sanctificativæ virtuti societatis nolint cooperari: quorum perversitas, utpote quæ sit contra intentionem societatis, hujus sanctitatem non tollit. — 3. In qua demum externæ adsunt manifestationes sanctitatis internæ per miracula, prophetias, aliaque Spiritus Sancti charismata.

Hujuscemodi socialis sanctitas Christi Ecclesiæ est adscribenda.

274. — **Prop.** *Vera Christi Ecclesia est sancta, sanctitate tam activa quam passiva, etiam heroica, atque externis signis manifestata.*

De fide, ex symb. Constant., quantum ad sanctitatem in genere; — ex apertis Scripturæ testimoniis, quantum ad sanctitatem socialem in specie.

Prob. I Pars: *Adest in Ecclesia sanctitas activa.*

I. **Ex Script. S.** Legimus (Eph. IV, 11-13): *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas... alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes... in virum perfectum.* Ex quibus manifestum est, Christum voluisse ut adesset in Ecclesia jugis sollicitudo necnon et continua actio ad ædificandum corpus ejus, *ut occurramus omnes in virum perfectum:* quod fit per veræ sanctitatis acquisitionem in membris. — Qua de causa exclamat idem Apostolus (I Cor. IX, 16): *Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit; væ mihi si non evangelizavero.... dispensatio mihi credita est.*

II. **Ex fine Ecclesiæ.** Finis Ecclesiæ est Redemptionis continuatio ad salutem hominum. Sed Ecclesia, cum sit indefectibilis, divinæ suæ missioni deesse nunquam potest. Est igitur in Ecclesia continua cura atque sollicitudo de sanctificandis hominibus.

Prob. II Pars: *Adest in Ecclesia sanctitas passiva.*

I. **Ex desiderio Christi.** Christus sanctificationem membrorum Ecclesiæ ardentissime desideravit; eamque ut obti-

neret, ad Patrem oravit sanguinemque suum fudit, sicut ex Scripturis manifeste constat. (Cf. *Luc. XII, 49. — Joan. X, 10; XVII, 19, 20. — Tit. II, 14. — Eph. V, 25).* Atqui nefas est dicere, ardens Christi desiderium, ferventem ejus orationem, atque ejus sanguinis effusionem etiam ad minimum tempus effectu suo carere posse. Necesse igitur est ut semper adsint in Ecclesia nonnulla membra, quæ sanctitate fulgeant.

II. **Ex nominibus Ecclesiæ.** Ecclesia in Scripturis dicitur objectum divinæ complacentiæ, domus Dei, templum Dei, inhabitaculum Spiritus Sancti, Sponsa Christi, corpus Christi. Jamvero Deus non dicitur inhabitare nisi per gratiam sanctificantem, sponsa diligitur et redamat amore amicitiæ, corpus vivit vitam ipsius capitis: ex his omnibus liquet, aliquos in Ecclesia semper inveniri, qui gratia sanctificante ornentur, Deum amore amicitiæ super omnia diligant, et vitam Christi perfecte vivant.

III. **Ex parabolis.** Ex diversis parabolis, quibus Christus Ecclesiam figurat, constat sanctos in ea semper inveniri. Etenim: si in agro patrisfamilias crescit zizania, crescit et frumentum; si in area invenitur palea, invenitur et triticum; si in sagena capiuntur mali pisces, capiuntur et boni; si ad cœnam intrat homo non vestitus veste nuptiali, intrant et alii hac veste induti.

Prob. III Pars: *Adsunt in Ecclesia internæ sanctitatis externæ manifestationes.*

Legimus (Joan. XIV, 12): *Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* (Marc. XVI, 17, 18): *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicent; linguis loquentur novis etc.* Et (I Cor. XII): *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ;.... alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum,* etc.

Concedunt equidem protestantes ista charismata Ecclesiæ data fuisse, sed in prima tantum tempora, quibus fundanda erat Ecclesia; ast negant ea perdurare debuisse. —

Contra vero, Christus ea charismata Ecclesiæ promisit absolute, non autem ad tempus determinatum; ergo tamdiu durabunt, quamdiu existet Ecclesia.

Præterea, ea charismata concessa sunt Ecclesiæ ad ejus utilitatem, et ut infideles ad fidem adducat *(I Cor. XIV, 22)*, quorum plenitudo sub finem tantum mundi intrabit in Ecclesiam, ut testatur Apostolus (Rom. XI, 25). Semper igitur in Ecclesia permanebunt et gratia sanitatum, et operatio virtutum, et donum prophetiæ, et cætera Spiritus S. charismata.

ARTICULUS VI.

DE CATHOLICITATE ECCLESIÆ.

275. — Definitio. — Catholicitas idem sonat ac *universalitas*, et definiri potest: « *Lata per orbem Ecclesiæ extensio, cum magna et conspicua membrorum multitudine* [1]. » Duo in conceptu catholicitatis includuntur, puta: magnus fidelium numerus, et eorumdem lata per orbem diffusio.

276. — Divisio. — Multiplex concipitur Ecclesiæ catholicitas.

1. Catholicitas materialis et formalis. — *Materialis* est « mera hominum diffusio per omnia loca et apud omnes gentes, quin attendatur utrum sint unius aut plurium societatum, quæ non aliter efficiant quid unum, nisi quod communi Ecclesiæ christianæ nomine appellantur [2]. » — Catholicitas *formalis* est diffusio Ecclesiæ quatenus constituit societatem unam triplici unitate fidei, communionis et regiminis, de qua supra locuti sumus (n. 266). Catholicitas formalis sola vere et proprie dici potest catholicitas; de qua sola in præsenti loquimur.

2. Catholicitas formalis est juris vel facti. *Catholicitas facti* est: Lata per orbem Ecclesiæ diffusio *actualis*, cum magna et conspicua membrorum multitudine. — *Catholicitas juris* consistit in Ecclesiæ aptitudine, efficacia et missione sese propagandi per mundum universum: Ecclesia enim non pro

[1] Murray, *De Eccl.*, Disp. IX, n. 4. — [2] Mazz. n. 693.

uno populo sicut synagoga, sed pro omnibus gentibus et pro universo mundo, instituta est.

3. *Catholicitas facti* est vel simultanea vel successiva, et utraque est vel physica vel moralis. — *Catholicitas simultanea* est actualis Ecclesiæ diffusio per omnes gentes *eodem tempore*; — *successiva* est Ecclesiæ diffusio per omnes gentes diversis *temporibus*, ita scilicet ut Ecclesia recedens ab una regione aliam occupet. — Catholicitas esset *physica*, si Ecclesia in sinu suo omnes omnino homines complecteretur; *moralis*, est Ecclesiæ diffusio per præcipuas mundi regiones, in quibus magnum membrorum numerum obtinet, ita ut habeat « in mundo splendorem quemdam universalem, quo possit ejus dignitas et majestas cognosci, et ab hæreticorum turbis discriminari. » *(Suarez)* [1].

4. Catholicitas est vel absoluta vel relativa. *Absoluta* dicitur, quando Ecclesiæ lata diffusio in se consideratur, nulla comparatione facta cum aliis sectis. — *Relativa* dicitur, quando Ecclesiæ diffusio cum aliis sectis christianis comparata, eas longe superat.

277. — Doctrina de catholicitate. — 1. Vera Christi Ecclesia est catholica catholicitate formali, non autem sola catholicitate materiali, sicut docent protestantes.

2. Necesse non est ut Christi Ecclesia sit catholica catholicitate physica: quippe quæ nullibi ei promittitur.

3. Ecclesia Christi catholicitatem moralem, saltem successivam, habere debet, ita ut nulla sit gens, cui ante finem mundi evangelium non prædicetur, secundum illud Christi Domini (Matth., XXIV, 14): *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio.*

4. Christi Ecclesia habere debet catholicitatem absolutam, maximam scilicet membrorum multitudinem, et latam diffusionem per mundi regna; sed non requiritur ut nulla unquam regio a fide deficiat: *Nam oportet et hæreses esse*, ait Apostolus (I Cor. XI, 19).

[1] *Def. fid.* L. I, c. 16, n. 10.

5. Si sermo est de omnibus sectis hæreticis vel schismaticis collective consideratis, tunc affirmandum est catholicitatem relativam non esse Christi Ecclesiæ absolute necessariam; quoniam hæ sectæ non unicam, sed multas constituunt ecclesias, neque veram habent catholicitatem. — Verum si sermo est de qualibet secta christiana separatim considerata, tunc affirmandum est catholicitatem Christi Ecclesiæ esse absolute necessariam. Ratio est, quia ejusmodi debet esse catholicitas veræ Ecclesiæ, ut hæc per eam tanquam vera Christi Ecclesia innotescat; quod fieri non posset si altera ecclesia eam vel numero membrorum, vel per regna mundi extensione superaret.

6. Utrum autem Christi Ecclesia debeat esse catholica catholicitate morali simultanea, an sufficiat ut sit catholica catholicitate successiva, disputatur. Docet *Bellarminus*[1] cum aliis paucis, sufficere ut Ecclesia sit catholica catholicitate successiva; *communior* tamen theologorum sententia docet necessarium esse, ut Christi Ecclesia catholicitatem moralem simultaneam habeat, ita ut eodem tempore ubique terrarum diffundatur atque diffusa perenniter maneat, usquedum adveniente Antichristo, ad tempus, sicut prædictum est a prophetis, coarctabitur.

278. — **Prop.** *Vera Christi Ecclesia est catholica, catholicitate morali simultanea.*

Prima pars est *de fide* ex Symbolo Apost.: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam;* secunda pars est *communis.*

Prob. I Pars: *Ecclesia est catholica.*

1. **Ex Scriptura Sacra.** Legimus (Genes. XXII, 18): *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Hæc verba, quæ S. Paulus *(Gal. III)*, de populo christiano interpretatur, Ecclesiæ catholicitatem *facti* manifeste prænuntiant. — (Ps. II, 8): *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* — (Ps. LXXI): *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis*

[1] *De Eccl. mil.*, L. IV, c. 7.

terrarum... et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei... et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum. — Quæ testimonia de Christo et Ecclesia intelligenda esse probat S. Augustinus *(De Unit. Eccl. c. 9).* — Apud Danielem, II. Ecclesia comparatur lapidi, qui *factus est mons magnus, et implevit universam terram.* — (Malach. I, 11 : *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* » — (Cf. etiam Isai., II). — De quibus testimoniis ait S. Augustinus: « Quid in prophetis? quam multa et quam manifesta sunt testimonia Ecclesiæ per omnes gentes toto terrarum orbe diffusæ? » *(De unit. Eccl. c. 7).*

II. **Ex Novo Test.** Legimus (Marc. XVI, 15, 20): *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ... Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante...* — (Act. I, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* (Cf. etiam Act., XIII, 46, 47).

Prob. II Pars: *Catholicitas Ecclesiæ est simultanea.*

I. **Ex Scrip. S.**, ex textibus scilicet supra allatis. — In *Ps. II* dicitur terminos terræ esse Christi possessionem. Sed qui terram non simultanee, sed diversas ejus partes successive tantum possidet, ille totam terram possidere dici nequit. Cum igitur Christus totam terram per Ecclesiam possideat, Ecclesia simultanee ubique existat, necesse est. - - *Ps. LXXI*, Christus a mari usque ad mare dominari dicitur; sed qui non simultanee, sed successive tantum in diversas terræ regiones dominatur, ille a mari usque ad mare dominari dici nequit.

Apud Danielem, II, Ecclesia exhibetur ut mons qui totam terram implet. Porro mons ille nequiret dici implere totam terram, qui successive ab una regione in alteram transferretur, non autem simultanee omnes regiones occuparet. — Apud Malachiam, I, prædicitur, fore ut ab ortu solis usque ad occasum magnificetur nomen Domini, et in omni loco offeratur sacrificium. Ast si Ecclesia successive tantum, non autem simultanee, totum orbem occuparet, nec ab ortu solis usque ad

occasum in ea nomen Domini magnificaretur, nec in omni loco sacrificium mundum offerretur.

II. **Ex Traditione.** A primis Christianismi temporibus, Christi Ecclesia appellata est catholica, ut ex Symbolo Apostolorum manifestum est. Atqui hæc appellatio *catholica*, velut omnibus christianis persuasum est, diffusionem actualem simultaneam designat. « Catholica vocatur, *ait S. Cyrill. Hier.*, eo quod per totum orbem ab extremis terræ finibus ad extremos usque fines diffusa est. » *(Catech., XVIII, n. 23).* — Et *S. Hieronymus:* « Si Ecclesiam per totum orbem diffusam non habet Christus... nimium pauper factus est. » *(Cont. Lucif. n. 15).*

III. **Ex Ratione.** Ecclesia, ex positiva Christi voluntate, est societas necessaria, quam omnes ingredi tenentur. Atqui hæc necessitas expostulat, ut Ecclesia ab omnibus hominibus ubique terrarum cognosci valeat; secus enim Christus præceptum impossibile imposuisset. Debet ergo Ecclesia simultanee esse ubique diffusa.

ARTICULUS VII.

DE ECCLESIÆ APOSTOLICITATE.

279. — Definitio. — Apostolicitas definitur: *Identitas Ecclesiæ hic et nunc existentis cum Ecclesia ab Apostolis fundata.*

280. — Existentia. — Christi Ecclesiæ apostolicitas ex Scripturis adeo manifeste colligitur, ut eam nec protestantes negare valeant. Legimus enim (Eph. II, 19, 20): *Estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* — Et (Apoc. XXI): *Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem agni... Et ostendit mihi civitatem sanctam, Jerusalem, descendentem de cœlo a Deo... Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni.*

In hac veritate probanda non est immorandum; verum, in quo præcipue posita sit Ecclesiæ apostolicitas, inquirendum est.

281. — Natura Apostolicitatis. — Ecclesiæ apostolicitas in tribus posita est: 1. *In apostolicitate originis,* qua Ecclesia nunc existens, etiam materialiter cum Apostolis suis fundatoribus connectitur; — 2. *in apostolicitate fidei,* qua Ecclesia nunc existens eamdem profitetur fidem, quam prædicaverant Apostoli; — 3. *in apostolicitate successionis et missionis,* qua fit ut Ecclesia nunc existens a legitimis Apostolorum successoribus gubernetur.

Ex his tribus Apostolicitas successionis præcipuas obtinet partes, atque in ea alia duo includuntur. Et re quidem vera, eo ipso quod constat in aliqua Ecclesia non interruptam et legitimam pastorum successionem ascendentem usque ad Apostolos inveniri, jam apodictice demonstratur eam Ecclesiam ab Apostolis originem ducere; et cum pastores permanens illud atque infallibile magisterium, cui Christus suam doctrinam tradidit custodiendam, constituant, eo ipso quod ininterruptam et legitimam pastorum successionem in aliqua Ecclesia existere ostenditur, identitas doctrinæ istius Ecclesiæ cum doctrina, quam tradiderunt Apostoli, jam in aprico ponitur. Quamobrem ad apostolicitatem alicujus Ecclesiæ dignoscendam, in primis investigandum est, an in ea vigeat legitima pastorum successio absque interruptione usque ad Apostolos continuata. Qua de causa de apostolicitate successionis principaliter agendum est.

282. — Definitio apostolicæ successionis et missionis. — Apostolica successio definiri potest: *publica, legitima, solemnis et nunquam interrupta personarum in locum Apostolorum ad regendam et pascendam Ecclesiam suffectio.* (Cercia I, p. 223).

Successio potest esse materialis vel formalis. *Materialis* in eo consistit, quod nunquam defuerunt personæ, quæ jugiter Apostolis fuerint substitutæ; *formalis* in eo consistit, quod hæ personæ substitutæ vere potiuntur auctoritate ab Apostolis derivata, et ab eo accepta, qui eam communicare potest. — Quibus ultimis verbis: *ab eo accepta qui eam communicare potest,* indicatur ad formalem successionem requiri etiam missionem, quæ definiri potest: *legitima assumptio et deputatio*

ad obeunda apostolica munia, quatenus quis legitime in Apostolorum locum successerit. (Cercia I, p. 223).

Ut aliquis Apostolorum successor et pastor Ecclesiæ constituatur, non sufficit potestas ordinis, quæ vi ordinationis semper valide confertur; sed requiritur etiam potestas jurisdictionis, quæ confertur non vi ordinis, sed vi missionis ab eo acceptæ, cui Christus supremam potestatem in universalem Ecclesiam contulit.

283. — Discrimen inter apostolicam successionem primatus et episcopatus. — Cum Petri successor nullum in Ecclesia superiorem habeat, a quo missionem et apostolicitatem accipere possit, alia est ratio apostolicæ successionis in primatu Petri, alia in pastoribus inferioribus.

Ut in primatu successio adsit apostolica, omnino requiritur ut Supremi Pastores legitime electi serie non interrupta a B. Petro ad nostra usque tempora sibi successerint.

Ut autem in inferioribus pastoribus, Episcopis scilicet, adsit apostolica successio, non requiritur ut unusquisque eorum alicui ex Apostolis ininterrupta pastorum serie successerit: sed satis est absque ininterruptione in Ecclesia exstitisse pastores, qui valida ordinatione et legitima missione in locum Apostolorum suffecti, apostolicum collegium continuarint, et sub supremo Pastore muneribus apostolicis functi sint.

284. — Primatus, fons et centrum apostolicitatis. — Cum in centro unitatis tota resideat apostolicæ auctoritatis plenitudo, ab eo omnes, qui eidem adhærent, apostolicitatem participant, ita ut, si quis cœtus non apostolicus centro unitatis aggregetur, ab ipso et per ipsum statim mutuetur apostolicitatem, sicut ramus alienus trunco insertus, per ipsum cum radice communicat: cœtus vero, qui a centro unitatis se separat, cum versetur extra Ecclesiam, apostolicitatem amittit, sicut ramus a trunco abscissus, cum radice non amplius communicat. Itaque ad apostolicitatem alicujus particularis ecclesiæ dijudicandam, indagare sat fuerit an cum centro unitatis communicet.

285. Error protestantium. — Protestantes apostolicitatem doctrinæ verbis retinent, re tollunt. Eam in hoc esse positam dicunt,

quod sua doctrina, quam ex solis Scripturis hauriunt, eadem sit ac doctrina Apostolorum: vel quod sui articuli fundamentales iidem sint ac in doctrina Apostolorum. — Apostolicitatem missionis e medio prorsus tollunt, cum missionem a populo derivari censeant. Ut autem defectum apostolicæ missionis tegant, suisque Patribus Luthero et Calvino aliisque potestatem adscribant, duplicem fingunt missionem. *unam ordinariam*, qua potestas per legitimam successionem et missionem transferatur, qualiter, ut aiunt, olim in Ecclesia Romana transmissa sit; *alteram extraordinariam*, qua Deus immediate viris quibusdam piis et zelo flagrantibus potestatem eo fine communicet, ut Ecclesiæ necessitatibus provideant, quando ordinarii pastores in vitiis torpentes a munere suo deflexerint. Istiusmodi extraordinaria missione patres suos a Deo missos fuisse contendunt protestantes.

286. — Prop. *Ecclesia Christi in Apostolis fundata, apostolica semper perseverare debet tum ratione originis, tum ratione doctrinæ, tum præsertim ratione successionis.*

De fide, ex Symb. Constantin.

Prob. I Pars: *Ratione originis.* — Vera Christi Ecclesia ea semper esse debet, quam Christus instituit. Atqui Christus Ecclesiam suam in Apostolis fundavit, et per Apostolos propagavit. Ergo vera Christi Ecclesia ratione originis est et remanebit apostolica.

Unde S. Patres, hæreticos ut confutarent, eos semper ad originem suæ sectæ ostendendam provocarunt. Etenim « ex hoc ipso, *ait S. Hieronymus*, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant quos futuros Apostolus prænuntiavit, » id est, seductores. *(Cont. Lucif. n. 28).* — Et *S. Optatus Milev.* eos sic alloquitur: « Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. » *(Cont. Parmen., de schism. Donat. L. II, n. 3).*

Prob. II Pars: *Ratione doctrinæ.* — Doctrina veræ Christi Ecclesiæ non potest esse alia quam doctrina Christi. Atqui Christus, sive per se immediate, sive per Spiritum Sanctum, Apostolos omnem veritatem docuit, et eis solis munus eam Ecclesiæ tradendi commisit. Ergo vera Christi Ecclesia ratione doctrinæ est et remanebit apostolica.

Unde S. Patres doctrinæ novitatem tanquam certissimum hæreticæ pravitatis signum semper habuerunt, juxta illud

Apostoli (I Tim. VI, 20, 21): *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.*

Prob. III Pars: *Ratione successionis et missionis.* — Vera Christi Ecclesia a sola auctoritate, quam Christus instituit, non autem ab alia, regi potest. Atqui Christus tum omnem potestatem, qua ordinis qua jurisdictionis, solis Apostolis tradidit, quam ad finem usque mundi aliis transmitterent; tum transmissionis modum præscripsit, per manuum scilicet impositionem et debitam subjectionem ad B. Petrum, quem aliis Apostolis præfecit, cuique potestatis plenitudinem elargitus est.

Ut autem hæc divinitus concessa potestas jugiter transmitti possit, absolute requiritur, ut absque ulla interruptione in Ecclesia semper adfuerint pastores, in quos legitima ordinatione et legitima missione hæc apostolica potestas fuerit transfusa: enimvero, si per minimum etiam tempus pastores deficerent, quibus transmissa sit apostolica potestas, hæc in alios, cum nemo det quod non habet, nullatenus jam transmitti posset. Sic, v. gr., si nullus vel per unum diem Episcopus existeret, nullus amplius posset consecrari Episcopus. Illis ergo solis potestas in Ecclesia competit, in quos ab Apostolis per ininterruptam pastorum seriem transfusa est secundum leges sancitas, per manuum scilicet impositionem quoad potestatem ordinis, et per missionem a Supremo Pastore quoad expeditam potestatem jurisdictionis. Necesse est igitur, ut ratione successionis vera Christi Ecclesia sit et remaneat apostolica.

Unde S. Patres perennem pastorum successionem tanquam invictum veritatis argumentum contra hæreticos attulerunt. « Novatianus, *inquit S. Cyprianus*, in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est. » *(Epist. 66, n. 8)* — Et *Tertullianus* loquens de novatoribus ait: « Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et

antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. » *(De præscript., XXXII).*

287. — **Scholium.** Ex dictis perspicuum est quid de missione illa extraordinaria, quam fingunt novatores sæculi XVI, sentiendum sit. Missio extraordinaria, ad ordinariam, hæc si deficiat, supplendam ordinatur. Sed ex Christi institutione successio apostolica, ac proinde missio ordinaria in Ecclesia nunquam deficere potest. Ergo nulla unquam in Ecclesia missio extraordinaria admitti potest.

Posito etiam quod existat missio extraordinaria, hanc signis et miraculis, quibus omnes eam agnoscere valeant, probari omnino necesse est; secus enim nemo istiusmodi ministrum audire teneretur. Ast Novatores nullum unquam miraculum in testimonium suæ missionis afferre potuerunt. Hinc Erasmus scribens de lutheranis, ait [1]: « Nullus illorum adhuc exstitit qui vel equum claudum sanare potuerit. » [2].

CAPUT IV.

DE NOTIS ECCLESIÆ [3].

288. — **Necessitas notarum.** — Ecclesia, quam Christus fundavit, est societas essentialiter visibilis, visibilitate non solum materiali, sed et formali; ut supra probatum est (n. 170 et seq.). Eo ipso enim quod Christus Ecclesiam voluit esse societatem ad salutem omnibus necessariam, eam instruere debuit mediis, quibus et a pseudoecclesiis evidenter dignosci, et ut vera Ecclesia evidenter agnosci posset. Quæ media *notæ* vocantur.

« Ut officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, *inquit Conc. Vatic. (Const. Dei, Filius, c. III)*, Deus per Filium suum Unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. »

289. — **Definitio notarum.** — Nota in genere vocatur signum, quod in cognitionem alterius rei ducere potest, vel,

[1] *Diatribæ de lib. arb.* — [2] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. VI, n. 6. — [3] Cf. Pichler, *Curs. theol. polem.*, c. II, a. 1; Gatti, t. III, p. 444.

quo una res ab altera dignoscitur. Notæ igitur Ecclesiæ definiri possunt: *Characteres externi, permanentes et proprii, per quos facile ab omnibus vera Ecclesia a falsis certo dignosci potest.*

Dicitur: *characteres externi;* agitur enim de agnoscenda Ecclesia, quatenus est externa et visibilis societas, cujus ad cognitionem sola externa media conferre possunt; — *permanentes;* cum enim Ecclesia semper sit necessaria, characteres, quibus possit cognosci, semper possidere debet; — *proprii:* si quid enim pluribus est commune, per illud una res ab alia dignosci nequit; — *per quos vera Ecclesia a falsis dignosci possit;* quapropter necesse est ut characteres seu notæ sint notiores Ecclesia *in concreto;* mens enim nostra a notis procedit ad ignota; notæ tamen cognitionem Ecclesiæ *in abstracto* præsupponunt; ex eo enim solum cognoscere possumus hanc determinatam Ecclesiam esse veram, quia in ea eos deprehendimus characteres, quos in Ecclesia Christi abstractive considerata inesse scimus [1]; — *facile ab omnibus:* cum Ecclesia sit omnibus ad salutem necessaria, ejusmodi debent esse notæ ut per eas omnes homines, etiam tardioris ingenii, ad ejus agnitionem adduci queant.

Ex dictis constat ad notam tria essentialiter requiri: 1. ut sit aliquid Ecclesiæ proprium et permanens, cum ea nexu necessario conjunctum; 2. ut sit aliquid cognitu facilius Ecclesia; 3. ut sit aliquid obvium, et omnium captui accommodatum.

290. — Notarum numerus. — Inter doctores catholicos alii plures, alii pauciores Ecclesiæ notas enumerant: Vincentius Lirin. [2] tres, Bellarminus [3] quindecim, Bozius [4] nonaginta novem affert. Quatuor tamen notæ, ad quas omnes aliæ reducuntur, communiter statuuntur a theologis, nimirum: *unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas*, quas in Symbolo Constantin. expressas invenimus: *Credo... unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam.*

[1] Cf. Maz., n. 830. — [2] *Commonitor.* — [3] *De Eccl. mil.*, l. IV. — [4] *De signis Eccl.*

Quatuor istæ notæ *entitative* idem sunt ac proprietates, de quibus supra egimus (n. 266 et seq.). Cum enim quælibet res ex essentialibus suis proprietatibus cognoscatur atque ab aliis distinguatur, ideirco Ecclesia ex suis proprietatibus nobis etiam manifesta redditur. Si igitur proprietas consideratur ut aliquid Ecclesiæ *intrinsece inhærens* et nobis in abstracto, *qualis* sit Ecclesia, manifestans, proprietatis nomen retinet: si vero consideratur prout *exterius splendescit*, et nobis medium subministrat cognoscendi in concreto *quænam* ex variis Ecclesiis sit vera Christi Ecclesia, *nota* appellatur.

291. — Doctrina protestantium. — Protestantes, qui Ecclesiam invisibilem dicunt, si secum pugnare nolint, nullas notas proprie dictas admittere possunt. Notas tamen statuunt, tum ad dijudicandum quænam externa christianorum communio censenda sit vera et legitima; tum præsertim ad dignoscendum in quanam communione invisibilis Ecclesia, quam solam veram esse dicunt, latitet. — Protestantes duas ordinarie enumerant notas, nimirum: puram verbi Dei prædicationem, et rectam Sacramentorum administrationem [1].

Probandum est igitur notas a protestantibus assignatas nullius esse momenti; veras autem esse notas a doctoribus catholicis allatas.

292. — Prop. I. *Neque sincera verbi Dei prædicatio, neque legitima Sacramentorum administratio sunt genuinæ notæ Christi Ecclesiæ.* Certa.

Prob. In prædicatione verbi Dei et in Sacramentorum administratione omnes desiderantur conditiones, quæ ad veram notam constituendam requiruntur. Ergo nec verbi Dei prædicatio nec Sacramentorum administratio assignari valent ut notæ Ecclesiæ.

Prob. antec. 1. Vel agitur de qualicumque verbi Dei prædicatione, et de qualicumque Sacramentorum administratione. Sed talis prædicatio, et talis Sacramentorum administratio non sunt aliquid uni Ecclesiæ *proprium:* omnes enim sectæ christiani nominis verbum Dei annuntiant, et aliqua saltem Sacramenta administrant. Itaque ejusmodi prædicatione vel Sacramentorum administratione una Ecclesia ab alia discerni nequit.

2. Vel agitur de prædicatione veræ et genuinæ doctrinæ Christi, et de valida et legitima Sacramentorum administratione. Sed de puritate doctrinæ et de Sacramentorum validitate nobis certo constare

[1] Cf. Calvin., *Instit.*, l. IV, c. 1, n. 9.

non potest nisi per Ecclesiæ definitionem; neque proinde prædicatio veræ doctrinæ et valida Sacramentorum administratio sunt aliquid notius Ecclesia, unde nec in ejus notitiam adducere possunt.

Enimvero, omnes sectæ christiani nominis, quæ contraria tamen et opposita dogmata docent, semper proclamant se veram et puram Christi doctrinam prædicare. Aliquo igitur indigemus medio, quo discernamus quænam sit vera et recta verbi Dei prædicatio; porro illud medium nequit esse aliud nisi declaratio Ecclesiæ, quæ sola a Deo custos revelationis et magistra veritatis constituta est. (n. 213). — Item, de legitimitate et validitate administrationis Sacramentorum ex sola Ecclesiæ declaratione nobis constare potest; quippe quod ex sola Ecclesiæ definitione certo cognoscimus, tum Sacramentorum quænam sint natura atque numerus, tum quid ad eorum validam administrationem requiratur. — Quo fit, ut, qui verbi prædicationem vel Sacramentorum administrationem tanquam notas Ecclesiæ assignant, in vitioso gyrent circulo.

3. Dato demum quod absque Ecclesiæ definitione pura Christi doctrina et valida Sacramentorum administratio innotescere possent, magnus tamen et arduus requireretur labor; oporteret enim tum cujuslibet cœtus prædicationem ac Sacramentorum administrationem accuratissimo examine perpendere atque cum Sacris Litteris et traditione conferre, tum adversariorum difficultates audire et dijudicare: quæ cuncta doctis difficilia, rudibus vero prorsus impossibilia forent. Prædicatio igitur sanæ doctrinæ, et valida Sacramentorum administratio, aliquid obvium et omnium captui accommodatum non sunt.

293. — Prop. II. *Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas veræ et genuinæ sunt Ecclesiæ notæ.* — Certa.

Prob. I. Quælibet res ex suis proprietatibus, exterius si manifestentur, optime innotescit. Atqui unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas essentiales sunt Ecclesiæ proprietates, et exterius innotescunt. Ergo genuinæ sunt notæ, quibus vera Christi Ecclesia cognoscatur.

Prima pars minoris fuse jam probata est. — *Probatur secunda pars minoris: a)* Ecclesiæ *unitas* in fidei, communionis et regiminis unitate consistit (n. 267); *unitas fidei* externa fidei professione exterius innotescit; *unitas communionis* externa participatione eorumdem Sacramentorum atque ejusdem cultus exterius manifestatur; *unitas regiminis* subjectione iisdem pastoribus, et præsertim eidem Supremo Capiti, exterius ostenditur.

b) Ecclesiæ *sanctitas* externe se prodit per excellens omnium virtutum exercitium etiam in gradu heroico, per miram fœcunditatem, per miracula, prophetias, etc.

c) Catholicitas facti, quia est lata Ecclesiæ per orbem diffusio, ideo aliquid externum est, atque omnibus cognoscibile.

d) Apostolicitas factum est historicum, quod ex monumentis historicis certo cognosci potest. — Internæ igitur Ecclesiæ proprietates externe manifestantur.

II. Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas omnes conditiones possident, quæ ad notas stricte dictas constituendas requiruntur. Sunt Ecclesiæ characteres: *externi et sensibiles*, ut ex modo dictis constat; — *permanentes*, quippe qui ex ipsamet Ecclesiæ essentia fluant; *proprii*, non autem communes, cum sint veræ Ecclesiæ proprietates essentiales, neque in ullo alio cœtu, nequidem separatim sumpti, inveniri queant; — *notiores ipsa Ecclesia in concreto*, cum enim externe se prodant, quilibet eos apprehendere potest, atque comperire eos in tali determinato cœtu reipsa existere, ab aliis vero cœtibus abesse; *omnibus obvii*, qui enim diversos cœtus examinat, inde facile deducere potest: in Ecclesia Romana vigere *unitatem*, eam vero in sectis acatholicis deficere, cum hæ vel contradictoria doceant, vel non omnia Sacramenta admittant, vel supremo Pastori a Christo constituto non subdantur; — in Ecclesia Romana vigere *sanctitatem*, eam vero in sectis acatholicis desiderari, cum in eis nullos eximiæ sanctitatis viros, fœcunditatem nullam, miracula nulla cernat; — in Ecclesia Romana adesse *catholicitatem*, eam vero a sectis acatholicis abesse, cum eas ad exiguum terræ angulum coarctatas videat; — in Ecclesia Romana splendescere *apostolicitatem*, eam vero in sectis acatholicis deficere, cum eas diu post Apostolorum tempora exordium sumpsisse comperiat.

Quapropter, ex una parte, cum vera Christi Ecclesia jam supponatur cognita in abstracto, et unitas, sanctitas, catholicitas, et apostolicitas sint intrinsecæ et essentiales ejus proprietates, idcirco cuique manifestum est, eum solum cœtum, in quo hæ proprietates inveniuntur, veram esse Christi Ecclesiam; cæteros vero cœtus, in quibus desiderantur, esse

pseudoecclesias et synagogas Satanæ. Ex altera vero parte, cum quatuor istæ proprietates exterius splendescant, et omnibus sint cognitu faciles, idcirco quilibet, conferendo eas cum diversis cœtibus, divina, quæ nemini deest, afflante gratia, haud difficulter in agnitionem veræ Christi Ecclesiæ adduci potest, atque ita in eam intrare, per eam Christo incorporari, et in ea salutem secure operari.

PARS II.

DE IDENTITATE ECCLESIÆ ROMANÆ CUM VERA CHRISTI ECCLESIA.

294. — In prima parte hujusce tractatus Ecclesiam Christi delineavimus: videlicet, de ejus essentia et hierarchica constitutione sumus locuti, ejus proprietates collocavimus in lucem, notasque indicavimus, quibus Christi Ecclesia a falsis cœtibus evidenter possit discerni.

Ast consideratio nostra in hac abstractiva Ecclesiæ cognitione sistere nequit. Quorsum enim pertineret abstractiva Ecclesiæ notitia, nisi simul innotesceret quisnam inter diversos cœtus sit vera Ecclesia, extra quam nulla est salus? Inquirendum est igitur in hac secunda parte, quisnam inter diversos cœtus christianos sit vera Christi Ecclesia. — Dicitur: *inter diversos cœtus christianos;* quæstio enim in eo solum vertitur, ut planum fiat, quænam ex diversis ecclesiis, quæ veram Christi religionem possidere gloriantur, sit genuina Christi Ecclesia: ad sectas antichristianas quod spectat, eæ ex dictis in tractatu de vera Religione refutatæ manent.

Hanc veram Christi Ecclesiam dicimus esse Ecclesiam Catholico-Romanam: quod in hac secunda parte probandum occurrit.

295. — Ordo dicendorum. — Ad probandam Ecclesiæ Romanæ identitatem cum Ecclesia a Christo instituta, duplex via panditur. Una in eo consistit ut monstremus omnes essentiales proprietates, quas Christus Ecclesiæ inesse voluit, et quas supra vocavimus *notas* (n. 293), in Ecclesia Romana inveniri, in aliis vero cœtibus omnino desiderari.

Altera in eo posita est ut probemus Apostolicum primatum a Christo in persona B. Petri institutum, in Romana Ecclesia jugiter perseverare. Enimvero, ut supra vidimus (n. 170 et seq.), Ecclesia ex Christi institutione est externa et visibilis societas, quæ monarchica regiminis forma prædita est. Visibilis autem societatis pars principalior, ex qua totius societatis vis et soliditas, imo et existentia, pendent, nihil aliud est nisi auctoritas, seu forma regiminis: quam qui mutat, ipsius societatis naturam mutat. Inde est cur « portæ inferi, *ut ait Conc. Vatic. (Const. Pastor æt.),* ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam,

contra ejus fundamentum divinitus positum, majori in dies odio undique insurgunt.»

Si igitur illam auctoritatis plenitudinem, quam Christus B. Petro ad regendam et gubernandam universalem Ecclesiam demandavit, in Ecclesia sua perenniter existere voluerit, sintque Romani Pontifices Petri successores in illo primatu, illico manifestum erit, solam Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, cæteras vero Ecclesias, in quibus deest apostolicus primatus, synagogas esse Satanæ.

296. — Ut Ecclesiæ Romanæ identitas cum vera Christi Ecclesia magis scientifice ostendatur, utramque sequemur viam; et primo quidem ex notarum applicatione Ecclesiæ Romanæ divinitatem demonstrabimus; deinde de perpetuitate primatus in Pontificibus romanis agemus.

Cum autem in Ecclesia Romana Supremus Pontifex præcipuas obtineat partes, probata Ecclesiæ Romanæ divinitate, de ejus visibili Capite agendum erit, tum ut primatus vis et ratio et ejus in docendo infallibilitatis prærogativa in lucem ponantur, tum ut ejus relationes ad Episcopos et Concilia explicentur.

Demum, ne in materia tanti momenti quidquam ex iis, quæ hodie scitu maxime necessaria sunt, desideretur, hanc partem absolvemus exponendis relationibus, quæ Ecclesiam Romanam inter et societates civiles intercedunt.

In hac igitur secunda parte quatuor ponuntur capita. In I. ex notarum applicatione, Ecclesiæ Romanæ identitas cum vera Christi Ecclesia probabitur. In II. demonstrabitur primatum B. Petro a Christo collatum, in romanis Pontificibus jugiter perseverare. In III. exponetur natura sacri apostolici primatus. Et in IV. relationes, quæ Ecclesiam inter et societates civiles intercedere debent, exponentur.

CAPUT I.

EX NOTIS PROBATUR ECCLESIÆ ROMANÆ IDENTITAS CUM VERA CHRISTI ECCLESIA [1].

297. — Quatuor, ut supra notatum est (n. 293), adsunt in Ecclesia Christi proprietates essentiales, unitas scilicet, sanctitas, catholicitas et apostolicitas, quæ exterius splendescunt, atque ad veram Ecclesiam, custodem et magistram verbi revelati, summa cum evidentia dignoscendam, intuentibus tanquam lucernæ ardentes affulgent.

Jamvero, qui diversos cœtus christiani nominis absque præjudicato animo vel obiter considerat, quatuor has notas in Ecclesia Romana adesse, ex aliis vero cœtibus exulare, comperiet, eique facile erit exploratum ad solam Romanam Catholicam Ecclesiam «ea pertinere omnia, quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita.» (*Concil. Vatic. Const. Dei Filius, c. 3*). Ex quo quilibet inferat necesse est, solam Ecclesiam Romanam esse Ecclesiam a divino Fundatore Christo Redemptore stabilitam, extra quam nemini speranda est salus; cæteros vero cœtus omnes esse pseudoecclesias et synagogas satanæ, in quibus nemini salutem sperare datum est.

Quatuor igitur propositionibus, Ecclesiæ Romanæ divinitatem, aliarum vero falsitatem, ex Ecclesiæ notis demonstrabimus; quo præstituto, verba Vaticani paucis explicare satagemus, quomodo scilicet Ecclesia sit «per se ipsa magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile.» (*Const. Dei Filius, c. 3*).

298. — **Prop. I.** *Ecclesia Romana notam unitatis possidet, sectæ vero schismaticæ et hæreticæ ea carent.* — Certa.

Prob. Perfecta Ecclesiæ unitas, (ut dictum est n. 270), consistit in fidei et communionis unitate tam facti quam juris, et in unitate regiminis. (Unitas facti dicitur ipsa materialis unitas in fide et communione; unitas autem juris est princi-

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 1: Cercia, P. I. Sect. IV; Pichler, *Theol. pol.*, Contr. III, c. 2.

pium effectivum utriusque unitatis, quod est supremum et infallibile magisterium; cf. n. 270, P. III). — Atqui Ecclesia Romana hanc triplicem unitatem possidet; ea vero carent tam orientales sectæ schismaticæ, quam occidentales sectæ protestanticæ. Ergo sola Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia.

Prob. minor per partes.

I. *Ecclesia Romana hanc triplicem unitatem possidet.*

1. *Possidet unitatem fidei: a) Quoad factum:* omnes ubique terrarum fideles eadem interius credunt et exterius profitentur, sicuti constat ex symbolis, quæ eadem ubique recitantur, et ex catechismis, qui eamdem ubique exhibent doctrinam. — In eadem etiam fide, quam priscis temporibus professa est, Ecclesia immutabilis permanet, nec ulla potest citari Pontificis aut Concilii definitio in materia fidei et morum, quæ antea datæ definitioni contradicat. Nec perfectæ unitati fidei obstat quod nova quandoque dogmata definiat Ecclesia: hisce enim definitionibus nihil novi proponit: sed tantum quæ antea implicite jam credebantur, explicite credenda proponit.

b) Quoad jus, seu principium effectivum unitatis fidei: omnes terrarum fideles, etiam pastores, Romanum Pontificem tanquam supremum et infallibilem doctorem agnoscunt, cujus definitionibus, sive ipse solus sive una cum Episcopis eas edat, omnes illico sese subjiciunt.

2. *Possidet unitatem communionis: a) Quoad factum:* omnes particulares Ecclesiæ, ubique terrarum dispersæ, cum Ecclesia Romana immediate, et secum invicem sive immediate sive mediate communicant: omnes iisdem utuntur Sacramentis, omnes idem participant sacrificium, omnes eamdem etiam generalem disciplinam sequuntur. — *b) Quoad jus*, omnes Ecclesiæ particulares Romanum Pontificem tanquam supremum legislatorem ac centrum ecclesiasticæ communionis venerantur, cujus decisionibus quoad cultum et disciplinam omnes fideliter sese subdunt.

3. *Possidet unitatem regiminis:* Probavimus (n. 184) Christum supremam potestatem in Ecclesia B. Petro ejusque successoribus contulisse; neque in participationem ecclesiastici regiminis quemquam vocasse, nisi dependenter a suprema

B. Petri potestate. Atqui successor Petri in primatu est solus Romanus Pontifex, (n. 310), quem omnes fideles ut supremum Caput agnoscunt, et cui perfecte in omnibus subjiciuntur; et quotquot in Ecclesia Romana pastores et rectores existunt, suam potestatem nonnisi dependenter a Romano Pontifice possidere confitentur. Viget ergo in Ecclesia Romana ea perfecta regiminis unitas, quam Christus in Ecclesia sua adesse voluit.

II. *Sectæ schismaticæ orientales triplici illa unitate carent.*

1. *Non habent unitatem fidei:* ex sectis orientalibus plures, ut Nestoriana, Eutychiana, etc., erroribus sunt maculatæ. Si vero de Ecclesia græca proprie dicta sermo est, hæc nunc quædam rejicit, quæ antiquitus admiserat, scilicet processionem Spiritus Sancti a Filio, et Romani Pontificis primatum ex jure divino. Licet autem nostra ætate ecclesia græca quamdam fidei unitatem possidere videatur, hæc materialis tantum est et omnino aleatoria, quæ quolibet momento abrumpi potest: nullum quippe supremum magisterium, quod controversias fidei infallibili judicio valeat dirimere, penes se habet.

2. *Non habent unitatem communionis:* diversæ sectæ societates a se invicem omnino independentes constituunt; sic v. gr., Ecclesia Russiaca ab anno 1680 a græca omnino separata est, neque cum ea in ulla re communicat.

3. *Non habent unitatem regiminis:* quælibet secta suum habet proprium pastorem: imo Ecclesia græca proprie dicta quatuor possidet supremos pastores a se omnino independentes, patriarcham scilicet Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum et Jerosolymitanum.

III. *Sectæ protestanticæ triplicem illam unitatem non possident*[1].

Non possident unitatem fidei: diversæ sectæ protestanticæ, sicut ex varietate earum fidei professionum manifestum est, fidem substantialiter diversam profitentur; imo quælibet

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.*, P. III, c. 1, n. 12 et 13; *Evid. fid.*, P. I, c. 3 et 4; *Cont. hær.*, c. XII, n. 8 et seq.

secta in eadem fide sibi non constat, utpote quæ hodie inficietur, quod heri affirmabat; quin etiam dogmata contradictoria simul admittat.

Non solum nullam fidei unitatem habent protestantes, sed nec unquam eam habere possunt, cum nullum principium unitatis, puta supremum magisterium, agnoscant; e contra, principium omnis unitatis destructivum, liberum scilicet examen et spiritum privatum, admittant; quo fit ut quilibet fiat suæ fidei supremus arbiter, et duo vix inveniri queant, qui in eamdem sententiam perfecte conspirent.

2. *Non possident unitatem communionis.* Plures apud protestantes inveniuntur sectæ principaliores nullo vinculo inter se colligatæ, ut lutherani, calvinistæ, anglicani, anabaptistæ, etc.; et ex his unaquæque in alias pene innumeras scinditur sectas, quæ se mutuo anathematizant. — *Nec in cultu consentiunt:* ex protestantibus alii unum, alii tria admittunt Sacramenta; hi realem Christi præsentiam in S. Eucharistia confitentur, illi eamdem negant; omnes vero Missæ sacrificium e medio tollunt.

3. *Nullam possident regiminis unitatem:* diversæ sectæ diversas et independentes constituunt societates; nec ullam hierarchiam aut potestatem divinitus constitutam, sine qua in Ecclesia nequit stare socialis unitas, admittunt. Imo, cum principibus sæcularibus principaliorem partem in ecclesiastico regimine committant, tot diversa regimina, quot diversa existunt regna terrestria, necessario admittere coguntur.

299. — Prop. II. *Ecclesia Romana sanctitate fulget; sectæ vero schismaticæ et hæreticæ ea carent.* — Certa.

Prob. Vera Christi Ecclesia est sancta non solum ratione originis et mediorum ad finem; sed etiam et præcipue ratione sanctitatis activæ, quæ in indefessa sollicitudine ad sanctificandas gentes consistit; et ratione sanctitatis passivæ, quæ etiam dono miraculorum exterius splendescit (n. 274). Atqui Ecclesia Romana sancta est et ratione originis atque mediorum, et ratione sanctitatis activæ atque passivæ. Sectæ vero schismaticæ sanctæ non sunt, nec ratione originis aut mediorum, nec

ratione sanctitatis activæ vel passivæ. Ergo sola Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia.

Probatur minor per partes:

I. *Ecclesia Romana sancta est:* 1. *Ratione originis:* Ecclesia Romana, ut fusius dicetur (n. 308), ininterrupta pastorum serie ad Apostolos et ad ipsum Christum ascendit: nititur igitur in fundamento Apostolorum, et ipsum Christum habet fundatorem.

2. *Ratione mediorum*, quæ in fidei doctrina et Sacramentis consistunt[1]. — Quoad fidei morumve doctrinam, in Ecclesia Romana nihil erroneum, aut indecens, aut Deo indignum, unquam potuit deprehendi; quinimo, ipsa eos, qui in materia fidei aut morum errorem pertinaciter docere præsumpserint, illico semper e sinu suo ejecit. Omnia etiam Sacramenta, quæ Christus eo fine instituit, ut salutiferum Redemptionis pretium nobis applicaretur, intacta semper et illibata conservat.

3. *Ratione sanctitatis activæ:* A primo die institutionis suæ ad hodiernum usque diem, Ecclesia Romana summa sollicitudine semper adlaboravit, ut fidem ubique terrarum propagaret, et ut gentes, quæ in umbra mortis sedebant, evangelica luce illuminaret. Quot Apostolos et missionarios ad ferocissimas etiam gentes et misit et quotidie mittit, qui, licet in summa omnium rerum humanarum penuria viventes, tamen ad mortem usque Evangelium nuntiare student, nihil præmii præter vitæ æternæ repromissionem exspectantes! Quot sacerdotes verbera, vincula, ipsamque mortem et lubenter sustinuerunt et quotidie adhuc sustinent, ut Christo animas lucrifaciant! Unde et quotidie Ecclesia Romana, tanquam fœcunda mater, Christo novos generat filios.

Neque gentes conversas derelinquit; contra, prædicatione, præceptis, consiliis fideles constanter adhortatur, non solum ut a vitiis sibi temperent, sed etiam ut opera pia peragant, Sacramenta frequenter recipiant, corpus voluntariis macerationibus castigent, opera misericordiæ tum spiritualia tum

[1] Cf. S. Alph. *Evid. fid.*, P. I, c. 1.

corporalia exerceant, etc. Adhortatur etiam suos ad evangelica consilia, observatione voluntaria paupertatis, castitatis et obedientiæ, adamussim observanda; et eo quidem consilio ut, abdicatis rerum terrenarum sollicitudinibus, soli Deo vivant, ad perfectionis apicem securius ascendant, et sese liberius totos in proximi utilitatem impendere valeant. — Maxima igitur sanctitate activa fulget Ecclesia Romana.

4. *Ratione sanctitatis passivæ:* De ea sanctitate non loquimur, quæ in vitæ innocentia et peccati mortalis absentia, aut in perfecta consiliorum observatione per vota religiosa consistit: hanc in Ecclesia Romana semper viguisse probant et morum emendatio, quæ facta est in gentibus statim ac in gremium Ecclesiæ Romanæ ingressæ sunt, et innumera cœnobia atque monasteria, in quibus cujusvis conditionis fideles sese abdiderunt, ut, terrenis rebus dimissis, soli Deo servirent. Sed loquimur *de sanctitate eximia*, quæ in heroico omnium virtutum exercitio posita est, atque miraculis aliisque gratiis gratis datis conspicua redditur.

Plurimos quavis ætate exstitisse in Ecclesia Romana fideles eximiæ sanctitatis, qui heroico omnium virtutum exercitio floruerint [1], qui sive ante sive post obitum miraculis claruerint, aliisque charismatibus, ut dono linguarum et prophetiæ, discretione spirituum, etc., conspicui fuerint, totus orbis catholicus proclamat, annales ecclesiasticæ testantur, et quotidie adhuc demonstrant solemnes Canonizationes et Beatificationes, quibus, severissimo examine de heroicitate virtutum et existentia miraculorum instituto, hominibus defunctis cœlicolarum honores deferuntur.

II. *Sectæ schismaticæ sanctitate carent.*

1. *Ratione originis:* Ecclesia græca auctores habet, non Christum quidem et Apostolos, sed Photium et Michaelem Cerularium, qui, nedum virtutibus essent conspicui, rebellione adversus primatum Petri, necnon immoderata ambitione innotuerunt, utpote qui titulum Patriarchæ œcumenici sibimetipsis usurpare attentarint.

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 1, n. 16 et seq.

2. *Ratione mediorum:* Evangelicam doctrinam retinent Græci, erroribus tamen maculatam; sed minimus error in fide doctrinæ sanctitatem destruit. — Sacramenta, ad quorum administrationem non requiritur jurisdictio, valide quidem conferunt: ea vero Sacramenta, ad quorum administrationem requiritur jurisdictio, conferre nequeunt, cum propter suam separationem a sede Petri nullam habeant jurisdictionem, nisi Ecclesia in favorem animarum suppleat, v. g. in articulo mortis. Græci igitur non omnia salutis media a Christo instituta possident.

3. *Ratione sanctitatis activæ:* Ab initio schismatis ad hæc proxima usque tempora, nullus apud schismaticos viguit zelus ad propagandam fidem: nulli ex eis egressi sunt missionarii, qui gentes ethnicas evangelizarent; et si ab aliquot annis Græci et præsertim Russi missionarios ad exteras gentes mittunt, id non tam zelo gloriæ Dei et salutis animarum, quam spe lucri et animo impediendi Ecclesiam Romanam, ne gentes in suum gremium adducat, peragunt; ex quo fit, ut catholicos ubique crudeliter vexent, eosque ad apostasiam quibusvis mediis adducere conentur. — Neque clerus schismaticus suos subditos a vitiis retrahere et ad perfectionem adducere satagit; sed eos in ignorantia religionis et in vitiis tabescere sinit.

4. *Ratione sanctitatis passivæ:* Ex dictis jam patet Ecclesias schismaticas sanctitate passiva florere non posse. At vero ipsa facta loquuntur: vulgus in vitiis tabescit; ignorantur consilia evangelica, etiam in cœnobiis et monasteriis, in quibus virtutes communes vix excoluntur; ab initio schismatis, nullus apud Græcos inventus est, qui eximia sanctitate floruerit, et sanctis adnumerari meruerit; nullum apud eos amplius patratum est miraculum, nullaque edita prophetia.

III. *Sectæ protestanticæ sanctitate carent* [1].

1. *Ratione auctoris:* Non Christum quidem aut Apostolos sectæ protestanticæ auctores habent, sed Lutherum, Calvinum, Zwinglium, Henricum VIII, etc.; qui, quantis vitiis dediti fuerint, neminem latet [2].

[1] Cf. Pichler, Contr. III, c. 2, a. 4. — [2] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 6.

2. *Ratione mediorum:* Sacram Christi doctrinam, tam speculativam quam practicam, in omnibus fere punctis corruperunt protestantes, et istiusmodi doctrinam, quæ maximam morum corruptelam induceret, statuerunt. Cujusmodi, v. gr., est eorum doctrina de perdita per peccatum libertate, de absoluta Dei prædestinatione, de justificatione per fidem sine operibus, de inamissibilitate justitiæ, de bonorum operum inutilitate, etc. — Sacramenta etiam de medio sustulerunt; alii unum, alii duo aut tria ad summum retinent; sacrificium Eucharistiæ aboleverunt; regimen divinitus institutum nullum agnoscunt. Præcipuis igitur salutis mediis carent sectæ protestanticæ.

3. *Ratione sanctitatis activæ:* Testantur historica monumenta, protestantes a primis reformationis temporibus maximo zelo æstuasse doctrinam suam spargendi, non quidem apud gentes barbaras, sed apud catholicas, quas modo divitiarum et libidinis illecebris, modo fraude, astutia, violentia et armis, a vera doctrina abducere et ad se trahere conati sunt. Qui agendi modus spiritum sanctitatis certe non redolet. De paganis vero evangelizandis ante sæculum hoc nostrum XIX ne cogitaverunt quidem. Ineunte hoc sæculo, societates biblicæ ab eis sunt institutæ, missique missionarii ad exteras gentes. Ast eos nec zelo animarum, nec gloria Dei, nec spiritu Christi duci, sed spe lucri propriique emolumenti animari, ex eo potissimum constat, quod pro fide propaganda nec incommoda lubenter sustinent, nec mortem appetunt aut alacriter subeunt; quod præterea, ubi spes majoris divitiarum copiæ elucet, eo præsertim se conferunt, ac nonnullis post annis ad propria redeunt, comparatis divitiis quiete fruituri. Quocirca, quamvis proprii gubernii protectione ubique gaudeant, opibusque a societatibus biblicis propinatis largiter stipentur, maxima tamen laborant sterilitate; nec paucos, quos ad se trahunt, meliores reddunt; et hoc unum efficaciter efficiunt, ut videlicet catholicorum missionariorum conatus et labores irritent.

Neque suos sectatores, cœtus protestantici ad morum emendationem adhortari, aut ad perfectionem perducere satagunt; imo, nec eos juxta suam doctrinam, ad frugem bonam ut se

recipiant, excitare possunt. Bona enim opera, ut jejunia, eleemosynas, corporis castigationem, etc., non solum coram Deo nihil prodesse, sed totidem esse peccata reputant; præceptorum observationem impossibilem dicunt; peccata etiam gravissima, uno excepto peccato infidelitatis, hominem æterna felicitate minime privare docent; opera pœnitentiæ Christo esse injuriosa comminiscuntur: Sacramenta plurima rejiciunt; vota religiosa irridenl, etc. Ex quibus, sectas protestanticas neminem ad perfectionem adhortari posse, sat superque manifestum est.

4. *Ratione sanctitatis passivæ:* Non negamus quidem etiam apud protestantes quosdam inveniri, qui salutem operari possint, eos scilicet, qui bona fide apud eos versantur, et practice a suis principiis recedentes, ea, quæ recta conscientia dictat, fideliter observant: hos enim, facientes quod est in se, gratia Dei non derelinquit.

Sed quatuor sæculorum experientia freti, dicimus tales esse generatim mores protestantium, qui ne communem quidem sanctitatem arguant. Qua de re ipsimet reformationis auctores jam questi sunt. « Videmus, *ait Lutherus* [1], quod hoc tempore homines sint multo pejores, truculentiores, tenaciores, libidinosiores, quam unquam antea in Papatu fuerunt. » Similem confessionem de suis edidit Melanchton, ad c. 6 Matth. — Et Andreas Musculus, celeber Præco [2], exclamat: « Cum nobis lutheranis hoc tempore ita agitur, ut, si quis videre volet ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impostorum, fœneratorum, civitatem aliquam adeat, in qua Evangelium pure prædicatur, catervatim tales ibi reperiet. »

Nec unum etiam citare possunt protestantes, qui amore christianæ perfectionis domum, agros, parentes, uxorem, liberos bonaque sua reliquerit, quo pauper et humilis Christum pauperem et humilem arctius imitaretur. Nec unum præsertim citare possunt, qui eximiis virtutibus floruerit, et vitæ innocentia ita emicuerit, ut orbis catholicus eum pro sancto sit veneratus. Nec unum denique citare possunt, qui miraculum

[1] In *Postill. Domest.*, Dom. I. Adv. — [2] Dom. I. Adv.

quoddam ediderit. « Nullus illorum, *ait Erasmus* [1], adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit [2]. »

300. — Prop. III. *Ecclesia Romana catholicitate gaudet; sectæ vero tam schismaticæ quam hæreticæ ea destituuntur.* — Certa.

Prob. Catholicitas in eo consistit, ut Christi Ecclesia, una in se existens triplici unitate fidei, communionis et regiminis, late per orbem diffundatur, atque magnam et conspicuam membrorum habeat multitudinem (n. 278). Atqui sola Ecclesia Romana, una existens triplici prædicta unitate, late per orbem diffunditur, cæterasque sectas numero membrorum vincit; cæteræ vero sectæ ea catholicitate destituuntur. Ergo sola Ecclesia Romana potest esse vera Christi Ecclesia.

Probatur minor per partes:

I. *Ecclesia Romana catholicitate gaudet.* 1. Hoc imprimis constat *ipso nomine.* Ecclesia Romana se catholicam nominat, et in toto orbe eo nomine, etiam a suis hostibus, vocatur: quod aliunde venire non potest, nisi quia reapse hanc catholicitatem possidet.

2. **Ex facto:** *a) ratione diffusionis.* Ecclesia Romana, una unitate omnimoda in se existens, a primis jam christianismi temporibus per omnes regiones tunc notas late diffundebatur. « Neque illæ *(ait S. Irenæus, sæc. II)*, quæ in Germanis sitæ sunt, Ecclesiæ aliter credunt, et aliter tradunt; nec quæ in Hispaniis aut in Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in Mediterraneis orbis regionibus sedem habent. Verum ut sol... in universo mundo lucet. » *(Cf. dicta de vera Relig. n. 138).*

Neque decursu temporis ob exortas hæreses, nec post Lutheri apostasiam, licet regiones quædam a vera fide defecerint, Ecclesia Romana catholicitatem amisit. — Et, si qualis nostris temporibus existit, consideratur, eam ubique ita diffusam reperimus, ut vix ullus sit terræ angulus, sicuti ex

[1] *De lib. arbit.* — [2] Cf. S. Alph., *Evid. fid.*, P. I, c. 4 et 6; *Ver. fid.*, P. III, c. 6, n. 6.

Annalibus propagationis fidei constat, in quo et fides Romana non annuntietur, et Ecclesia Romana aliqua saltem membra sibi non adjunxerit.

b) Ratione numeri fidelium. Juxta recentiorem computationem, in Romana Ecclesia 217.000.000 fideles numerantur; e contra in cœtibus protestanticis conglobatim sumptis, sectatores 120.000.000; in Ecclesiis vero Græcis schismaticis 84.000.000 fideles numerantur. Ex quibus satis compertum est, Ecclesiam Romanam ratione membrorum esse catholicam, atque sectis schismaticis vel hæreticis multo numerosiorem *(Cf. Werner, Atlas des missions cath.).*

II. *Catholicitate destituuntur sectæ schismaticæ et hæreticæ.*

1. *Ecclesiæ schismaticæ*, cum non unam societatem, sed plures ab invicem omnino independentes constituant, formalem catholicitatem nec habent, nec habere possunt (n. 305, III). Sin autem materialiter tantum consideratur catholicitas, Ecclesia Græca nec ratione diffusionis, nec ratione numeri, catholica dici potest: *non ratione diffusionis:* Græcos schismaticos nullos reperire est nec in regnis occidentalibus Europæ, nec in regnis orientalibus Asiæ, nec in America aut in Africa, modo Ægyptum et Abyssiniam excipias. — *Non ratione numeri:* multo enim pauciores existunt Græci schismatici, quam Catholico-Romani, ut modo dictum est.

2. *Sectæ protestanticæ*, non secus ac Græci et ob eamdem rationem, catholicitatem formalem nec habent, nec habere possunt. Licet igitur ubique terrarum forent diffusæ, et Ecclesiam Romanam membrorum numero superarent, catholicæ tamen nequaquam dici possent. — Sed neque ratione diffusionis, neque ratione numeri catholicæ sunt. *Non ratione materialis diffusionis:* In pluribus Europæ statibus nulli fere reperiuntur protestantes, ut in Russia, Italia et Hispania; in Africa vero et Asia necnon in America meridionali perpauci tantum existunt. — *Ratione vero numeri*, ut supra vidimus, a Romana Ecclesia longe superantur.

301. — Prop. IV. *Ecclesia Romana Apostolicitatem habet; sectæ vero schismaticæ et hæreticæ ea carent.* — Certa.

Prob. Ut aliqua Ecclesia possit dici apostolica, requiritur: 1. ut ab Apostolis sive immediate sive mediate sit fundata; 2. ut Apostolorum doctrinam intactam conservet; 3. ut, serie pastorum non interrupta, apostolicum regimen in ea perseveret; 4. ut centro unitatis, quod est cathedra Petri, conjuncta maneat (n. 279 et seq.).

Atqui istæ conditiones in sola Ecclesia Romana adsunt; in sectis vero schismaticis et hæreticis desunt. Sola igitur Ecclesia Romana apostolicitatem habet; cæteræ vero sectæ ea carent.

Probatur minor per partes.

I. *Istæ conditiones adsunt in Ecclesia Romana.*

1. Particularem illam Ecclesiam, quæ Romæ sedet, a B. Petro et B. Paulo immediate esse fundatam; cæteras vero particulares Ecclesias, quæ cum Romana Ecclesiam catholicam constituunt, ab Apostolis immediate vel mediate esse constitutas, tota historia ecclesiastica testatur, tota confirmat omnium Ecclesiarum traditio; uno verbo, illud tanta probatur evidentia, ut ne ab adversariis quidem negari possit. Ratione igitur originis Ecclesia Romana est Apostolica.

2. Eadem evidentia constat, Ecclesiam Romanam eamdem nostris temporibus habere doctrinam, quam ab Apostolis accepit, neque ullam in ejus fide unquam accidisse mutationem. Ratione igitur doctrinæ Ecclesia Romana est apostolica.

3. Ad successionem pastorum apostolicitati requisitam quod attinet, alia debet esse successio in sede Petri, et alia pro cæteris pastoribus (n. 283). In sede Petri successio legitima omnino sit ininterrupta, prorsus necesse est. Ut vero cæteri pastores dicantur et sint legitimi Apostolorum successores, sufficit eos ab aliquo legitimo Apostolorum successore valide esse ordinatos, atque legitima missione a Petri successore collegio apostolico aggregatos, atque ad regendam particularem quamdam Ecclesiam deputatos [1]. Atqui compertum nobis est in Ecclesia Romana tum Supremos Ponti-

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 5; *Evid. fid.*, P. I, c. 3 (II, p. 421); *Cont. hær.*, c. 12, I.

fices (quos in capite sequenti vindicabimus esse legitimos B. Petri successores in primatu), ininterrupta pastorum serie a SS. D. N. Leone PP. XIII feliciter regnante, usque ad S. Petrum ascendere; tum corpus episcopale valida ordinatione perpetim propagari, et Episcopos a Romano Pontifice ad regendas particulares Ecclesias legitima missione deputari, eique tanquam Supremo Capiti et unitatis centro perpetuo conjunctos manere. Ratione igitur successionis Ecclesia Romana est apostolica.

Quam Ecclesiæ Romanæ apostolicitatem pro invictissimo ejus divinitatis argumento S. Patres semper habuerunt. «Romæ fundatæ... Ecclesiæ, *ait S. Irenæus*, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et... fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui... per cæcitatem et malam sententiam præterquam oportet colligunt.» *(Adv. hær. l. III, c. 3).* — *Et S. Augustinus* ait: «Tenet me in ipsa Ecclesia ab ipsa sede Petri usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum.» *(Cont. Epist. fund. c. 4).*

II. *Istæ conditiones in cæteris sectis desunt.*

1. *Ecclesiæ Græcæ*, licet ratione originis apostolicæ esse videantur, a vera tamen et formali apostolicitate defecerunt tam ratione doctrinæ, quam ratione legitimæ successionis in regimine.

Ratione doctrinæ: Apostolicam doctrinam, quam prioribus temporibus tenuerunt de processione Spiritus Sancti a Patre Filioque, abjecerunt.

Ratione successionis: Ut Episcopi collegio apostolico aggregari, et Apostolorum successores censeri valeant, non sufficit eos valide fuisse ordinatos, vel etiam ininterrupta successione pastorum ad Apostolos usque pertingere; sed omnino requiritur ut a SS. Pontifice, in quo plenitudo apostolicæ potestatis residet, legitime missi ac deputati sint, eique constanter tanquam centro unitatis conjuncti maneant. Licet igitur in Ecclesiis græcis existant Episcopi valide ordinati; licet earum Episcopi haberent materialem connexionem cum Apostolis, tamen, cum a Petri cathedra separentur, nulla legitima missione ad gubernandas Ecclesias deputati sunt; ac proinde nec

ulla potestate jurisdictionis gaudent, nec legitimi Apostolorum successores æstimari possunt.

2. *Protestantes* multo minus adhuc, apostolicitatem sibi adjudicare possunt.

Non Apostolicitatem originis: neminem quippe latet, ante sæculum XVI nullos sub sole exstitisse lutheranos, nullos calvinistas, anglicanos nullos, etc. Apostolicam igitur originem *immediatam* sectæ protestanticæ sibi vindicare non possunt; sed neque *mediatam*, ratione scilicet Ecclesiæ Romanæ, in qua, ut aiunt, ante Lutheri adventum, earum ecclesiæ latitabant: quippe quia quælibet particularis ecclesia, quæ vere apostolica est, eo ipso quod a centro unitatis separatur, apostolicitatem amittit.

Non Apostolicitatem doctrinæ: apostolicam doctrinam omni ex parte adulterarunt protestantes.

Non Apostolicitatem regiminis: Protestantes fere omnes nullam hierarchiam, nullumque magisterium divinitus institutum, agnoscunt. Nulla igitur apud eos, nequidem materialis pastorum successio haberi potest. — Si qui vero, ut Anglicani, hierarchiam quamdam admittunt, eorum hierarchia vana est et illusoria, ob defectum scilicet validæ ordinationis: et si valide etiam eorum episcopi consecrarentur, tamen, quia unione cum centro unitatis destituuntur, ideo apostolicitate carerent.

Præterea, pseudoreformatores absque ulla missione Ecclesias constituere et regere attentarunt [1]. Nullam sortiti sunt missionem ordinariam, quæ ab eo solo, qui ecclesiasticam potestatem legitime possidet, conceditur; ast Lutherus, Calvinus, aliique reformatores, neque immediate neque mediate missi sunt a Summo Pontifice, contra quem rebelles exstiterint, et a quo e sinu Ecclesiæ fuerint ejecti. — Nullam etiam habuerunt missionem extraordinariam: hæc enim miraculis aliisque signis probari debet. Sed pseudoreformatores in confirmationem suæ missionis nullum unquam, ne minimum quidem, miraculum efficere potuerunt. Nulla igitur Apostolicitate gaudent sectæ protestanticæ.

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, P. III, c. 6, § 1; *Evid. fid.*, P. I, c. 4.

302. — Quæritur: *Quomodo Ecclesia sit per se ipsa magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis?* [1]

Resp. Ait Vaticanum *(Const. Dei Filius, c. III)*: « Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile. — Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes *(Is., XI, 12)*, et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem quam profitentur. »

In quatuor superioribus propositionibus Ecclesiæ Romanæ divinam originem ex eo probavimus, quod in ea illas deprehendimus proprietates essentiales, quas, duce S. Scriptura et Traditione, a Christo Ecclesiæ suæ fuisse inditas, pro comperto habemus. Sed docet Vaticanum, abstractione etiam facta ab illis proprietatibus quatenus ex S. Scriptura innotescunt, Ecclesiam Romanam in se consideratam, qualis nobis nunc exhibetur, invicta præ se ferre suæ divinæ originis argumenta. Hæc autem sunt facta divina, quæ, cum non aliunde, quam a speciali Spiritus Sancti assistentia, ortum habere possint, invicte probant divinam esse Ecclesiam, cujus in gratiam producuntur. Qua in re philosophandum est sicuti in superiori tractatu, in quo ex factis, quæ miracula in ordine morali dicuntur, religionis christianæ divinitas probata est (n. 137 et seq.).

303. — 1. Admirabilis Ecclesiæ Romanæ propagatio. — Cum vera Christi religio in sola Ecclesia Romana inveniatur, imo quadamtenus cum ea identificetur, exinde argumentum ex celerrima religionis propagatione ductum, sicut christianæ religionis, ita Ecclesiæ Romanæ divinitatem in manifesto ponit (cf. n. 138).

Et re quidem vera, neminem latet Ecclesiam Romanam hodiedum late ubique terrarum diffundi, et novis quotidie

[1] Cf. S. Alph., *Signa credibilitatis.* (T. II, p. 391 et seq.); Coll. Lac., p. 532; Card. Dechamps, *Demonstration catholique.*

incrementis augeri. Hæc autem lata mirabilisque diffusio nulli causæ naturali adscribi potest: enimvero Ecclesia doctrinam prædicat austeram et creditu difficilem, severam vivendi normam imponit, populos ab illecebris cupiditatum et immundarum delectationum arcet, mundum ubique impugnat et ipsa a mundo ubique impugnatur et pressuram patitur; nulla habet media naturalia, quibus obstacula, quæ suæ propagationi obsistunt, superentur: videlicet, neque militiam habet terrenam, neque opes et divitias, neque principum favorem. Et tamen ubique crescit Ecclesia et nova membra sibi incorporat; et si in aliqua regione gentes ab ea deficiunt, jacturæ aliarum gentium conversione resarciuntur.

Cæteræ vero sectæ, præsertim protestanticæ, doctrinam spargunt aures mulcentem, liberiorem concedunt normam vivendi, mundo blandiuntur et a mundo juvantur, divitiis opibusque affluunt; et steriles tamen manent, nec nova suscipiunt incrementa.

Jamvero, cum non detur effectus absque causa proportionata, nullique causæ naturali Romanæ Ecclesiæ diffusio adscribi possit, hæc Deo est attribuenda, qui Ecclesiæ speciali providentia invigilat, cordaque hominum ad ejus vocem audiendam inclinat. Romana igitur Ecclesia, ob suam admirabilem diffusionem, magnum est motivum credibilitatis, et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile.

304. — 2. **Eximia Ecclesiæ sanctitas et inexhausta in omnibus bonis fœcunditas.** — *a) Fulget Ecclesiæ Romanæ sanctitas: in doctrina,* in qua nihil erroneum unquam deprehendi potuit; *in mediis salutis,* quæ ad hominum sanctificationem mirum in modum conferunt; *in miraculis* et aliis Spiritus Sancti charismatibus, quæ in ea indesinenter cernuntur. Sin autem doctrinæ sanctitas et miracula divinam privati hominis legationem testantur (n. 88), ipsa etiam Ecclesiæ divinæ legationis testimonium sunt irrefragabile.

b) Fulget Ecclesiæ sanctitas in membris multis. Dixit Christus (Matth. XIX, 21): *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.* Hic perfectionis status per vota religiosa

in sola Ecclesia Romana invenitur; quandoquidem in ea sola occurrit hæc plane miranda legio non solum virorum, sed et puellarum, qui omnibus terrenis valedicunt, ut Christum pauperem pauperes sequantur, qui propriam voluntatem abnegant, ut Christum obedientem obedientes imitentur, idque solum anhelant, ut sibi thesauros in cœlo thesaurizent. Quod unus alterve homo ex motivo naturali divitiis, honoribus, voluntatique propriæ renuntiet, illud vires humanas non superat; quod vero tanta multitudo, quanta in Ecclesia Romana conspicitur, omnibus bonis terrenis renuntiet, et omnibus vitæ commoditatibus valedicat, ut Christo unice vivat, illud supra vires humanas est, neque aliunde oriri potest, nisi ex superno Spiritus Sancti influxu; unde et Ecclesia, in quam Spiritus Sanctus talem spiritum sanctitatis immittit, nonnisi divina esse potest.

c) Fulget Ecclesia Romana inexhausta in omnibus bonis fœcunditate. De bonis spiritualibus non erit sermo; Ecclesiæ Romanæ in hujusmodi bonis fœcunditas ex dictis jam satis est nota. — Sed et in bonis temporalibus Ecclesia inexhausta est fœcunditate. Quod si qua necessitas occurrat, nonne semper adstat Ecclesia Romana, ut omnibus opituletur in angustiis, et tanquam pia Mater omnibus opem ferat? Cujus sollicitudinis et fœcunditatis testes sunt tot institutiones et ordines religiosi, qui sine sui respectu, in sublevandis aliorum miseriis sese impendunt; qui neque impensis, neque laboribus, neque molestiis parcunt, ut proximo succurrant; quorum etiam membris mori lucrum est, ut alios corporaliter et spiritualiter salvos faciant. Sed hæc tanta in omnibus bonis fœcunditas, quæ in sola Ecclesia Romana cernitur, ex alio fonte scaturire nequit, nisi ex speciali Spiritus Sancti inspiratione; unde et ipsa divinitatis Ecclesiæ invictum est argumentum.

305. — 3. **Catholica unitas.** — Per universum orbem terrarum diffunditur Ecclesia Romana; omnes tamen fideles in fide, in cultu, in regimine cor unum et animam unam efficiunt. Hæc autem catholica unitas est splendidissimum divinæ providentiæ miraculum, et divinitatis Ecclesiæ Romanæ irrefragabile testimonium.

Pro nativa enim mentis humanæ superbia et voluntatis imbecillitate, nunquam naturaliter fieri potest, ut ingens hominum multitudo, qui ætate, indole, ingenio, patria, et præconceptis opinionibus sunt diversi, in aliquod doctrinale systema, quod incomprehensibilia continet dogmata et gravia imponit præcepta, ita sponte et perfecte conspirent, ut una sit omnium cordis consensio, una omnium mentis sententia.

Nunquam fieri potest, pro hominum nativo novitatis et singularitatis studio, ut tanta multitudo in eumdem cultum Supremo Numini reddendum naturaliter conspiret, nisi vi externa coerceatur.

Numquam præsertim naturaliter fieri potest, ut homines diversorum regnorum, qui amore patrio diversa sapiunt, eidem et quidem extraneo sponte sese subjiciant capiti, a cujus nutu ita perfecte pendeant, ut in nulla re ei contradicant.

Jamvero totius mundi fideles, ac proinde ingens multitudo ætate, ingenio, indole, patria, præconceptis opinionibus diversa, in fidem et cultum ita conspirant, ut omnium sit unum velle et unum nolle; et ad hanc unitatem efficiendam sufficit medium omnino impar, vox senis inermis, Supremi Pontificis, quem omnes ut Superiorem agnoscunt et ut Patrem venerantur. Hæc Ecclesiæ Romanæ miranda unitas, cum nullis causis naturalibus adscribi possit, in supernam refundenda est Dei assistentis providentiam, quæ omnium fidelium animos in eamdem reducit sententiam, in eadem confirmat erga Supremum Pastorem obedientia.

306. — 4. **Invicta stabilitas.** — Argumentum ductum ex Ecclesiæ stabilitate, ad ejus divinam originem probandam, idem est atque illud, quod in superiori tractatu pro divinitate religionis christianæ probanda fuit allatum. Recole igitur dicta n. 139.

307. — **Conclusio.** Ecclesia igitur Romana, sive in intrinseca sua constitutione, sive in suis proprietatibus, sive in seipsa consideretur, divino conspicitur obsignata sigillo, et deprehenditur esse illa supernaturalis societas quæ, a Christo Domino fundata, officium accepit salutiferum Redemptionis opus ad finem usque mundi et ad extremos usque terræ limites continuandi.

Ecclesia Romana est ergo illa sponsa dilectissima, pro qua Christus seipsum tradidit, *ut illam sanctificaret... ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi: sed ut sit sancta et immaculata* (Eph. V, 26, 27).

Ecclesia Romana est ergo corpus illud mysticum, quod Capiti Christo semper conjunctum, vitali influxu gratiæ et vitæ supernaturalis effusione jugiter alitur. Ecclesia igitur nunquam senescit, semper juvenescit.

Ecclesia Romana est ergo illa civitas sancta Jerusalem, quæ, super fundamentum Apostolorum posita, « usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam potest subverti: tentari, non superari. » (*S. Hieronym. In Amos, in fine*). — Ipsa est, quæ salutis media sola possidet, et extra quam nemini speranda est salus.

Ecclesia Romana demum sola est, cui jure divino omnes insunt prærogativæ, omnia jura, omnia charismata, quæ Christus, sicut in prima parte tractatus dictum est, in Ecclesia sua inesse voluit.

Concludamus ergo verbis *S. Augustini:* « Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus: illum sicut Patrem, istam sicut matrem. » (*Sermo 2 in Ps. 88, n. 14*). — Et: « Sanctam Ecclesiam, matrem vestram, tanquam supernam Jerusalem, sanctam civitatem Dei, honorate, diligite, prædicate. Ipsa est quæ fructificat in hac fide, quam audistis, et crescit in universum mundum, quæ malos in fine separandos, a quibus interim discedit disparilitate morum, tolerat in communione Sacramentorum. » (*Serm. 214, in trad. symb., n. 11*).

CAPUT II.

DE PERPETUITATE PRIMATUS PETRI IN ROMANIS PONTIFICIBUS [1].

308. — Duæ principaliores quæstiones in hoc capite solvendæ occurrunt. Prima, dicendorum basis et fundamentum,

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.*, P. III, c. 8.

hæc est, videlicet, *Utrum Christus voluerit B. Petrum habere successores in primatu;* seu an ex Christi institutione primatus in Ecclesia perpetuus esse debeat. Qua soluta quæstione, quæretur secundo: *an Romani Pontifices sint jure divino Petri successores in primatu.*

Primatus perpetuitatem in Romanis Pontificibus negant:

a) Protestantes, qui non solum primatus institutionem in persona Petri negant, sed etiam docent B. Petrum Romam nunquam advenisse, ac proinde Romanos Pontifices nullo sub respectu dici posse Petri successores.

b) Græci schismatici, qui Romanum Pontificem tanquam Petri successorem in Episcopatu agnoscunt, auctoritatem vero in universalem Ecclesiam, quam ille sibi nunc attribuit, non ex Christi institutione, sed ex Conciliorum concessione, repetunt.

c) Febronius ejusque sequaces, qui primatum Romanis Pontificibus concreditum esse dicunt non jure divino, sed vel ab ipso Petro, vel ab Ecclesia; ex quo illud deducit *Febronius,* quod videlicet « sicut per rationes convenientiæ, humana auctoritate, romanæ urbis antistiti sacer primatus creditus fuit; sic et ex rationalibus motivis, auctoritate Ecclesiæ eumdem ad alium Episcopum, e. gr. mediolanensem, parisiensem, transferri posse. » *(De statu Eccl., c. II, § 3).*

309. — Prop. I. *Primatus Petri ex Christi institutione jugiter in Ecclesia perdurare debet.*

De fide, ex Vatic. Const. *Æternus Pater,* c. II: « Quod autem in B. Apostolo Petro princeps Pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quæ fundata super Petram ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. » — « Si quis igitur dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut B. Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores;... anathema sit. »

Prob. I. Ex institutione Christi, primatus est de essentiali Ecclesiæ constitutione (n. 184). Quod autem est de essentiali alicujus societatis constitutione, illud tamdiu durare debet, quamdiu perdurat ipsa societas. Cum igitur Ecclesia sit indefectibilis, et ad finem usque mundi duratura, primatus ex Christi institutione ad finem usque mundi perdurare debet.

II. Primatus est fundamentum in quo, *ut ait Vaticanum*, totius Ecclesiæ vis ac soliditas consistunt: est petra angularis, super quam Christus suam ædificavit Ecclesiam. Sed fundamentum et petra angularis tamdiu durare debent quamdiu ædificium, quod eis superstruitur. Ergo ex Christi institutione primatus in Ecclesia semper durare debet.

III. Primatus est a Christo institutus tanquam principium et centrum ecclesiasticæ unitatis. Atqui Ecclesia ad finem usque mundi una sit, oportet. Ergo ex institutione Christi, primatus, unitatis principium, in Ecclesia jugiter etiam perseverare debet. « Ejusmodi autem principatum, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII.* quoniam constitutione ipsa temperationeque Ecclesiæ, velut pars præcipua, continetur, videlicet ut principium unitatis ac fundamentum incolumitatis perpetuæ, nequaquam cum Beato Petro interire, sed recidere in ejus successores ex alio in alium oportuit. » *(Enc. Satis cogn.).*

IV. Christus, dum dixit Petro: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (Joan. XXI), ei omnes fideles, absque limitatione loci vel temporis, pascendos commisit. Verum, ut Petrus in carne propria jugiter vivat, et Christi ovile ad finem usque mundi ad pascua ducat, omnino fieri nequit. Debet igitur ex Christi institutione in suis successoribus vivere et gregi invigilare: « Manet dispositio veritatis, *ait S. Leo*, et B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit: perseverat videlicet Petrus et vivit in successoribus suis. » *(Serm. II de anivers. assumpt. suæ).*

Conclusio. « Quod Dominus Petro dicit *(Tu es Petrus*, etc.), *ait S. Alph.*, profecto omnibus etiam ejus successoribus dixit, namque, ut observat S. Augustinus *(Sermo 295, c. 2)*, potestas Pastoris universalis non fuit Petro propter ipsum collata, sed propter Ecclesiam ab ipso regendam; et ideo potestas in Ecclesiam ita Petro conferri debuit, ut ad omnes Pontifices successores pertransiret, et Ecclesia usque ad consummationem sæculi permansura recte regeretur, unitasque ejus usque ad finem conservaretur. » *(Diss. de Rom. Pontif. § 1).*

310. — Prop. II. *Romani Pontifices, ipsique soli, sunt Petri successores in primatu.*

NB. Romanus Pontifex considerari potest, vel tanquam Episcopus illius particularis Ecclesiæ, quæ est romana diœcesis: vel tanquam primas, possidens auctoritatis plenitudinem in universalem Ecclesiam. Sensus igitur propositionis est: illos, qui occupant cathedram romanam tanquam legitimi Episcopi romanæ diœcesis, illosque solos, esse Petri successores in primatu.

Prop. est *de fide* ex Conc. Florentino et Vaticano. Legimus in Vaticano *(Const. Pastor Æternus, c. II)*: « Qui (Petrus) ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis sanctæ Romanæ Sedis, ab ipso fundatæ ejusque consecratæ sanguine, vivit et præsidet et judicium exercet. Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is, secundum Christi ipsius institutionem, primatum Petri in universalem Ecclesiam obtinet... Si quis ergo dixerit,... Romanum Pontificem non esse B. Petri in eodem primatu successorem, anathema sit. » — Et in cap. 3, addit: « Quapropter, apertis innixi Sacrarum litterarum testimoniis, et inhærentes tum prædecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus œcumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christifidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. »

Prob. I. **Argumento præscriptionis.** B. Petrus, ut dictum est (n. 309), successores in primatu habere debet. Nisi ergo dicere velimus, explicitam illam Christi voluntatem inefficacem remansisse, ejusque Ecclesiam funditus corruisse, Petri successores in Ecclesia jugiter exstitisse fateamur, necesse est. Atqui, si excipias romanæ sedis Episcopum, nullus unquam sese Petri successorem commendavit: neque ullus, præter romanum Pontificem, a fidelibus ut Petri successor in primatu unquam fuit agnitus. Ex quo manifeste constat, tam pastoribus quam populo, a primis jam Ecclesiæ temporibus illud fuisse persuasissimum, eos scilicet solos, qui Petro succedant in sede romana, eidem in primatu succedere posse.

II. **Ex conditione successionis.** Ille, et ille quidem solus, qui conditionibus successionis pro primatu satisfacit,

verus et legitimus est successor Petri in primatu. Atqui Episcopi romanæ sedis, et ipsi quidem soli, conditionibus pro successione primatus satisfaciunt. Ergo ipsi soli sunt Petri successores in primatu.

Major patet: *probatur minor*. Cum primatus ad essentialem Ecclesiæ constitutionem pertineat, modus transmissionis primatus, Petro adhuc vivente, determinari, et ab Ecclesia cognosci debuit, ut, Petro emortuo, legitimus ejus successor ab omnibus statim agnosci posset. Hæc autem determinatio fieri debuit vel aliquo decreto Petri, aut decreto Ecclesiæ una cum Petro: vel aliquo facto ipsius Petri. Atqui de decreto nulla existunt vestigia: quod tamen si latum esset, Ecclesiæ notum esse deberet, quippe quæ rem tanti momenti, qualis est conditio transferendi supremam auctoritatem, ignorare non possit.

Restat igitur, ut modus successionis sit aliquo facto originali ipsius Petri determinatus: quod factum, sicut testatur tota traditio, non est aliud nisi sedis romanæ electio facta a B. Petro pro sede sua episcopali, in qua ipse ut Episcopus sedit, et usque ad mortem permansit, et cui jura primatus ita adnexuit ut, et Episcopatus cathedræ romanæ atque primatus non re, sed ratione tantum differrent; et primatus sit ipse Episcopatus romanus suprema capitis dignitate auctus; et successor Petri in Episcopatu, ipso facto ei succedat in primatu [1]. Sicuti, v. gr., Patriarchatus sedis Antiochenæ est ipse Episcopatus antiochenus dignitate patriarchali condecoratus, ita ut, qui creatur Episcopus antiochenus, eo ipso Patriarchatus dignitatem accipiat. Conditio igitur successionis pro primatu, est legitima successio in sede episcopali romanæ diœcesis; ex quo patet solos Romanos Pontifices conditionibus pro primatus hæreditate satisfacere, atque ipsos solos esse Petri successores in primatu.

Ad hanc rationem provocat *Vaticanum* dicens (c. II): « ... Romanæ sedis, ab ipso fundatæ ejusque consecratæ sanguine... Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is, secundum Christi ipsius institutionem, primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. »

[1] Cf. *Theol. Conc. Vatic.*, Coll. Lac. p. 613, n. 31.

Eumdem romanum Episcopatum Petri exhibet tota traditio, tanquam fundamentum successionis apostolici primatus; unde Concilia et Patres Sedem Romanam sedem Petri, cathedram Petri, sedem apostolicam jugiter nominant.

III. **Ex Traditione**[1], cujus testes sunt: A. — *Concilia.* Præter Florentinum et Vaticanum, quæ rem expressis verbis definierunt, Concilia Nicænum I, Chalcedonense, Constantinopolitanum III, et Lateranense IV, eumdem Pontificis romanæ sedis primatum affirmant. — Legimus in Later. IV: « Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote universorum Christi fidelium mater et magistra .»

B. — *Patres,* qua Græci qua Latini; quos fere omnes in testimonium afferre integrum nobis foret.

Ait *S. Irænеus:* « Ad hanc enim Ecclesiam (romanam) propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles. » *(Cont. hær., l. III, c. 3.)* — *S. Cyprianus:* « Navigare audent ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta est. » *(Ep. 55 ad Cornel. Pap.).* — *S. Augustinus:* « In Ecclesia Romana semper apostolicæ cathedræ viguit principatus. » *(Ep. 33).*

C. — *Romani Pontifices,* quorum testimonium, etsi in propria causa judicium proferant, validissimum tamen est supremæ suæ potestatis argumentum. Cum enim, nemine reclamante, sed omnibus obtemperantibus, in universalem Ecclesiam supremam potestatem sibi semper vindicaverint, recte inferimus, universam Ecclesiam in Romano Pontifice supremam B. Petri potestatem semper agnovisse.

S. Julius I, in Epist. ad Orientales, ait: « An ignari estis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri possit. » — *S. Damasius,* in Ep. 4 ad Episc. Numidiæ, scribit: « Cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos tanquam ad caput, ut semper fuit consuetudo, deferre non desinatis. »

[1] Cf. Bellarm. l. II, c. 13 et seq.; Cercia, l. II, sect. II, lect. 4.

Plura testimonia vide apud Bellarm., l. II, c. 14, — et Bouix, *De Papa*, t. I, p. 99 et seq.

IV. **Ex factis ecclesiasticis.** Facta testantur, Romanæ Sedis Episcopos a primis temporibus supremam auctoritatem in universalem Ecclesiam tenuisse, et Ecclesiam eosdem ut legitimos superiores semper agnovisse. Etenim:

a) Romani Pontifices quovis tempore in toto orbe Episcopos, etiam patriarchali dignitate auctos, instituerunt, confirmarunt, deposuerunt, vel restituerunt. Neque unquam Ecclesia aliquem Episcopum a Romano Pontifice depositum aut non approbatum, pro legitimo pastore habuit.

b) R. Pontifices pro toto cœtu fidelium leges semper tulerunt, quibus omnes, cum fideles tum Episcopi et Reges, sese adstringi pro certo habuerunt.

c) In omnes mundi regiones, tanquam in provincias sibi subditas, legatos et vicarios miserunt, qui majora negotia suo nomine tractarent, et lites componerent; quos tum fideles tum Episcopi tanquam supremæ auctoritatis ministros honore prosecuti sunt.

d) De omni Episcoporum judicio ad R. Pontificem appellare in Ecclesia semper licitum fuit; nunquam vero concessum fuit a R. Pontificis sententia ad aliud tribunal appellare.

e) R. Pontifex de omni re semper judicare potuit; ipse vero a nemine unquam potuit judicari: « Prima sedes a nemine judicatur », aiunt Patres Conc. Sinnessani. Et in Conc. Romano, sub Adriano II. legimus: « R. Pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus judicare legimus; de eo vero quemquam judicasse non legimus. »

Quæ omnia invicte probant, ab universa Ecclesia solos Romanos Pontifices pro legitimis B. Petri successoribus in primatu semper fuisse habitos [1].

311. — Prop. III. *Romani Pontifices sunt jure divino B. Petri successores in primatu* [2].

[1] Cf. Bellarm. l. II, c. 19 et seq. — [2] Cf. Palmieri, *De R. Pontif.*, P. I, c. 2, th. 8 et 9; Cercia, l. II, sect. II, lect. 6 et 7.

NB. Propositio duplicem in sensum accipi potest: primo, quæri potest, utro jure, divinone an ecclesiastico, Romanus Pontifex, satisfaciens conditioni successionis, primatum obtineat; — secundo, quonam jure R. Pontifices præ cæteris electi sint tanquam successores B. Petri in primatu; seu quonam jure primatus, Episcopatui romano potius quam alteri Episcopatui, v. gr., Antiocheno vel Alexandrino, alligatus sit.

I. Propositio *priori sensu* intellecta est *de fide*, ex Vatic. c. II, « Quicumque in hac cathedra Petro succedit, is, secundum Christi ipsius institutionem, primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. » Et cap. III: « Credendum ab omnibus fidelibus est... ipsi (R. Pontifici) in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernardi universalem Ecclesiam a D. N. J. Ch. plenam potestatem traditam esse. »

Enimvero, ut supremam auctoritatem jure divino Romani Pontifices obtineant, nihil aliud requiritur, nisi ut successio primatus in Petri successoribus sit a Christo instituta, et Romani Pontifices conditioni successionis satisfaciant: quæ duo ita se habere jamdudum probatum est.

Accedit traditio: « Sancta Romana Ecclesia, *(ait S. Gelasius, in Conc. Rom. anno 494)*, nullis synodicis constitutis, cæteris ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit. » — *Julius Papa*, ad Orientales scribens, eos sic alloquitur: « Decuerat vos fratres adversus sanctam romanam et apostolicam ecclesiam limate et non ironice loqui: quoniam et ipse Dominus noster J. Ch. eam decenter allocutus, ait: *Tu es Petrus... et tibi dabo claves regni cælorum.* Habet enim potestatem singulari privilegio concessam, aperire et claudere januas regni cælestis quibus voluerit. » — Et *S. Nicolaus*, ad imperatorem Michaelem scribens, ait: « Non Nicæna, non denique ulla synodus quodquam Romanæ contulit Ecclesiæ privilegium; quæ in Petro noverat eam totius jura potestatis pleniter meruisse, et cunctarum Christi ovium regimen accepisse. »

II. Propositio, *posteriori sensu* intellecta, de fide non est; sed est *communis* Patrum et theologorum sententia. Non desunt quidem theologi qui doceant, Christum B. Petro facultatem dedisse, quamcumque vellet, eam eligendi sedem, cui jura primatus adnecteret. Alii vero, traditione innixi, docent Christum Petro mandatum dedisse ut Romam veniret, ibique collocaret sedem suam, cui primatum adnecteret, ita ut Romani

Pontifices jure divino immediate sint præ cæteris tanquam Petri successores in primatu electi.

Quam sententiam, utpote traditioni magis conformem, sequimur. « Deus ipse, *ait Bellarminus* [1], jussit Romæ figi Apostolicam Petri sedem: quæ autem jubet Deus, mutari ab hominibus non possunt. Id autem Deum jussisse testatur B. Marcellus Papa et Martyr in Epistola ad Antiochenos; ubi dicit Petrum, jubente Domino, Romam sedem suam ex Antiochia transtulisse. Testatur etiam B. Ambrosius in oratione de tradendis basilicis, ubi refert Christum omnino voluisse, ut Petrus Romæ moreretur. Et ideirco ei fugienti dixisse: venio Romam iterum crucifigi. Quod est manifestum signum, Deum voluisse per mortem Petri Romæ firmari ejus sedem. » — Petrus igitur venit Romam, non voluntate humana, sed, ut refert *Eusebius* [2]: « disponente Dei providentia, quæ elegerat Romam tanquam Petram, super quam constitueretur Ecclesia. »

312. — Prop. IV. *Primatus Petri ita est romanæ cathedræ indissolubiliter alligatus, ut ad alteram sedem transferri nequeat.*

NB. 1. Propositio ut intelligatur, probe distinguenda sunt hæc tria: *sedes, titulus* et *residentia*. — *Sedes* dicitur locus, ubi aliqua Ecclesia fuit fundata; v. gr., sedes Antiochena, Alexandrina; — *titulus* est nomen ipsius ecclesiæ, a qua sedes nomen sortitur; v. gr., Episcopus Antiochenus, Alexandrinus; — *residentia* est commoratio in eo loco, ubi munera pastoralia sunt peragenda.

2. Ad supremi Pontificatus a sede romana inseparabilitatem quod attinet, triplex datur sententia. Prima est *Febronii*, qui docet primatum ab Ecclesia, etiam absque R. Pontificis consensu, ad aliam sedem transferri posse (Cf. n. 308). Cujus sententia in Syllabo, prop. XXXV, proscripta est: « Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri. »

Secunda est quorumdam veterum theologorum, quos refert Cercia [3]; hi docent: primatum, utpote humana Petri auctoritate sedi romanæ alligatum, auctoritate R. Pontificis in aliam sedem posse trans-

[1] *De Rom. Pont.* l. IV, c. 4; cf. Coll. Lac. p. 293. — [2] *Hist. eccl.* l. II, c. 24, — [3] Sect. II, lect. 6.

ferri. — Quæ sententia, licet formaliter non sit condemnata, non posset tamen absque summa temeritate post Vaticanum Concilium teneri.

Tertia, et omnino tenenda sententia, docet: Summum Pontificem posse quidem extra Romanam Ecclesiam residere, sicut accidit dum S. Pontifices Avenione manserunt; primatum tamen adeo indissolubiliter esse romanæ sedi adnexum, ut ne auctoritate quidem ipsius Papæ in aliam sedem transferri, aut alterius civitatis Episcopus primatum obtinere valeat [1].

Prob. prop. I. **Ex definitionibus fidei.** Definitum est in Conc. Florent. et Vatic., Romanum Pontificem, eum scilicet Episcopum, qui sedet in cathedra a B. Petro fundata et ejus sanguine consecrata, esse B. Petri successorem in primatu. Atqui, quod est de fide, semper erit de fide. Ergo semper de fide erit, R. Pontificem esse Petri successorem in primatu. Primatus igitur, ut a romana sede divellatur, omnino fieri nequit.

II. **Ex verbis Conc. Vaticani.** Illud affirmat Vaticanum (cap. II), quod videlicet: *quicumque in hac cathedra Petro succedit, is, secundum Christi ipsius institutionem, primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet.* Quibus constat, primatum episcopali Petri cathedræ *jure divino*, saltem consequente factum Petri, esse adnexum. Atqui, quod est de jure divino, ab hominibus mutari nequit. Sicut igitur nemo efficere potest ne Pontifex Romanus Petro in sede episcopali succedat, ita nemo etiam, ne is Petro in primatu succedat, efficere potest.

Præterea, legimus in eodem Vaticano *(loc. cit.): B. Petrum ad hoc usque tempus et* semper *in suis successoribus, Episcopis sanctæ Romanæ Sedis, vivere et præsidere.* Sin autem ad hoc usque tempus Petrus vixit et *semper* vivet in Romanæ Sedis Episcopis, ideirco primatus a Sede Romana nulla auctoritate separari potest.

III. **Ex factis historicis.** Tempora persæpe fuerunt difficillima, quibus Romæ contra Summos Pentifices diræ exarserunt persecutiones, et quibus proinde opportunum fuisset primatum ad aliam sedem transferri. Ast de hujusmodi translatione nec Pontifices nec populi fideles unquam cogitaverunt.

[1] S. Alph., *Ver. fid.* P. III, c. 8, n. 8.

Plures Pontifices Romæ nunquam habitaverunt, titulum tamen Ecclesiæ Romanæ nunquam abdicaverunt.

Innumera exorta sunt schismata et hæreses, quæ a Romanis Pontificibus condemnata fuerunt: quorum damnationem ut eluderent, schismatici et hæretici omni ope atque opera semper enixi sunt; ast primatum alteri sedi adscribere nunquam attentarunt. — Quæ omnia invicto sunt testimonio illud omnibus semper fuisse persuasissimum, primatum videlicet a Sede Romana separari nequaquam posse.

313. — **Quæritur I.** *Quid de primatus successione futurum esset, si everteretur Roma, et romana diœcesis destrueretur?*

Resp. Si Urbs et romana diœcesis destruerentur, titulus tamen illius sedis cum vero jure eam Ecclesiam, si existeret, gubernandi, semper remaneret; sicuti remanent tituli multarum Ecclesiarum, quarum titulares olim *in partibus infidelium*, hodie vero *Episcopi titulares* vocantur. Unde, cui titulus hæreditate obveniret cum jure romanæ diœcesis, si existeret, gubernandæ, is foret Petri successor in Episcopatu, ac proinde etiam in primatu, et totius Ecclesiæ gubernandæ auctoritatem obtineret. — Sed cum Ecclesia, quam nunquam perituram fide credimus, cum Ecclesia Romana identificetur, ideo affirmare possumus civitatem Romam nunquam ita esse perituram, ut nulla amplius in ea diœcesis existat.

314. — **Quæritur II.** *An Christus circa modum personam cujusque Pontificis eligendi aliquid determinaverit.*

Resp. *Negative.* — Christus modum personas designandi, quæ B. Petro succedere debent, summæ auctoritati Ecclesiæ determinandum reliquit. Idcirco, mutatis circumstantiis, a S. Pontifice, si hoc pro Ecclesiæ utilitate opportunum visum fuerit, modus electionis mutari potest. — Licet autem electio sit factum humanum, persona tamen electa non jure humano, sed jure divino primatum obtinet, quia non ab electoribus, sed a Christo immediate supremam accipit auctoritatem. Ex quo sequitur, eamdem supremam jurisdictionis potestatem, quæ a Christo immediate B. Petro collata fuit, immediate etiam cuilibet Pontifici in instanti suæ electionis conferri, atque ipsam per nullum actum alicujus Pontificis pro suis successoribus minui posse.

CAPUT III.

DE NATURA SACRI APOSTOLICI PRIMATUS [1].

315. — Postquam Concilium Vaticanum in sua Constit. *Pastor æternus, Cap. 1 et 2.* ea definierat, quæ ad primatus in B. Petro institutionem (n. 184) atque ejus in Romanis Pontificibus perpetuitatem pertinent (n. 299), cap. III, naturam et proprietates primatus, et cap. IV, infallibilitatis prærogativam eidem primatui divinitus adnexam, explicat et definit. Hæc quæstio de primatus natura et infallibilitate, nostris temporibus, propter grassantes errores, maximi est momenti, « quoniam, ut ait Vaticanum, *(loc. cit. procm.)*, portæ inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam, contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt. »

Quo melius igitur vaticanarum definitionum vis et opportunitas perspiciantur, in art. I. errores, ad quos profligandos Vaticanum sua edidit decreta, breviter exponentur; in art. II. vis et ratio apostolici primatus, duce Vaticano, dilucidabuntur; et in art. III. Romani Pontificis infallibilitas stabilietur. Quibus prælibatis, in art. IV. de Relationibus S. Pontificis ad Episcopos et Concilia quædam addentur.

ARTICULUS I.

ERRORES CONTRA APOSTOLICUM PRIMATUM [2].

316. — Novam (ut innuimus n. 178, 5), Richerius doctrinam de aristocratica Ecclesiæ regiminis forma atque de ecclesiasticæ potestatis origine in medium protulit. Christus, inquit, potestatem juris-

[1] Cf. S. Alph. *Vindiciæ pro suprema Pontificis potestate adv. Febronium* (in opere Jules Jacques, *du Pape et du Concile*); *Dissert. de Rom. Pontificis auctoritate.* (Mor. l. 1, Tr. II, n. 110); *Ver. fid.* P. III, c. 9. — [2] Cf. Coll. Lac. p. 614 et 635; S. Alph. *Vindiciæ pro supr. Pontif. potest.*, c. I et VI (apud Jules Jacques, *Du Pape et du Concile*, p. 524 et 581); Cercia, Sect. III, lect. 1; Mazz. n. 949 et seq.

dictionis *prius, immediatius et essentialius* contulit Ecclesiæ, a qua in Romanum Pontificem transfertur, quem proinde Ecclesiæ *ministrum*, Ecclesiæ *Caput ministeriale* vocat. — Docet præterea, Episcopos æqualem cum Papa, et independenter ab eo, potestatem jurisdictionis in proprios suos subditos habere.

Quibus ex principiis Regalistæ, Febroniani, Jansenistæ et Pistorienses, sequentes deducunt conclusiones:

1. Romanus Pontifex, si ut Episcopus romanæ diœcesis consideratur, in sua diœcesi veram habet jurisdictionem in suos subditos, non secus ac quilibet Episcopus in propria sua diœcesi; sin vero consideratur *ut Summus Pontifex*, cum primatum unice tanquam Ecclesiæ minister atque ejus delegatus gerat, ideo in alios Episcopos aut in eorum subditos nullam possidet potestatem jurisdictionis; sed in eos solum jus inspectionis et directionis obtinet, necnon officium invigilandi ut et Episcopi munera sua rite obeant, et Ecclesiæ canones serventur; vel ad summum, propter eam delegationem, quam ab Ecclesia ad eam repræsentandam accepit, potiores partes jurisdictionis, nullatenus vero jurisdictionis plenitudinem, habet.

2. Papa igitur in aliorum Episcoporum subditos jurisdictionem habet neque immediatam, sed mediatam tantum, mediantibus scilicet propriis eorum Episcopis; neque ordinariam, sed extraordinariam tantum, ac proinde non potest semper et ubique, sed in quibusdam solum casibus extraordinariis, quando scilicet Episcopi ex negligentia suo desunt officio, quoslibet fideles immediate regere et gubernare.

3. Cum Episcopi æqualem cum Papa, et independentem ab eo jurisdictionem in propriis suis diœcesibus possideant, idcirco S. Pontifex nec eorum jurisdictionem per casuum reservationem aut per ordinum religiosorum exemptionem coarctare, nec causas majores, aut causas ab Episcopis jam judicatas, ad suum tribunal revocare potest; neque Episcoporum instituendorum, confirmandorum, transferendorum aut deponendorum facultatem habet.

4. Papa, cum sit minister ab Ecclesia ad eam repræsentandam deputatus, superior quidem existit qualibet Ecclesia *distributive* sumpta, non autem tota Ecclesia *collective* sumpta. Qua de causa, si Ecclesia in Concilio est congregata, Papa nec ullam in eam jurisdictionem habet, cum ipsa sui repræsentanti subjici nequeat; nec Concilio existit superior, sed eidem plane subjicitur, atque ejus canonibus stricte ligatur, et cuique fideli integrum est a sententiis Papæ ad futurum concilium, tanquam ab inferiori ad superiorem, appellare.

5. Extra Concilium Papa leges disciplinares pro universali Ecclesia condere nequit, nisi gravis adsit necessitas, neque Concilium possit convocari; quo in casu Papa leges nomine Ecclesiæ proponat, necesse est; atque leges sic ab eo latæ vim non obtinent, nisi postquam Ecclesiæ consensus accesserit.

6. Papa Concilia generalia convocare non potest, nisi ex tacito Ecclesiæ et principum consensu; neque requiritur ut Papa per se vel per suos legatos Conciliis præsit, aut eorum decreta confirmet.

7. Cum plenitudo potestatis, cui infallibilitatis prærogativa annexa est, non in Papa, sed in Ecclesia resideat, prærogativa etiam infallibilitatis non in S. Pontifice, sed in cœtu Episcoporum residet.

317. — His nefariis principiis theologi aulici in Gallia, ut libertates, sicut aiebant, Ecclesiæ gallicanæ contra immoderatas ambitiones curiæ romanæ defenderent, plus minusve adhæserunt, atque ex eis eam hauserunt doctrinam, quam in declaratione, anno 1682, quatuor articulis sanxerunt. In art. I. Summo Pontifici omne jus indirectum in temporalia principum denegant; in II. Pontificem Romanum Concilio inferiorem declarant; in III. statuunt S. Pontificem in canonibus universalis Ecclesiæ dispensare non posse, sed ipsiusmet auctoritatem hisce canonibus esse moderandam; in IV. pronuntiant: « In fidei quæstionibus præcipuas S. Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. »

Hac declaratione evenit, ut civilis auctoritas, sub specie tuendæ libertatis Ecclesiæ gallicanæ, potestatem ecclesiasticam magna ex parte ad se traxerit: quandoquidem exinde nata est prohibitio communicandi cum Sede Apostolica absque venia civilis potestatis; prohibitio litteras apostolicas in Gallia publicandi atque executioni mandandi absque *placito regio;* exinde ortæ sunt appellationes, quæ vocantur *ab abusu.* id est, a judice ecclesiastico sua auctoritate abutente, ad judicem sæcularem provocatio; exinde alia multa, quæ libero et expedito pontificiæ potestatis exercitio obstant, ortum duxerunt.

ARTICULUS II.

DE VI ET RATIONE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

318. — **Referuntur verba Conc. Vaticani.** — Ut hæreticas Regalistarum et Febronianorum doctrinas in sua radice abscinderet, declaravit Conc. Vaticanum (cap. III), Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, ipsique a Domino immediate in B. Petro plenam traditam esse potestatem Ecclesiam universalem pascendi, regendi et gubernandi. « Innovamus, *inquit*, œcumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ec-

clesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. » — Et in cap. I. jam definierat B. Petrum « jurisdictionis primatum ab eodem D. N. Jesu Christo directe et immediate accepisse. »

Quo statuto principio Richerii doctrinæ plane opposito, primatus naturam Vaticanum explicavit.

« Docemus, *inquit, cap. III*, et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est, immediatam esse; erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. »... « Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, anathema sit. »

319. — Natura primatus. — Hisce verbis Conc. Vaticani definitur:

I. Quoad *naturam:* primatum R. Pontificis *esse potestatem episcopalis jurisdictionis.* Potestas autem episcopalis jurisdictionis, fatentibus adversariis, non est simplex officium inspectionis, directionis, vigilantiæ; sed est ex jure divino vera et proprie dicta auctoritas fideles sibi subditos pascendi, regendi et gubernandi; est auctoritas leges ferendi, judicandi et coercendi.

II. *Ratione modi:* primatum esse potestatem *ordinariam,* quæ habetur vi muneris, et in quosvis fideles non solum in casibus extraordinariis, sed semper, et omni loco, et tempore, et circumstantia exerceri potest; — et *immediatam,* quæ directe, absque proprii Episcopi interventu, in omnes fideles cujusvis diœcesis valide exerceri potest.

III. *Ratione gradus:* primatum esse potestatem *supremam*, qua nulla superior existit in Ecclesia; ac proinde concilium esse Papa inferius.

IV. *Ratione intensionis:* primatum esse potestatem *plenam*, ac proinde S. Pontificem non solum potestatis partes principaliores, sed omnimodam potestatis plenitudinem habere.

V. *Ratione objecti:* primatum esse potestatem non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent.

VI. *Ratione extensionis:* primatum esse potestatem *in universalem Ecclesiam;* non solum in Ecclesias vel pastores distributive, sed et collective sumptos, imo et in Concilio œcumenico adunatos.

320. — Prop. *Primatus Romani Pontificis est potestas episcopalis jurisdictionis, plena et suprema, ordinaria et immediata, in rebus fidei, morum, disciplinæ, et regiminis, in universalem Ecclesiam* [1].

De fide, ex verbis Vaticani n. 318 citatis.

Prob. I. **Argumento generali:** Primatus, qui jure divino in Romanos Pontifices transmittitur, idem est ac ille, qui fuit a Christo B. Petro collatus. Atqui primatus B. Petro collatus, est auctoritas episcopalis suprema et plena, ordinaria et immediata, docendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam (cf. n. 184). Ergo etiam in Romanis Pontificibus primatus in eadem auctoritate consistit.

Prob. II. per partes: 1. *Primatus est potestas episcopalis jurisdictionis. a)* Juxta S. Scripturas, traditionem, necnon ipsam adversariorum confessionem, potestas jurisdictionis episcopalis est jus subditos *pascendi, regendi, gubernandi*, secundum illud (1 Petr., V, 2): *Pascite qui in vobis est, gregem Dei.* - - (Act. XX, 28): *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Atqui eadem auctoritas in universalem Ecclesiam tradita est B. Petro, cui dixit Christus:

[1] Cf. Coll. Lac., p. 531; Granderath, p. 154.

Tu es Petrus, etc. — *Tibi dabo claves regni cœlorum*, etc. — *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (cf. n. 185 et seq.). « Eadem igitur (*ait Zinelli, Ep. Tarvisinus*)[1], quoad speciem est episcopalis potestas Episcoporum in singulis suis diœcesibus, et in Pontifice summo quoad omnes diœceses, cum hoc discrimine quod in Pontifice summo est in sua plenitudine, in aliis restricta; in summo Pontifice independens, in Episcopis dependens: in Episcopis coarctata ad suas diœceses, in Pontifice summo sine ulla limitatione loci. »

b) Ex Traditione. « Patres et Concilia, *scribit Pius VI*[2], tam ante quam post Gregorium M., inito velut inter se fœdere, R. Pontificem certatim appellarunt sacerdotem sacerdotum, patrem patrum, pastorem pastorum, Episcopum Episcoporum et Episcopum universalem. » — Tertullianus S. Pontificem appellat: *Episcopum Episcoporum*[3]: — legati S. Leonis M. in Conc. Chalcedon.: *Episcopum universalis Ecclesiæ*; — Conc. Constantin. III. œcum. VI. in Ep. ad Agathonem: *Antistitem universalis Ecclesiæ*: — Episcopi Africani ad Papam Theodorum: *Patrem patrum et summum omnium præsulum Pontificem*: — S. Bernardus, ad Eugenium III: *Pastorem pastorum.*

2. *Primatus est potestas plena.* Potestas plena ea dicitur, quæ ad omnia extenditur, a qua nulla pars ecclesiasticæ jurisdictionis subtrahitur, et a qua nemo se subducere potest. Atqui R. Pontifex in persona B. Petri positus est confirmator fratrum omnium, totiusque Ecclesiæ fundamentum; ipsi traditum est officium pascendi agnos et oves; ipsi soli commissæ sunt claves regni cœlorum; ipsi data est universalis ligandi solvendique potestas. Jamvero ex his manifestum est, S. Pontificis auctoritatem ad omnia munera ecclesiastica et ad omnes extendi personas, ac proinde plenam esse potestatem. — Ex quo illud etiam consequitur, eamdem videlicet potestatem ad omnes res fidei, morum, disciplinæ et regiminis extendi.

[1] In relat. *Vatic.*; Coll. Lac., p. 531. — [2] *Resp. ad episc. German.* — [3] *De pudicit.*, c. 1.

3. *Primatus est potestas suprema.* Primatus potestatem esse supremam, ex modo dictis sequitur; etenim, *ut ait S. Alphonsus* [1], « potestas plena nequit esse nisi suprema, absoluta, independens; alioquin plena dici non posset. »

Præterea, potestas suprema ea dicitur, qua nulla est superior, quæ ejus decreta infirmare valeat. Sed ex verbis Christi (Matth. XVI, 19): *Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis,* constat, Petri ejusque successoris decreta firma et rata esse in cœlis, nec proinde ab ulla creata potestate infirmari posse.

4. *Primatus est potestas ordinaria et immediata.* Sequitur ex dictis n. 1, de natura potestatis primatialis. Romanus enim Pontifex est pastor et Episcopus totius orbis christiani. Porro Pastor vi muneris commissum sibi gregem per se, immediate et quovis tempore, loco et circumstantia pascere et regere potest.

Potest igitur S. Pontifex, ut pastor proprius, in omnibus mundi diœcesibus, etiam invitis Episcopis, ea munera, quæ propria sunt Episcopo, adimplere, scilicet: « 1. administrare sacramenta; 2. leges ferre ad bonum fidelium; 3. executioni ipsarum invigilare sive per seipsum sive per delegatos; 4. et proinde visitare diœcesim; 5. prædicare; 6. judicare controversias; 7. punire sontes, etc. » *(Zinelli)* [2].

5. *Primatus est potestas in universalem Ecclesiam:* sequitur ex dictis. — *Quoad primatus potestatem in Concilium cf. n. 343.*

321. — **Objiciunt gallicani:** I. Si Papa potestatem episcopalem in omnes diœceses habet, exinde sequitur duos esse cujuslibet diœcesis Episcopos; sed hoc est summe inconveniens.

Respondet Em. Pie, ep. Pictaviensis [3]: « Neque dicatur, inde duos nasci ejusdem Ecclesiæ Episcopos: *Inconveniens est,* ait B. Thomas [4], *si duo æqualiter super eamdem plebem constituantur, si autem inæqua-*

[1] *Vindic.,* c. IV, §. 1, p. 554. — [2] *In relat. Vatic.,* Coll. Lac., p. 351. — [3] *In relat. Vatic.,* Coll. Lac., p. 295; cf. SS. D. N. Leonem XIII, Encycl. *Satis cognit.,* versus fin. — [4] IV *Sent.,* D. XVII, q. 3, a. 3, q. 5, ad 3.

liter, non est inconveniens; et secundum hoc super eamdem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis, et Episcopus, et Papa. Ratio est quia quando duæ causæ, etiam totales, non sunt ejusdem ordinis, sed una alteri subordinatur, et sunt invicem connexæ, non se mutuo excludunt nec confusionem pariunt: sicuti actio Dei in eo quem adhibet concursum, non excludit nec perturbat actionem causarum secundarum.

« Papa igitur, utpote supremus et universalis pastor et Ecclesiæ Episcopus, nullo prorsus modo officit, quin proprius ecclesiæ particularis ordinarius, ejusdem Ecclesiæ nominetur et sit verus sponsus et Episcopus; sicut et sacerdotis parochialis titulus ordinarius, superiori et universaliori auctoritati antistitis in totam suam diœcesim nihil detrahit: etsi bonus ordo postulet respectivas singulorum attributiones non sine causa et discretione turbari et intermisceri, quod ab omnibus admittitur. »

322. — Obj. II. Si Summi Pontificis auctoritas est ordinaria et immediata, potestati Episcoporum, quos Spiritus Sanctus posuit regere immediate ecclesias sibi commissas, præjudicium infert.

Respondet Vaticanum (cap. III): « Tantum autem abest ut hæc S. Pontificis potestas officiat ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud S. Gregorii Magni: Meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. »

Igitur ordinaria et immediata S. Pontificis potestas, cum sit potestas ejusdem speciei, altioris tamen gradus et ordinis, ac potestas ordinaria Episcoporum, idcirco potestati Episcoporum nullum infert præjudicium; e contra, eam asserit, roborat et vindicat.

Eam asserit: Cum ordo Episcoporum divinitus sit institutus, ut sub dependentia a suprema potestate finem Ecclesiæ promoveat, primatus episcopalem ordinem conservare et tueri, Episcopisque participationem suæ potestatis communicare tenetur; ipse præterea Episcopis tribuit unde suam apostolicitatem conservare et probare valeant: hæc enim in Episcopis nonnisi dependenter a primatu conservari potest (cf. n. 284).

Eam roborat: Primatus Episcopos in iis adjuvat, ad quæ eorum potestas non extenditur, ut sunt generales ordinationes circa fidem et mores, et disciplinam generalem; præterea, primatus omnes Episcopos in se, tanquam in centro unitatis, coadunat, ut corpus unum efficiant, et conjunctis viribus ad communem Ecclesiæ finem adlaborent.

Eam vindicat: Primatus Episcoporum jura, speciatim contra injustas invasiones ex parte civilis auctoritatis, protegit et tuetur. « Romani Pontifices, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* officii sui memores,

maxime omnium conservari volunt quidquid est in Ecclesia divinitus constitutum: propterea quemadmodum potestatem suam ea qua par est cura vigilantiaque tuentur, ita et dedere et dabunt constanter operam ut sua Episcopis auctoritas salva sit.» *(Enc. Satis cogn.).*

323. — Corollaria. Ex dictis sequitur: I. Summum Pontificem cum omnibus fidelibus libere communicandi jus habere, ejusque constitutiones placito regio subjici non posse.

«Porro, *inquit Vaticanum, cap. III,* ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universalem Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur.»

II. Omnes causas ecclesiasticas ad tribunal S. Pontificis revocari posse; ab ipsius autem judiciis non licere ad Concilium appellare.

«Et quoniam, *inquit Vaticanum, cap. III,* divino apostolici primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; Sedis vero Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.»

324. — Quæritur I. *Quomodo Papa de novo electus supremam accipiat potestatem.*

Resp. In electione S. Pontificis duo sunt consideranda: *designatio personæ:* hæc fit ab Ecclesia secundum regulas a jure canonico præscriptas; et *collatio potestatis:* hæc fit non ab Ecclesia, sed ab ipso Christo, non nova collatione, sed antiqua illa collatione, qua prius suprema potestas B. Petro fuit concessa. « Quum Papa eligitur, *ait Cajetanus*[1], neque claves

[1] *De Rom. Pontif. instit.,* c. III, ad 4.

secum affert, neque ab Ecclesia illas accipit: sed a Christo, non nova traditione sed antiqua illamet, qua tradidit Petro: Ecclesia siquidem ministerio electionis personam deputat, quæ Petro succedat: Christus autem ipse in B. Petro cuilibet successori claves tradidit, et propterea vana est quæstio, a quo accipiat, aut cui relinquat moriens: verbum enim semper vivum dat claves cuilibet succedenti, et non unus alteri relinquit.»

325. — Quæritur II. *An Summus Pontifex et Concilium sint duo subjecta supremæ potestatis* [1].

Resp. Concedunt omnes catholici supremam potestatem in S. Pontifice in se spectato residere; et eamdem residere in Concilio œcumenico legitime congregato. — Jamvero nonnulli dicunt Papam et Concilium duo esse subjecta supremæ potestatis, non adæquate, sed inadæquate tantum distincta: unum est Summus Pontifex in se spectatus; alterum est collegium omnium Episcoporum cum S. Pontifice conjunctorum, sive sint in Concilio congregati, sive per orbem dispersi.

Alii vero, quibus assentimur, absolute dicunt unicum esse in Ecclesia subjectum supremæ potestatis, S. Pontificem, qui ad collegium Episcoporum suam supremam potestatem extendit, et unicum cum eo efficit subjectum, licet magis extensum. Congregato Concilio, «evenit, *ait S. Alphonsus* [2], quod eadem auctoritas suprema Papæ ad alios Concilii Patres extenditur, et communis efficitur; ac ideo tunc bene omnes dicere valent: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Verumtamen salvum semper remanet, quod suprema potestas in Papa residet.»

ARTICULUS III.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE [3].

326. — Referuntur verba Conc. Vaticani. Cum potestas docendi præcipua sit in Ecclesia, in suprema primatus potestate necessario

[1] Cf. Coll. Lac., p. 357; Granderath, p. 223, nota. — [2] *Vindic.*, c. 8, obj. 3; cf. *Ver. fid.*, c. 9, n. 25 (II, p. 216). — [3] Cf. S. Alph. *Diss. de Rom. Pontif. auctor.* § 1; *Ver. fid.* P. III, c. X; *Vindic.* passim.; Bellarm. *De Rom. Pontif.* l. II; Cercia, l. II, sect. 4; Hilarius Parisiensis. *De dogmaticis definitionibus.*

includitur supremum magisterium. « Ipso apostolico primatu, *ait Vaticanum, cap. IV,* quem Romanus Pontifex, tanquam Petri principis Apostolorum successor, in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi hæc sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobat, ipsaque œcumenica Concilia declaraverunt. »

Et quia Ecclesiæ magisterium infallibilitate gaudet, ideo supremum R. Pontificiis magisterium infallibilitatis dotem necessario conjunctam habet. « At vero, *inquit Vaticanum,* cum hac ipsa ætate, qua salutifera apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus prærogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est, solemniter asserere.

« Itaque Nos traditioni a fidei christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicæ exaltationem, et christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus, et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit: ideoque ejusmodi Romani Pontificis declarationes ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles esse. — Si quis autem huic nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit, anathema sit. »

327. — Hisce verbis vaticanis, præter dogmatis definitionem, plura continentur, scilicet: 1. natura infallibilitatis R. Pontificis; 2. ejus subjectum: 3. ejus objectum; 4. ejus effectus; 5. ejus conditiones.

1. **Natura.** Declarat Concilium, infallibilitatem, qua gaudet R. Pontifex, esse eamdem ac illam, « qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit. » Quæ igitur de Ecclesiæ infallibilitate dicta sunt (n. 247, et seq.), R. Pontifici applicari debent. Ac proinde S. Pontificis infallibilitas non tendit ad novas revelationes accipiendas, sed ad custodiendam et declarandam revelationem primitus factam: « Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo as-

sistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. » *(Vatic.)*.

2. **Subjectum.** Declarat Vaticanum infallibilitatis subjectum esse *Romanum Pontificem*, ipsam scilicet personam Pontificis pro tempore existentis. Qua declaratione refellitur distinctio, quam Launoius [1] aliique gallicani *inter Sedem et sedentem, inter Romanum Pontificem et Romanam Ecclesiam invexerant*. Docuerunt quemlibet Pontificem errare posse, sed ita ut, providente Deo, vel ipse vel ejus successor errorem corrigat: ac proinde licet quilibet errare possit, impossibile tamen esse ipsam Sedem, ipsam Ecclesiam Romanam errare posse in fide. — Hac distinctione, ut patet, illusoria prorsus et vana foret R. Pontificis infallibilitas, cum cuilibet ejus definitioni opponi possit, eam forsan esse erroneam, et postea corrigendam.

3. **Objectum** pontificiæ infallibilitatis idem est ac objectum infallibilitatis Ecclesiæ (n. 251).

4. **Effectus** infallibilitatis in eo situs est, ut Romani Pontificis definitiones sint ex sese irreformabiles, non autem ex consensu Ecclesiæ, sicuti in art. 4 declarationis gallicanæ statutum erat.

5. **Conditiones infallibilitatis** [2]. Pontificis definitio, infallibilitate ut polleat, debet esse *ex cathedra*. Ut autem censeatur *ex cathedra*, quatuor a Vaticano requiruntur conditiones.

A. — *Ex parte ipsius Pontificis* necesse est, ut loquatur non tanquam doctor privatus, aut tanquam Episcopus romanæ diœcesis, sed *tanquam supremus Doctor Ecclesiæ*, id est: tanquam omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, et pro suprema sua auctoritate [3].

Non desunt quidem graves theologi qui docent Papam, quatenus est privatus doctor, in hæresim cadere posse; « sed, *inquit S. Alphonsus* [4], juste præsumere debemus, ut ait Bellarminus, Deum nunquam permissurum esse ut aliquis ex Romanis Pontificibus, etiam tamquam homo privatus, fiat hæreticus sive notorius sive occultus. »

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.*, P. III, c. 10, n. 11 (II. p. 313); Coll. Lac. p. 399. — [2] Cfr. Hilarius Paris, *De dogmaticis defin.*, P. III, (p. 39). — [3] Cf. Coll. Lac., p. 399. — [4] *Ver. fid.*, P. III, c. 8, in fine.

B. — *Ex parte materiæ* requiritur, ut R. Pontifex doceat *in rebus fidei et morum*[1]. — Objectum infallibilitatis Papæ idem est ac objectum infallibilitatis Ecclesiæ. Jamvero, ut dictum est n. 251, duplex est objectum infallibilitatis Ecclesiæ, *directum*, quod in fidei deposito formaliter continetur; et *indirectum*, ut sunt veritates naturales cum dogmate connexæ, facta dogmatica, etc. In objecto directo definiendo Ecclesiam esse infallibilem de fide est; non est autem de fide, sed theologice certum, Ecclesiam in objecto indirecto definiendo esse infallibilem.

Qui igitur R. Pontificis infallibilitatem negaret in definiendis vel notandis propositionibus cum dogmate tantum connexis, cujusmodi, v. gr. plures inveniuntur in *Syllabo*, aut qui talem propositionem a S. Pontifice definitam pertinaciter impugnaret, is coram Ecclesia non foret hæreticus formalis, sed temerarius, erroneus, suspectus de hæresi; et peccatum gravissimum committeret[2].

C. — *Ex parte formæ* requiritur, ut Pontifex *ferat sententiam definitivam* cum manifestata intentione obligandi. — Potest enim S. Pontifex, etiam tanquam Supremus Doctor, doctrinam quamdam omnibus proponere, monendo, consulendo, dirigendo, etc., quo in casu dici nequit loqui ex cathedra.

« Non sufficit quivis modus proponendi doctrinam, *inquit Rev. Gasser*[3], etiam dum Pontifex fungitur munere supremi pastoris et doctoris, sed requiritur intentio manifestata definiendi doctrinam, seu fluctuationi finem imponendi circa doctrinam quamdam seu rem definiendam, dando definitivam sententiam, et doctrinam illam proponendo tenendam ab Ecclesia universali. Hoc ultimum est quidem aliquid intrinsecum omni definitioni dogmaticæ de fide vel moribus...; verum hanc proprietatem ipsam et notam definitionis proprie dictæ aliquatenus saltem etiam debet exprimere, cum doctrinam ab universali Ecclesia tenendam definit. »

[1] Cf. Granderath, p. 190. — [2] Cf. Gasser, *In relat. fidei, in Conc. Vatic.*; Coll. Lac. p. 416, et 475. — [3] *Loc. cit.* p. 414.

Neque tamen est necessarium, ut in ipsa definitione vel verbum *definire* contineatur, vel contra oppugnantes anathema dicatur, dummodo S. Pontificem sententiam definitivam tulisse utcumque modo constet.

D. — *Ex parte termini* requiritur, ut definitio *dirigatur ad universalem Ecclesiam*, et omnes qua fideles qua pastores ad consensum obligentur. Necesse tamen non est ut S. Pontifex directe ad totam loquatur Ecclesiam; potest enim, dum uni vel paucis scribit, doctrinam ab omnibus tenendam definire.

328. - Nonnulli theologi, præter prædictas conditiones, aliam requirunt, scilicet *maturum de rebus definiendis inquisitionem*. « Adsunt alqui, *ait S. Alphonsus* [1], qui dicunt Papam esse quidem infallibilem, sed tum tantum cum in quæstionibus definiendis mature procedit, sapientium judicium audiendo. Sed rectius alii dicunt hanc conditionem solum de congruentia esse, non autem de necessitate: infallibilitatis enim promissionem necesse est, ut omnes qui pontificiam infallibilitatem tuentur, non consiliariis, nec examini, sed soli pontifici factam fuisse fateantur: alias hæretici semper objicere possent sufficiens examen non exstitisse, sicut de facto sectarii in Tridentinum opposuere. Ad providentiam autem Spiritus Sancti pertinebit, ut recte ait Suarez [2], quod Pontifex non temere, nec imprudenter unquam in tantis rebus agat et decernat. »

329. — Corollaria. Ex dictis intelligere licet, quonam sensu Romani Pontificis infallibilitas possit dici vel non dici personalis, separata et absoluta [3].

a) Dicitur *personalis*, ut excludatur distinctio inter sedem et sedentem: et ut infallibilitas cuilibet Pontifici, non autem soli seriei Pontificum, attribuatur. — Non est personalis, primum, quia Papa hac prærogativa gaudet non quatenus persona privata, sed quatenus persona publica; deinde, quoniam ea non gaudet pro se, sed propter bonum Ecclesiæ, ut scilicet Pontifices « excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex, per eos ab erroris venenosa esca aversus, cœlestis doctrinæ pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret. » *(Vatic., c. 4)*.

b) Dicitur *separata*, quia consistit in speciali Spiritus Sancti assistentia, qua cæteri Episcopi in muneribus suis adimplendis non

[1] *Diss. de R. Pontif. auct.* § 1; cf. *Ver. fid.* P. III, c. 10, n. 3. — [2] *De fide*, V, sect. 8; cf. Coll. Lac., p. 400 et 401. — [3] Cf. Gasser, *Relat.;* Coll. Lac., p. 398; Granderath, *Comment.* VIII, p. 175.

gaudent. — Non est separata, tum quia Papa ista prærogativa non gaudet, nisi in sua relatione ad Ecclesiam universalem; tum quia fieri non potest, ut Papa aliquid definiente, Ecclesia ei non assentiat.

c) Dicitur *absoluta,* quia a prævio vel subsequente Ecclesiæ consensu non dependet. — Non est absoluta, quia est donum creatum quod certis limitibus et conditionibus coarctatur. Restricta enim est Pontificis infallibilitas et ratione subjecti, et ratione objecti, et ratione actus, sicut supra notatum est (n. 327).

330. — Prop. *Romanus Pontifex ex cathedra docens est infallibilis.*

De fide, Ex Vatic., verbis supra relatis.

Prob. I. **Ex Script. S.** « Hæc veritas, *ait S. Alphonsus* [1], imprimis probatur ex verbis Christi: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc verba ad solum Petrum spectant, quia super solum Petrum ædificata est Ecclesia (n. 185). Quia igitur Petrus est Petra seu fundamentum Ecclesiæ, sequitur ipsum deficere non posse: si enim fundamentum deficere posset, ipsa Ecclesia quandoque ruere posset; atqui hoc est impossibile propter promissionem Christi: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quod si Petrus deficere nequit, deficere etiam non possunt Pontifices ejus successores. Quod enim Christus promisit, nimirum fore ut portæ inferi adversus Ecclesiam non prævalerent, illud pro semper, quamdiu durabit Ecclesia, fuisse promissum necessario intelligendum est. »

2. Ex Luca, XXII, 31, 32: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribaret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* « Observa, *inquit S. Alphonsus* [2], quod Christus Dominus pro solo Petro rogavit, qui solus fratres confirmare debebat. Ergo, si fides Petri deficere potuisset, fratres non valuissent confirmari a Petro. »

3. Ex Joanne, XXI, 16, 17: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* His verbis Petrus Ecclesiæ universalis pastor constitutus

[1] *Ver. fid.*, P. III, c. 9 n. 4. — [2] *Diss. de R. Pontif. auct.*, § 2; Cf. *Ver. fid.*, c. 10, n. 5; *Vindic.*, c. II, § 2, p. 540.

est. Pastoris autem est ovibus salutare pabulum, non autem escam venenosam et mortiferam, præbere. Porro, primum et essentiale fidelis animæ pabulum est fides, seu doctrina sana. Si igitur Petrus in fide errare posset, venenum mortis ovibus posset propinare, nec proinde pastor, sed lupus rapax existeret. Petrus, igitur, cum ex cathedra docet, errare nequit; nec proinde ejus successores.

II. **Ex Conciliis.** « Nulla est ratio magis convincens, *ait S. Alphonsus* [1], ad infallibilitatem Papæ probandam, quam ipsorum Conciliorum declarationes. » Licet enim ante Vaticanam synodum nullum Concilium S. Pontificis infallibilitatem solemniter definierit, attamen prope omnia, quæ celebrata sunt Concilia, ejus infallibilitatem proclamaverunt. Ex innumeris Conciliorum testimoniis, tria tantum refert Vaticanum, eorum scilicet Conciliorum in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unione conveniebat: nimirum Constantinopolitani IV, Lugdunensis II. et Florentini. Cf. Concil. Vat. *Const. Pastor æternus,* c. IV.

A Concilio Florentino definitum est R. Pontificem esse *omnium christianorum Patrem et Doctorem.* « Si ergo certum est, *ait S. Alphonsus* [2], Papam esse totius Ecclesiæ Doctorem, certum quoque tenendum ipsum debere esse infallibilem, ne Ecclesia a suo magisterio aliquando decipi posset. »

Patres Conc. Constantinopolitani III, (art. 4), explicite professi sunt: « Nullum errorem in cathedra Romana unquam fuisse, nec futurum, successoremque Petri, pro quo tam particulariter rogavit Christus, nunquam a fidei semita deviaturos. »

III. **Ex Traditione** [3]. Pro R. Pontificis infallibilitate innumera proferri possunt Patrum testimonia, in quibus vel diserte affirmant fidem Romanæ Sedis deficere non posse, vel eidem in universalem Ecclesiam, plenissimam, supremam et summam auctoritatem, in qua supremum ac infallibile magisterium necessario includitur, attribuunt.

Ait *S. Athanasius:* « Romanam Ecclesiam semper conservare veram de Deo sententiam. » Et alloquens S. Pontificem,

[1] *Ver. fid.,* P. III, c. 10, n. 9; Cf. *Vindic.,* c. 4. — [2] *Dissert.,* § 1. — [3] Cf. S. Alph., *Vindiciæ,* c. 5, 6, 7; *Ver. fid.* P. III, c. 10; *Dissert.,* § 1.

« tu, *inquit*, profanarum hæresum atque impetitorum omniumque infestantium depositor, Princeps et Doctor, Caputque orthodoxæ doctrinæ et immaculatæ fidei existis. » (*Epist. ad Felic. Pap.*). — Et *S. Leo* ait: « *Rogavi pro te*... Quæ venerabilis et efficax oratio obtinuit quod hactenus fides Petri non deficit, nec defutura creditur in throno illius. » *(Epist. ad Petr. Antioch.).*

IV. **Ex auctoritate theologorum.** Romani Pontificis infallibilitatem, *inquit de Aguirre*[1], « amplexati sunt omnes omnino theologi quotcumque scripserunt ante Concilium Constantiense, inchoatum anno Christi 1415. Nullus enim eo usque, nisi forte heterodoxus aut schismaticus, invenitur, qui auctoritatem infallibilem negaverit R. Pontifici, quoties ex cathedra Sedis Apostolicæ definit aliquid ».

Ab hoc universali concentu non excipitur vetus schola gallicana, *ut testatur Duvallius*, doctor sorbonicus. « Velint nolint adversarii, *inquit*[2], liquido constat veteres Ecclesiæ gallicanæ proceres hanc in S. Pontificibus infallibilitatem semper agnovisse, eosque qui veritatem hanc impugnare conati sunt, a ducentis aut circiter annis, quibus in Ecclesia horrenda schismata irruerunt, cœpisse. »

V. **Ex praxi Ecclesiæ.** A primis jam Ecclesiæ temporibus, ex una parte constat, R. Pontifices se gessisse tanquam supremos et infallibiles in fidei controversiis judices: siquidem tribus primis sæculis absque Conciliorum interventu, tum hæreses definitive proscripserunt, ut Nicolaitarum, Ebionitarum, Montanistarum, etc; — tum causas fidei ad suum tribunal revocarunt, ut ab ipsis contentio « valeat congrua sine dubio sententia terminari, » *ut ait S. Gregorius M.*, (epist. l. IV, 52); — tum ad Concilia miserunt sua judicia, quæ non examinarentur, sed quæ eis imponerentur.

Ex altera vero parte constat, universam Ecclesiam R. Pontificis infallibilem auctoritatem semper agnovisse: a primis quippe jam Ecclesiæ temporibus, ortis hæresibus, tum Episcopi

[1] *Defens. cathedræ Petri*, Disp. VII, sect. 2, n. 12. — [2] *De Supr. R. Pontif. potest.*, P. II, q. 2.

ad R. Pontificem recurrerunt, ejusque sententiam expetiverunt, qua accepta, causam ut definitive judicatam tenebant; — tum, quos R. Pontifex ut hæreticos damnavit, eos pro hæreticis omnes fideles habuerunt; — tum, quod R. Pontifex docuit, illud totus orbis nihil hæsitans accepit, ut testatur *S. Fulgentius*[1]: « Quod Romana tenet et docet Ecclesia, totusque cum ea christianus orbis... nihil hæsitans credit »; qui vero fidem Sedis Petri non est secutus, tanquam profanus et perjurus habebatur, *ut ait S. Hieronymus*[2]: — tum denique ipsa Concilia R. Pontificis sententiam semper acceperunt, et ultro fassa sunt, se Pontificis judicium immutare nequaquam posse, et « dubia fidei declarare ad Sedem duntaxat Apostolicam pertinere, » ut ait Conc. Viennense[3].

Nisi ergo dicere velimus universam Ecclesiam, caput simul et corpus, in re tanti momenti in errore semper fuisse versatam, fatendum nobis est R. Pontificem infallibilitatis charisma vere possidere.

VI. **Ex Ratione**[4]. 1. Bonum ecclesiasticæ unitatis illud exigit, ut in Ecclesia semper præsto adsit supremus et infallibilis controversiarum judex; alioquin, cum novæ in dies surgant opiniones, fideles in dubiis indesinenter fluctuarent, et contentiones et schismata christianum orbem perenniter vexarent. Atqui, si infallibilitas non apud S. Pontificem, sed solum penes Concilium resideret, bono unitatis satis a Christo provisum non fuisset. Propter incommoda enim, dispendia et bella, Concilia raro convenire possunt; vel saltem non tam celeriter coadunari queunt ac necesse foret, ut hæreses, quæ brevissimo tempore ubique sicut lues serpunt, efficaciter compescantur. Et sic medio, quo fidei conservet unitatem, Ecclesia maximo temporis spatio destitueretur.

« Præterea certum est, *ait S. Alphonsus*[5], quod si Gallicani Cleri admitteretur sententia, ita ut Pontificis judicium esset fallibile donec consensus Ecclesiæ accederet, modus hæreticos de suis erroribus convincendi amplius non suppeteret, etiamsi generalia Concilia adhibe-

[1] *De Incarn. et Grat.*, c. XI. — [2] *De nomine hypostasis, ad Damas.* — [3] *Clement. Fidei cathol., de Summa Trinit.* — [4] Cf. S. Alph. *Ver. fid.*, c. 10, n. 15. — [5] *Dissert.*, § 1.

rentur; hæretici enim judicio Concilii, in quo ipsi non intersunt, nunquam acquiescunt, eo quod, deficiente interventu ipsorum, qui saniorem Ecclesiæ partem constituere præsumunt, quodcumque Concilium irritum esse exclamant. Hinc mos ortum habuit, quod heterodoxi, cum errores suos ad Romanam Sedem viderint denuntiari aut ab ea proscribi, ad damnationem evitandam statim appellare ad œcumenicum Concilium consueverunt. »

2. **Ex Analogia.** « Jam in Lege Vet., *inquit S. Alphonsus*[1], Summi Sacerdotis sententia erat infallibilis;... si autem tale privilegium Synagogæ datum fuit, a fortiori admittendum est. illud etiam Ecclesiæ fuisse concessum. Hæc enim per totum mundum diffusa et tot impetita hæresibus, magis indiget judice, qui unicus sit et infallibilis, ut erroribus contra fidem et mores cito finem imponere possit. »

3. *Contra Gallicanos speciatim:* Dicitur in declaratione gallicana: « Nec tamen irreformabile esse judicium (Pontificis) nisi Ecclesiæ consensus accesserit. » — « Nunc quærimus, *ait S. Alphonsus*[2], quomodo hujusmodi consensus accedere debeat? Alii dicunt tum pontificias definitiones evadere irreformabiles, cum omnium fidelium consensus accedit; alii, cum saltem accedit consensus omnium Episcoporum; alii putant unius tantum provinciæ consensus satis esse; alii demum requirunt consensum majoris partis Episcoporum in orbe christiano degentium; hæc enim opinio conformior est consuetudini qua œcumenicæ Synodi usæ sunt in dubiis fidei decernendis.

« Hoc posito, quæritur quid dicendum si pontificio decreto pars æqualis Episcoporum accedat? quid tunc de Pontificis judicio sentiendum? et quid si minor accedat pars, ut sæculo IV accidit.... In simili casu, quis litem dirimet, si unus supremus judex non agnoscatur, qui fidei causas definiendi infallibilem potestatem habeat?

« Si autem consensus majoris partis Episcoporum sufficit, utique Papam esse infallibilem credere omnes tenemur, statim ac aliquid circa fidem aut mores ipse definitive decernit; non solum etenim major pars, sed tota fere Ecclesia, excepta Gallia, id docet et semper docuit. Aut igitur infallibilitatem Pontificis fateri oportet, aut dicere quod Ecclesia Catholica tantum ad exiguum Gallorum numerum redacta sit. »

331. — **Scholia.** I. Cum infallibilitatis prærogativa supremæ potestati sit adnexa, ideo de subjecto infallibilitatis disserendum est sicut de subjecto supremæ potestatis (n. 325)[3]. Qui igitur duplex assignant supremæ potestatis subjectum, du-

[1] *Ver. fid.*, c. 10, n. 1. — [2] *Dissert.* § 1. — [3] Cf. Granderath, p. 189.

plex etiam statuunt infallibilitatis subjectum, videlicet S. Pontificem. et Concilium cum Pontifice cunjunctum.

Satius tamen est dicere. unicum esse in Ecclesia subjectum infallibilitatis, nempe R. Pontificem, a quo infallibilitas in alios extenditur, non quidem *directe in se ipsa;* quia cum charisma infallibilitatis positum sit in speciali Spiritus Sancti assistentia. illud non potest proprie a Papa aliis communicari; sed *indirecte* et ratione supremæ potestatis quam communicat, et cui specialis illa Spiritus Sancti assistentia annexa est. Sicut igitur propter participationem supremæ potestatis Pontificis, Episcopi in Concilio, in solidum ultimam et definitivam ferunt sententiam, ita etiam propter eamdem participationem, infallibilitatis charisma possident in solidum.

II. Infallibile igitur R. Pontificis magisterium, sive solus, sive conjunctim cum cœtu pastorum doceat, est regula suprema viva et proxima fidei nostræ: solus enim Pontifex a Deo supremus revelationis custos, testis et judex, immediate est constitutus.

III. Cum R. Pontificis auctoritas suprema sit et independens, ejusque definitiones sint ex sese irreformabiles, exinde sequitur contra Febronium, Concilia non esse in Ecclesia absolute necessaria. Neque tamen inutilia sunt dicenda. Etenim « ad plura et maxima bona deserviunt, *ait S. Alphonsus*[1]: prosunt ut Episcopi fortius se adhibeant ad dissidia compescenda; prosunt ad reprimendos contumaces; prosunt ut prælati peritiores reddantur ad populos suos instruendos; prosunt ut pontificiæ definitiones ubique manifestentur; prosunt demum ut dogmata fidei diligentius teneantur.... Adde quod aliquando Pontifices Concilia convocant, ut per discussionem in Concilio habitam de aliquo dubio fidei, ipsi clarius a Spiritu Sancto illuminentur. »

IV. Quænam pontificia documenta censeri debeant vel data vel non data ex cathedra, ex conditionibus supra indicatis (n. 327, 5) dijudicare licet.

[1] *Vindic.*, c. 4, p. 606.

1. Omne documentum, id est, Bulla, Constitutio, litteræ encyclicæ, decretum, in quo S. Pontifex pro apostolica sua auctoritate aliquam opinionem tanquam hæreticam damnat, aut aliquam veritatem tanquam divinitus revelatam definit, etiamsi suam sententiam explicitis verbis obligatoriam non diceret, documentum est ex cathedra; tali igitur documento si quis obstinaciter contradixerit, hæreticus evadit. Hoc ipso enim quod Pontifex doctrinam ut hæreticam damnat, vel ut revelatam definit, omnibus suam intentionem satis manifestat.

2. Omne documentum, in quo pro apostolica sua auctoritate S. Pontifex veritatem formaliter non revelatam, sed cum dogmate connexam definit, et ab omnibus tenendam præscribit, aut opinionem infra notam hæreseos damnat, atque eam ut talem ab omnibus habendam esse jubet, documentum est ex cathedra, et infallibile. Qui contradiceret, ille non hæreticus quidem, sed temerarius, erroneus, suspectus de hæresi esset (n. 327, 5).

Exemplum hujus definitionis nobis suppeditat Encyclica *Quanta cura*, in cujus fine Pius IX hæc verba profert: « Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce litteris commemoratas auctoritate nostra apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis, veluti reprobatas, proscriptas, atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus. »

3. Documentum, in quo aliqua ex dictis conditionibus desideratur, non censetur datum ex cathedra. Si igitur S. Pontifex, etiam pro suprema sua apostolica auctoritate, aliquam œconomicam tantum responsionem vel dispositionem profert [1], quin definitivam sententiam ab omnibus tenendam edicere intendat, tunc non censetur loqui ex cathedra.

Neque tamen in hujuscemodi documentis Papa dicendus est loqui ut privatus doctor; inter τὸ *loqui* ex cathedra, et τὸ *loqui* ut privatus doctor, modus medius intercedit: quando nempe ad fidei custodiam S. Pontifex ut Doctor omnium christianorum loquitur, monendo, dirigendo, consulendo, quin tamen definitivam et ab omnibus tenendam sententiam proferre sibi proponat. Quo in casu, etsi obsequium Pontifici loquenti debitum minus sit obsequio, quod eidem ex cathedra

[1] Coll. Lac., p. 288.

loquenti debeatur, majus tamen est obsequio, quod ipsi loquenti ut privato doctori præstandum est: tunc enim vi muneris sui Pontifex præcepta tradit doctrinalia, quæ in se vim obligandi habent, et quibus omnes fideles vera obedientia et sincera submissione obstringuntur [1].

Præterea, pie credi debet S. Pontificem, in munere supremi pastoris obeundo, speciali semper protegi Dei providentia, qua etiam in hujusmodi documentis, ab omni errore, qui fidelibus nocumentum inferre posset, immunis præservetur.

ARTICULUS IV.

DE RELATIONE S. PONTIFICIS AD EPISCOPOS ET CONCILIA.

332. — Doctrina de primatu S. Pontificis ut omni sub respectu absolvatur, superest ut primatus in sua relatione ad Episcopos sive per orbem dispersos, sive in Concilio œcumenico adunatos, consideretur. — Notandum est in hoc articulo quæstionem non moveri de potestate ordinis, quæ æqualis est in S. Pontifice et in Episcopis; sed de potestate jurisdictionis ad docendam et regendam Ecclesiam.

§ 1. *De Relatione S. Pontificis ad Episcopos.*

333. — I. **Episcopatus divina institutio.** — Christus Dominus, qui B. Petro plenam atque supremam regendæ gubernandæque Ecclesiæ potestatem impertivit, aliis etiam ex discipulis suis, quos Apostolos nominavit, jurisdictionis potestatem contulit, « non ad imponendum limitem, sed ad cooperandum supremæ ac plenæ potestati Petri in ædificationem Ecclesiæ [2]. » — Qui gradus hierarchiæ jurisdictionis ex institutione Christi, non secus ac primatus, ad finem usque mundi in Ecclesia perdurare debet; omnibus enim Apostolis dixit Christus (Matth. XXVIII, 20): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* — Apostolorum successores sunt Episcopi. *(Cf. n. 183).*

[1] Cf. Concil. Vat., Const. *Dei Filius*, concl.; Pius IX, *Tuas libenter;* apud Raulx, p. 574 et 580. — [2] D'Avanzo, *in relat. Vatic.;* Coll. L., p. 323.

Episcopatus igitur, et est ex divina institutione, et est pars essentialis constitutionis Ecclesiæ. Non potest igitur S. Pontifex Episcopatum supprimere, aut ordinare, ut particulares omnes ecclesiæ non ab Episcopis, sed a vicariis apostolicis regantur.

« Quo modo Petri auctoritatem, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII,* in Romano Pontifice permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hæreditate accipiunt; ita ut intimam Ecclesiæ constitutionem ordo Episcoporum necessario attingat.» *(Enc. Satis cogn.)* — «Tantam potestatem habet Petrus, *ait etiam Rev. D'Avanzo* [1], quantam illi dedit Christus Dominus... Sed est alia limitatio passiva, si ita loqui fas est, ab ipso Christo posita ex parte Apostolorum. Christus enim ut sapiens architectus posuit Petrum fundamentalem Petram, supra quam ædificaret Ecclesiam. Sed ipse idem Christus designavit ædificatores, quibus Petrus ad ædificandam Ecclesiam uteretur, hoc est, Apostolos ibi præsentes. Petrus constitutus est magister ad confirmandum alios; sed isti alii non debent esse nisi illi, quos ipse Christus dedit Petro fratres in Apostolatu: *Confirma fratres*... Petrus debet pascere agnos; sed ipsi agni non debent generari, nisi per illas oves, quas Christus ipse Petro pascendas adsignabat... Ergo suprema et plena potestas est in Petro, qui tamen non potest, non debet exercere eam per alios coadjutores suos, nisi per Apostolos eorumque successores. »

334. — II. **Episcoporum potestas.** — Episcopi vi divinæ suæ institutionis, in populum sibi commissum jurisdictionis potestatem habent *propriam, ordinariam, immediatam.* Ipsis enim Christus in persona Apostolorum dixit: *Docete omnes gentes,* — et: *Quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in cœlis.* (Matth. XVIII, 18). Episcopi igitur:

1. Non sunt S. Pontificis vicarii, quasi ex potestate ab eo delegata Ecclesiam gubernarent; sed sunt veri et proprie dicti pastores et principes, qui potestate propria et ordinaria a Christo sibi collata, populum sibi commissum docent et regunt. « Quanquam vero, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII,* neque plenam neque universalem ii (Episcopi), neque summam obtinent auctoritatem, non tamen *vicarii* Romanorum Pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam, ve-

[1] *Relat. Vatic.,* p. 322.

rissimeque populorum, quos regunt, antistites *ordinarii* dicuntur.» *(Enc. Satis cogn.)* — Unde:

2. In suis respectivis diœcesibus potestatem habent fidem auctoritative docendi; fidei controversias, licet non definitive, judicandi: pravas opiniones censura notandi, et libros periculosos proscribendi.

« Decreta autem hujus generis, *inquit Kleutgen* [1], quæ ab Episcopis singulis vel Synodis particularibus fiunt, eos, qui horum potestati subjecti sunt, ad externam quidem observantiam omnino et perfecte, ad internum tamen assensum non ex officio fidei, sed aliarum tantum virtutum obligant, ita ut qui dissentiat, non ideo a fide catholica deficiat, tametsi contra debitam reverentiam et animi demissi modestiam agat. Privatæ tantum censuræ, ut per se intelligitur, tantum valent, quantum argumenta vel auctoritas eorum, a quibus proficiscuntur. »

3. Potestatem habent leges ferendi, quibus ea, quæ ad cultum divinum, aut disciplinam, aut ad fidei depositum custodiendum pertinent, ordinentur, dummodo lex superioris, aut jus commune ne interveniat. — In sua Ecclesia potestatem habent judiciariam et coactivam contra delinquentes, tam in legibus, quas ipsi tulerunt, quam in legibus superioris aut juris communis, dummodo casus superiori ne sit reservatus.

4. Episcopi, quamvis Apostolorum sint successores, non omnia tamen charismata vel privilegia, quæ apostolicæ jurisdictioni erant adnexa, possident. Duo in Apostolis considerari debent: scilicet ratio *Episcopatus*, vi cujus a Christo testes et doctores fidei, et rectores Ecclesiæ erant constituti: et ratio *Apostolatus*, vi cujus a Deo ad fundandam Ecclesiam, et ad portandum nomen ejus omnibus gentibus, electi erant.

Ratione Apostolatus, sicut docent communiter S. Patres et theologi, et sicut in Scripturis innuitur: *a)* quilibet Apostolus plenam ab ipso Christo accepit potestatem pro universo mundo: omnibus equidem dixit Christus: *Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ; — Docete omnes gentes; — Quæcumque alligaveritis super terram;* etc. — *b)* quilibet Apostolus, etiam seorsim sumptus, erat infallibilis, neque

[1] *De Deo, Introd.*, n. 96.

in fide errare potuit: omnes enim a Christo erant electi, qui essent ejus testes usque ad ultimum terræ, et Ecclesiam ubique fundarent. Necesse autem erat primos revelationis testes et Ecclesiæ fundatores in fide errare non posse.

Quæ duo privilegia personalia erant, et extraordinaria; quamobrem, emortuis Apostolis, cessavere, neque in eorum successores transierunt. Episcopi igitur non universalem, sed restrictam habent jurisdictionem, nec quilibet seorsum sumptus infallibilitate gaudet.

« In hoc constabat munus Apostolorum, *inquit Rer. Gasser* [1], quod essent authentici oculares et auriculares testes verbi Dei, testes præordinati a Deo, et missi a Christo in omnes gentes: et huic muneri Apostolis proprio correspondebat donum infallibilitatis personalis. Apostolis successerunt Episcopi, sed non ratione Apostolatus universalis, sed ratione Episcopatus, id est, qua antistites singularum Ecclesiarum. Inde factum est, quod etiam prærogativa infallibilitatis personalis apostolatui modo extraordinario adnexa ad Episcopos non transierit. »

Si autem Episcopi considerantur *in solidum*, prout apostolicum collegium cum Petro capite conjunctum continuant, seu si consideratur cœtus universus Episcoporum una cum S. Pontifice, ea gaudent infallibilitate, quam Christus Ecclesiæ promisit. Et sic considerati, Ecclesiæ magisterium ordinarium constituunt, cujus doctrina, prout definivit Vaticanum (*Const. Dei Filius*. c. 3), suscipienda est tanquam dogma fide divina et catholica credendum.

« In munere depositum thesaurum divinæ veritatis custodiendi, communicandi et defendendi, *inquit R. Gasser* [2], etiam Episcopi adjuvantur a Spiritu Sancto; sed hoc Spiritus Sancti adjutorium infallibile non singulis Episcopis inest, sed Episcopis inter se et cum capite junctis: nam omnibus et non singulis dictum est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* (Matth. XXVIII, 20). »

335. — III. **Episcopalis potestatis ad S. Pontificem subordinatio.** — « Licet Apostoli, *inquit S. Alphonsus* [3], ex peculiari privilegio æqualem ac Petrus potestatem plenam ac-

[1] Coll. Lac., p. 389. — [2] *Loc. cit.* — [3] *Vindic.*, c. I, p. 534; cf. Coll. Lac., p. 322.

ceperint ubique prædicandi, sacerdotes ordinandi, Episcopos constituendi,... tamen... ipsi omnes erant subordinati Petro tanquam omnium rectori, a quo dependere debebant. » — Ergo a fortiori etiam Episcoporum potestas supremæ Pontificis auctoritati subjecta sit, oportet: id omnino exigit et ratio suprema potestatis, quæ in R. Pontifice sola residet, et bonum ipsius Ecclesiæ, ut scilicet pax et unitas in ea perfecte servari possint.

« Episcoporum ordo, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* tum rite, ut Christus jussit, colligatus cum Petro putandus, si Petro subsit eique pareat: secus in multitudinem confusam ac perturbatam necessario dilabitur. Fidei et communionis unitati rite conservandæ, non gerere honoris caussa priores partes, non curam agere satis est; sed omnino auctoritate est opus vera eademque summa, cui obtemperet tota communitas... Si ligandi, solvendi, pascendique facultas hoc parit in Episcopis, successoribus Apostolorum, ut populum quisque suum vera cum potestate regat, certe idem parere eadem facultas in eo debet, cui pascendi *agnos* et *oves* assignatum est, Deo auctore, munus. » *(Enc. Satis cogn.).*

Igitur: 1. *Quoad regimen:* Cum expedita jurisdictionis potestas conferatur non vi ordinationis, sed vi legitimæ missionis ab eo datæ, qui potestatem habet mittendi, tanta est potestas episcopalis jurisdictionis, quanta a S. Pontifice conceditur. Propterea Episcopus ordinariam et immediatam potestatem vi muneris non habet, nisi in eam Ecclesiam particularem, quam S. Pontifex cuilibet assignavit; et in eas personas, quas S. Pontifex cuilibet subjecit; et in iis materiis, quas S. Pontifex sibi non reservavit, v. gr. per casuum reservationem.

Item, sicut quilibet Episcopus a Papa expeditam accipit jurisdictionem in determinatam aliquam Ecclesiam particularem, ita potest a Papa avelli ab ea, et in aliam transferri, vel ab officio suo pastorali omnino deponi. — A cujuslibet Episcopi sententia licitum etiam est ad tribunal S. Pontificis, tanquam ab inferiori ad superiorem, appellare. *(De his confer canonistas).*

2. *Quoad magisterium.* Episcopi vi muneris sui sunt judices fidei in suo territorio; atvero, cum nec quilibet Episcopus

personaliter sit infallibilis, nec totum corpus episcopale, si consideratur ut a S. Pontifice separatum, infallibilitatis charisma possideat, idcirco nullus Episcopus, nec totus cœtus Episcoporum a Papa separatus, aliquam fidei controversiam definitive judicare, aut aliquam propositionem definitive censurare possunt; sed definitivum in hujusmodi quæstionibus judicium soli S. Pontifici, vel Concilio œcumenico, reservatur.

336. — IV. **Origo potestatis episcopalis** [1]. — De origine episcopalis jurisdictionis controvertitur inter auctores, utrum scilicet sit immediate a Christo, an a Christo mediante S. Pontifice.

In hac quæstione dirimenda, inter jurisdictionem *in abstracto*, seu in se considerata, et jurisdictionem *in concreto*, prout est in determinatis individuis, distinctio ponenda est.

Si potestas jurisdictionis consideratur *in abstracto*, eam esse immediate a Deo omnes fatentur; Christus enim ordinem episcopalem instituit cum manifesta intentione, ut in Ecclesia semper adsint Episcopi, qui potestate propria et ordinaria populum sibi commissum regant.

Si consideratur *in concreto*, triplici sub respectu potest inspici: *a)* quoad *aptitudinem seu exigentiam:* hanc esse immediate a Deo, omnes concedunt; vi enim consecrationis episcopalis confertur homini quædam aptitudo et destinatio ad regendam Ecclesiam; — *b)* quoad *exercitium;* exercitium potestatis episcopalis immediate dependere a Papa, universalis et constans Ecclesiæ praxis manifeste docet; quippe quum hujusmodi exercitium a Papa amplificari, minui, vel tolli possit, quin tamen omnibus Episcopis penitus auferatur. — *c)* quoad *suam actualitatem*, seu quoad potestatem expeditam, quæ hic et nunc in tali individuo adest. De hoc ultimo in scholis non convenit.

Prima sententia, cujus pater, *teste Cercia* [2], fuit Franciscus Victoria, († 1549), quem secuti sunt Alph. de Castro [3], Vasquez [4], aliique, docet actualem potestatem jurisdictionis *immediate a*

[1] Cf. *Cercia*, l. II, sect. III, lect. 10, 11, et 12. — [2] *Loc. cit.*, lect. 12. — [3] *De justa hær. punit.*, c. 24. — [4] L. II, disp. 152, c. 3, n. 28.

Christo, non autem mediante S. Pontifice, in Episcopos derivari; eamque conferri sive eo temporis momento, quo a S. Pontifice canonicam institutionem recipiunt; sive in ipsa consecratione, sed manere ligatam donec per canonicam institutionem solvatur.

Altera et omnino tenenda sententia docet, actualem Episcoporum jurisdictionem esse *mediate a Deo, et immediate a S. Pontifice*. Cui sententiæ adstipulantur omnes fere summi theologi, ut S. Thomas [1], S. Bonaventura [2], S. Antoninus [3], S. Alphonsus [4], Suaresius [5], Bellarminus [6]. Eam docent S. Patres. « Numquam, *inquit S. Alphonsus* [7], inficere poterit (Febronius) veritatem quam Concilia et Patres docent, nempe quod suprema potestas in Ecclesia sit a Christo tradita Petro ejusque successoribus tanquam capiti, radici et fonti, ex quo illa deinde in alios Episcopos diffunditur, ut clare vidimus doceri a S. Cypriano. »

Hæc sententia a Benedicto XIV vocatur: « rationi et auctoritati conformior » [8]; et a Richerio, potestati pontificiæ infensissimo, vocatur *Doctrina Patrum;* docent namque, inquit: « Christum claves jurisdictionis ecclesiasticæ primo, immediate et essentialiter, non per accidens Petro dedisse: deinde per... Petrum Ecclesiæ prælatis contulisse » [9]. Huic demum opinioni magnum additur pondus ex declaratione Pii VI, in Brevi ad Episc. Motulen. 16 Sept. 1788, qua asserit « dignitatem episcopalem quoad ordinem immediate esse a Deo, et quoad jurisdictionem ab Apostolica Sede. »

337. — **NB.** I. Omnia argumenta ex Scripturis et Patribus petita quibus patroni primæ sententiæ probare conantur *Episcoporum jurisdictionem esse immediate a Deo, Episcopos esse immediate positos a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam*, hac simplici distinctione solvi possunt: Jurisdictio episcopalis est immediate a Deo, quoad

[1] *II Sent.* d. 44, q. II, a. 3; *IV Sent.* d. 24, q. III, a. 2; *Cont. Gent.*, l. IV, c. 76. — [2] *Quare fratres minores prædicent.* — [3] *Summa*, P. II, tit. 22, c. 3, § 3. — [4] *Vindiciæ adv. Febr.*, c. 7. — [5] *De Legib.*, l. IV, c. 4. — [6] *De Rom. Pontif.* l. V, c. 24 et seq. — [7] *Loc. cit.*, § III, p. 596; cf. præsertim § IV, p. 602; et Mor., l. I, tr. II, n. 104 in fine. — [8] *De synod. diœc.*, l. I, c. 4, n. 2. — [9] *Palinodia;* cf. Coll. Lac., p. 612.

jurisdictionem in abstracto, vel in concreto quoad aptitudinem ad regendum aut quoad exigentiam actualis jurisdictionis, *concedo;* quoad actualem jurisdictionem, *nego;* — item, Episcopi a Spiritu Sancto positi sunt ad regendam Ecclesiam, quoad ordinem et gradum episcopalem, *concedo;* quoad actualem collationem jurisdictionis, *nego* [1].

II. In utraque sententia hoc extra omnem controversiam positum est, scilicet: Episcoporum potestatem in suas respectivas Ecclesias esse potestatem propriam et ordinariam, non autem potestatem a S. Pontifice ipsis delegatam. Dum enim S. Pontifex Episcopis actualem jurisdictionis potestatem confert, suam propriam potestatem eis non delegat, sed eam eis communicat potestatem, quam ipse Christus eorum muneri adjunxit. Neque raro tamen S. Pontifex Episcopis, quo efficacius suas Ecclesias regere valeant, extraordinarias quasdam facultates delegat.

III. Pro praxi nulla est inter prædictas opiniones diversitas; «nam, *ait S. Alphonsus* [2], ex una parte certum est quod Episcopi, licet immediate recipiant hanc potestatem a Christo, semper tamen suscipiunt cum subordinatione ad Papam; et ex alia, licet Episcopi recipiant a Pontifice, possunt tamen leges ferre absque ejus licentia, modo non opponantur legibus Pontificis, et modo potestas circa aliqua non sit Pontifici reservata.»

§ 2. *De Relatione S. Pontificis ad Concilia.*

Cum de Conciliis abunde in jure canonico tractetur, ideireo ea sola, quæ ad scopum nostrum proprie pertinent, breviter attingemus.

338. — **I. Concilii definitio.** — Concilium *œcumenicum*, de quo solo agimus, est *conventus Episcoporum totius orbis catholici, ad deliberandum de negotiis universalis Ecclesiæ, ex auctoritate et sub præsidentia R. Pontificis celebratus.*

Dicitur: *Conventus Episcoporum*, ad indicanda membra Concilii: soli enim Episcopi, vi muneris sui, sunt judices fidei; ac proinde soli, jure divino, jus habent sedendi in Conciliis, et causas fidei una cum S. Pontifice definitive judicandi. — Ex jure tamen ecclesiastico et ex privilegio, alii etiam convocari solent, ut sunt Cardinales non Episcopi, generales ordinum religiosorum, abbates exempti. — Dicitur: *Totius orbis catholici*, cum Concilium sit Ecclesiæ docentis convocatio, ideo omnes, qui jus habent sedendi in Conciliis, convocari debent; neque vero requiritur ut omnes actu conveniant, sed satis est si nonnulli

[1] Cf. Cercia., *l. c.*, lect. 13. — [2] *Mor.*, l. I, tr. 2, n. 104; cf. *Vindic.*, c. III, 2, p. 549.

ex diversis provinciis adsint, ita ut universalis Ecclesia censeatur repræsentata; si enim omnes Episcopos convenire necesse foret, Concilia plerumque impossibilia essent, utpote quum multi præ infirmitate, senectute, aliisve ex causis, quominus veniant, prohibeantur.

339. — **II. Requisita ad conciliorum legitimitatem.** — Concilium ut pro legitimo putetur, ejusque decreta vim obligandi habeant, tres conditiones requiruntur.

1. *Requiritur ut ejus convocatio sit a S. Pontifice facta;* vel, si ab alio facta fuerit, ut ab eo rata habeatur. « Omne Concilium œcumenicum vel generale, *inquit S. Alphonsus,*[1] ut sit legitimum, a Papa convocari debet. Dixit Calvinus: *Universale concilium solus imperator indicere poterat*[2]. Sed errat. Pastoris enim est agnos congregare, quales sunt Episcopi et Imperatores, qui omnes in spiritualibus Vicario Jesu Christi sunt subjecti. Ita communiter docent omnes cum Petro de Marca[3] et S. Thoma, qui scribit:[4] *Romanus Pontifex... cujus auctoritate sola Synodus congregari potest, et a quo sententia Synodi confirmatur; et ad ipsum a Synodo appellatur: quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi.*

« Et re quidem vera, declaravit Concil. Chalcedonense (Act. I): *Papa urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcipit ut Dioscorus, Alexandrinorum Archiepiscopus, non sedeat in Concilio... quia Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ; quod numquam licuit, numquam factum est.*

« Et Papa Pelagius II Concilium quoddam declaravit nullum eo quod absque S. Pontificis auctoritate celebratum fuerit... Et si quoddam Concilium, a Papa non convocatum, ab ipso postea fuit approbatum, legitimum evadit. Potest tamen Papa justas ob causas alteri facultatem Concilium convocandi delegare, sicuti in Oriente primis Ecclesiæ temporibus sæpius contigit. »

In casu tamen schismatis, quando nullus adest Pontifex certus et indubius, Cardinales, ut Ecclesiæ eligant Pontificem certum, Concilium convocare possunt: quippe quod Ecclesiæ

[1] *Ver. fid.* P. III, c. 9, n. 1. — [2] *Instit.*, l. IV, c. 7, n. 8. — [3] *De Concordia,* l. II, c. 6. — [4] *Quæst. Disp., De Pot.*, q. X, a. 4, ad. 13.

bonum id exigit [1]. Ast Concilium ita convocatum, præter Pontificis electionem, nihil statuere potest, nisi ab electo Pontifice confirmetur.

2. *Requiritur ut S. Pontifex, sive per se sive per suos legatos, in Concilio præsideat.* Enimvero, quo jure solius supremi pastoris est Episcopos convocare, eodem ipsius etiam solius est in Concilio præsidere. Episcopi quippe in Concilio congregati Ecclesiam docentem constituunt, cujus caput jure divino est S. Pontifex; unde ipsius solius est suprema sua auctoritate Concilium dirigere, atque ea, quæ in eo tractanda sunt, ordinare.

3. *Requiritur ut Concilii decreta a S. Pontifice confirmentur.* Si S. Pontifex Concilio personaliter præsidet, Concilii decreta ipsius nomine eduntur, nec ulteriori indigent confirmatione. Si vero per legatos præsidet, necesse est omnino ut Concilii definitiones fidei ab eo confirmentur.

Et re quidem vera, illius solius est fidei definitiones dare, qui infallibilitate gaudet; porro subjectum infallibilitatis unum est, S. Pontifex, qui eam, ratione supremæ suæ potestatis quam communicat, ad Concilium etiam extendit (n. 331, I). Jamvero, potestas participata irrefragabilem auctoritatem habere nequit, nisi dependenter ab eo in quo fontaliter residet. Et cum Papa legatis suam infallibilitatem delegare nequeat, (est enim donum personale in alterum intransferibile), omnino necesse est decreta fidei, quæ fert Concilium, a S. Pontifice rata haberi et confirmari; ex qua confirmatione sola evenit ut illæ definitiones sint irreformabiles.

Conciliorum definitiones pontificia indigere approbatione, constans Ecclesiæ praxis et doctrina docent [2].

Concilia, quibus S. Pontifex personaliter non interfuit, confirmationem ab eo semper petierunt. Legimus in Lateran. V, sessione XI [3]: «Consuerunt antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum quæ in suis Conciliis gesta fuerunt corroboratione, a R. Pontifice subscriptionem approbationemque humiliter petere et obtinere, prout ex Nicæna, et Ephesina, ac Chalcedonensi, et sexta Constantinopolitana, et septima

[1] S. Alph. *loc. cit. n. 2.* — [2] C. S. Alph. *Vindic.*, c. 9, 3°; *Ver. fid.*, P. III, c. 10, n. 17. — [3] Bulla: *Pastor æternus.*

Nicæna, et Romana sub Symmacho Synodis habitis earumque gestis manifeste colligitur. »

« Sancti Patres in Conciliis congregati, *inquit S. Thomas*, [1] nihil statuere possunt nisi auctoritate R. Pontificis interveniente. » — *Et S. Antoninus* [2]: « Nec robur habet quidquid agitur (in Concilio), nisi auctoritate S. Pontificis roboretur et confirmetur. » — « Hæc veritas, *inquit S. Alphonsus*, [3] negari non potuit ab uno maximorum impugnatorum pontificiæ potestatis, qualis fuit Petrus de Maria, in suo libro *de Concordia* [4].

340. — III. **Conciliorum infallibilitas** [5]. — Concilia, etiam legitime congregata et a S. Pontifice confirmata, in fide definienda errare posse, docuerunt Lutherus [6], Calvinus [7] eorumque asseclæ.

Prop. *Concilia œcumenica sunt infallibilia.* — De fide.

Prob. I. **Ex Ratione.** 1. Concilia œcumenica Ecclesiam docentem repræsentant, sicut constat ex propositione, de qua, jubente Martino V in Conc. Constantiensi, suspecti in fide interrogandi erant: *Utrum credant, quod Concilium generale universam Ecclesiam repræsentet.* Atqui, Ecclesia docens in fide errare nequit, ut supra probatum est (n. 249). Ergo nec Concilia.

2. Si Concilia errare possent, tunc omnes fideles in errorem possent induci, nec unitas fidei salva subsistere posset. Etenim: *a)* « Ecclesia ope Conciliorum œcumenicorum nos docet, *ait S. Alphonsus*, [8] et propter hoc omnium fidelium perpetua traditio Conciliorum generalium definitiones semper consideravit ut infallibiles, atque eos, qui eis sese subjicere recusarunt, tenuit tanquam hæreticos. » Si igitur Concilia errare possent, omnes fideles ineluctabiliter in errorem inducerentur. — *b)* « Si Concilia errare possent, nullum jam in Ecclesia extaret judicium firmum, quod fidei controversias terminare posset. — His addi potest, quod si in suis definitionibus Con-

[1] *Cont. impugn.* c. IV. — [2] *Summa.* P. III, tit. 23, c. 3, § 3. — [3] *Vindic.*, loc. cit. — [4] L. V. c. 7, in synopsi, n. 1. — [5] Cf. S. Alph. *Hist. hær.*, Confut. XI, a. 8. — [6] Prop. 29ª a Leone X damnata. — [7] *Instit.*, l. IV, c. 9, n. 8. — [8] *Loc. cit.* n. 75.

cilia non forent infallibilia, nulla hæresis ut condemnata et ut vera hæresis haberi posset. » *(S. Alph.)* [1]. Et sic unitas fidei stare nequiret.

II. **Ex Traditione et praxi Ecclesiæ.** S. Patres Conciliorum definitiones tanquam infallibiles semper venerati sunt; et quotquot eisdem pertinaciter contradicere præsumpserunt, eos pro hæreticis habuerunt. Scribit *S. Athanasius*: « Verbum Domini per œcumenicam synodum Nicænam manet in æternum. » *(Ad Afric. n. 2).* — *S. Ambrosius:* « Sequar tractatum Nicæni Concilii, a quo me nec mors nec gladius separare poterit. » *(Epist. 21).* — *S. Gregorius Magnus:* « Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor;... quia dum universali sunt consensu constituta, se, et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. » *(Epist. l. I, 25).*

341. — IV. Superioritas Papæ supra Concilium [2].

Errores. — Ex iis, quæ hactenus de S. Pontifice allata sunt, abunde jam constat, ipsum in universalem Ecclesiam, plenam, supremam, et ab omni alia creata potestate independentem possidere potestatem. Ast, cum doctrina de superioritate Concilii supra Papam palmare Febronianorum et Gallicanorum dogma fuerit, ea de quæstione quædam specialius addere juvat.

Docuerunt Febroniani et Gallicani: S. Pontificem in Ecclesias *distributive sumptas*, non autem in Ecclesiam *collective sumptam*, supremam obtinere potestatem; Concilium possidere potestatem potestate Papæ superiorem; ac proinde Papam concilio subjici, atque omnibus a S. Pontificis judiciis ad Concilium appellare licitum esse. — Quam doctrinam conciliabulum Basileense decreto sancire attentavit, in sess. XXXIII, in qua statuit: « Veritas de potestate Concilii generalis universalem Ecclesiam repræsentantis supra Papam, declarata per Constantiense et hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei catholicæ » [3].

342. — Status quæstionis. — Non agitur in hacce quæstione de Papa dubio aut illegitimo, sed de Papa certo et le-

[1] *Loc. cit.*, n. 78. - [2] Cf. S. Alph. *De Rom. Pontif. auct.*, § 2; *Ver. fid.* P. III, c. 9; *Vindic.* passim.; Cercia, l. II, sect. III, lect. 5; Leytam, *Clypeus pontificiæ dignitatis.* — [3] Cf. S. Alph. *Ver. fid.* c. IX, n. 44 (II, p. 246).

gitimo; neque de Concilio illegitimo, independenter a S. Pontifice congregato: istiusmodi enim Concilium nulla pollere potest auctoritate: sed agitur de Concilio a Papa convocato, et in quo ipse præsidet.

Concilium generale in ordine ad S. Pontificem dupliciter considerari potest: *a)* vel prout concipitur cum Papa conjunctum, sicut corpus cum capite; jamvero de Concilio sub hoc respectu considerato non agitur, alioquin an Papa sit major seipso, inepte quæreretur: — *b)* vel prout in Concilio ex una parte Papa consideratur in se, tanquam caput a corpore distinctum: et ex altera parte, congregatio Episcoporum in se, sicut corpus a capite distinctum. Hoc ultimo sensu, utrum papa sit supra Concilium, an e converso, indagatur.

343. - - **Prop.** *Romanus Pontifex est Concilio œcumenico superior* [1].

De fide, ex Vatic., Const. *Pastor æternus*, cap. III, in quo legimus: « Si quis dixerit... R. Pontificem habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas Ecclesias, sive *in omnes et singulos pastores* et fideles, anathema sit. »

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. Legimus (Matth. XVI, 18): *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quibus verbis Petrus, et in eo S. Pontifex, constitutus est Ecclesiæ fundamentum, et qua fundamentum in universam Ecclesiam supremam accepit potestatem (n. 185). Sed, sicut fundamentum et singulos lapides et totam ædificii structuram sustentat, ita et Petrus sustentat non solum particulares Ecclesias distributive sumptas, sed et totam Ecclesiam collective sumptam: qua de causa ejus etiam auctoritas in totam Ecclesiam collective sumptam sese extendit: alioquin dicendum foret ædificium esse fundamenti fundamentum [2].

[1] Cf. Encycl. *Satis cognitum*, versus finem. - [2] S. Alph. *Ver. fid.* c. 9, n. 4.

2. (Luc. XXII, 32): *Ego rogavi pro te... et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Quibus verbis B. Petrus munus accepit confirmandi fratres utcumque inspectos, sive separati sint, sive in unum congregati. Jamvero, qui alios confirmare debet, eis potentior sit, necesse est. Petrus igitur auctoritate fratribus, id est, Episcopis etiam collective sumptis, potentior est: alioquin dicendum foret Petrum a fratribus esse confirmandum. « In Petro ergo, *ait S. Leo*, omnium fortitudo munitur, ut firmitas quæ Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. » *(In anniv. assumpt. suæ, serm. 3).*

3. (Matth. XVI, 19): *Tibi dabo claves regni cœlorum.* « Profecto, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, cujus in potestate sunt claves regni, ei jus atque auctoritas est non tantum in provincias singulares, sed in universas simul: et quo modo Episcopi in regione quisque sua non solum privato cuique, sed etiam communitati vera cum potestate præsunt, ita Pontifices romani, quorum potestas christianam rempublicam totam complectitur, omnes ejus partes, etiam una collectas, subjectas atque obedientes habent potestati suæ. » *(Enc. Satis cogn.)*

4. (Joan. XXI, 16, 17): *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Quibus verbis B. Petrus cum fidelium tum pastorum pastor constitutus est. Porro, inquit laudatus S. Pontifex: « Qui gregi præpositus est universo, cum non modo in oves dispersas, sed prorsus in multitudinem insimul congregatarum habere imperium necesse est. Num regat agatque pastorem suum universitas ovium? » *(loc. cit.)*

Præterea, ut ratiocinatur *S. Alphonsus*[1], quando oves in unum corpus conveniunt, eo ipso neque desinunt esse pastori subjectæ, neque præsertim pastores constituuntur pastoris. Sive ergo Episcopi sint per mundum dispersi, sive sint in Concilio adunati, supremo Pastori subordinati remanent. S. Pontifex est igitur Concilio superior.

II. **Ex traditione et praxi Ecclesiæ.** 1. *Ex testimonio Conciliorum*[2]. In Conc. *Nicæno I*, can. 39, Papa declaratur esse *super universam Ecclesiam christianam.* « Si ergo

[1] *Loc. cit.* n. 6. — [2] S. Alph. *loc. cit.* n. 7 et seq.

Papa est supra Ecclesiam, necessario supra Concilium erit, quod Ecclesiam repræsentat. » *(S. Alph.)*[1] — *In Later. V*, solemniter recepta fuit Constitutio Leonis X, *Pastor æternus*, in qua legimus: « Solum R. Pontificem, tanquam auctoritatem supra omnia Concilia habentem, tum Conciliorum indicendorum... plenum jus et potestatem habere. »

2. *Ex necessitate confirmationis decretorum Concilii a S. Pontifice.* Constat (n. 339, 3), nulla unquam in Ecclesia recepta fuisse Concilia, nisi prius accesserit S. Pontificis confirmatio; R. Pontificis vero definitiones absque Conciliorum approbatione ubique semper fuisse receptas. Sed superioris est inferioris decreta approbare.

3. *Ex modo agendi S. Pontificum.* Nemine reclamante, sed omnibus obtemperantibus, S. Pontifices Conciliis limites posuerunt, *ut S. Agatho:* « Nihil profecto, (ait, loquens de Patribus Conc. Constantinop. III), præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis... sinceriter enarrare; » *(Ep. ad August.)*; — vel eorum decreta irrita reddiderunt, *ut S. Leo*, qui de can. 28.° Conc. Chalcedonensis ait: « In irritum mittimus, et per auctoritatem B. Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus. »

4. Ex eo quod nunquam licitum fuit primam sedem judicare, secundum effatum in Ecclesia receptum: *Prima sedes a nemine judicatur.* — In Synodo Romæ congregata ad causam Leonis III examinandam, declararunt Episcopi Galliæ: « Nos Apostolicam Sedem, quæ est Caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus;... ipsa a nemine judicatur, quemadmodum et antiquitus mos fuit »[2].

5. Ex eo quod de omni causa ad S. Pontificem appellare semper licitum fuit; de Pontificis vero sententia ad Concilium appellare nunquam fuit concessum. « Cuncta per mundum novit Ecclesia, *ait S. Gelasius*, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi; neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. » *(Ep. ad Ep. Dardaniæ)*. — Et Pius II, in Constit. *Execrabilis*, provocationes a Papa ad

[1] *Dissert.* § 2. — [2] Labbe, t. VII; S. Alph. *loc. cit.* n. 17.

concilium damnat, et tanquam erroneas et detestabiles reprobat.

Ex quibus manifestum est universam Ecclesiam, et doctrina et praxi, S. Pontificem in potestate Concilio esse superiorem semper agnovisse.

III. **Ex Ratione.** « Christus Dominus, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII.* Petro ejusque successoribus tribuit ut essent *vicarii* sui, atque eamdem in Ecclesia perpetuo gererent potestatem, quam ipsemet gesserat in vita mortali. Num Apostolorum collegium Magistro suo præstitisse auctoritate dicatur?... Sane claves regni cœlorum uni creditas Petro, item ligandi solvendique potestatem Apostolis una cum Petro collatam, sacræ litteræ testantur: at vero summam potestatem *sine Petro* et *contra Petrum* unde Apostoli acceperint, nusquam est testatum. Profecto a Jesu Christo nullo pacto accepere » *(loc. cit.)*

344. — Quæritur: *Utrum potestas Concilii una cum Papa sit potestas major potestate solius Pontificis?*

Resp. Si potestas consideratur *intensive* et *formaliter*, potestas Concilii una cum Papa non est major potestate S. Pontificis etiam extra concilium: sed si consideratur *extensive*, major dici potest, quia tunc in subjecto magis extenso residet. « Cum in Ecclesia, *ait S. Alphonsus* [1], una sola adsit suprema potestas, dum Episcopi in Concilio cum Pontifice concurrunt, non est quod Episcoporum auctoritas præemineat super illam quam Papa etiam extra Concilium habet:... sed evenit quod eadem auctoritas suprema Papæ tunc ad alios Concilii Patres extenditur, et communis efficitur. » — Major etiam dici potest *auctoritate humana*, quia decreta, quæ a magno cœtu hominum scientia, prudentia et sanctitate præditorum, eduntur, mentes naturaliter magis commovent, quam decreta, quæ ab uno solo statuuntur.

CAPUT IV.

DE RELATIONE ECCLESIÆ AD SOCIETATES CIVILES, ET AD BONA TEMPORALIA.

345. — Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, perspecta habemus cum Ecclesiæ naturam et proprietates, tum Ecclesiæ Romanæ divinitatem, ejusque visibilis capitis auctoritatem, necnon et jura, quæ ad sui magisterii atque regiminis exercitium, Christus Dominus eidem inviola-

[1] *Vindic.*, c. 8.

biliter competere voluit. Ast de relationibus Ecclesiæ ad societates civiles, et de ejus jure bona temporalia possidendi sermo nondum habitus est: quas tamen quæstiones, nostris præsertim temporibus, quibus Ecclesiæ romanæ jura ubique tam impudenter violantur, silentio præterire nequimus.

Agendum est igitur in art. I. de mutuis relationibus, quæ Ecclesiam inter et civiles potestates intercedunt; et in art. II. de jure quo pollet Ecclesia bona temporalia possidendi.

ARTICULUS I.

DE MUTUIS RELATIONIBUS ECCLESIAM INTER ET STATUM.

346. — Doctrina catholica de mutuis relationibus Ecclesiam inter et Statum, in hæc pauca contrahi potest: Ecclesia et Status duæ sunt societates perfectæ, utraque in suo genere maxima, ab invicem essentialiter distinctæ, non autem oppositæ, nec ab invicem separatæ aut separandæ. Porro, divina ordinatione cautum est, ut inter eas mutua debeat intercedere concordia, civilisque potestas spirituali subordinari debeat, sicut quamlibet rem temporalem spirituali subordinari et inservire necessarium est.

347. — Errores. De his mutuis relationibus Ecclesiam inter et Statum a tribus jam sæculis, sed nostris præsertim temporibus, multi et gravissimi exorti sunt errores, quibus et sacra Ecclesiæ jura jugiter violantur, et ex quibus in ipsas etiam societates civiles vehementia redundant mala.

1. *Naturalismi et progressionis liberalismi fautores*, secundum quos « Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus, » *(Syll. 39)*. « dictitant ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem, et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis. » *(Encycl. Quanta cura)*.

Hi contendunt, Ecclesiam, præter potestatem a societate civili concessam, nullam aliam habere; civilem et ecclesia-

sticam potestatem et societatem confundunt, et « sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, ita Ecclesiam Dei sub imperium ditionemque reipublicæ subjungant. » *(SS. D. N. Leo P. P. XIII, Encycl. Libertas).*

2. *Gallicanismi, Febronianismi et Josephismi fautores* Ecclesiam quidem ut societatem perfectam et distinctam, propriisque suis juribus ditatam agnoscunt; ipsam vero indirecte civili potestati subdunt, principibusque potestatem indirectam negativam in sacra tribuunt.

Docent, principibus, *ratione juris majestatici*, nativam competere potestatem ita bono temporali providendi, ut, quotiescumque Status temporale bonum id postulare videatur, Ecclesiæ potestati limites assignare possint, atque impedire quominus ea libere exerceatur. Exinde principibus ab eis concessum est *jus supremæ inspectionis* quoad disciplinam ecclesiasticam: *jus supremi dominii* in bona Ecclesiæ; *jus cavendi* ne Ecclesia legibus suis Statui noceat; *jus reformandi* abusus in Ecclesia, ne Status inde detrimentum patiatur; *jus placiti regii, exequatur, et appellationis ab abusu.*

Hi igitur non Statum Ecclesiæ, sed Ecclesiam Statui subordinant; atque Ecclesiæ omne jus in temporalia regum, negant, sicuti in art. I. declarationis gallicanæ an. 1682 statutum est: « Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide et obedientia ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse. »

3. *Quidam ex naturalistis et liberalibus*, Ecclesiam et Statum non modo ut duas habent societates distinctas, sed ut oppositas, imo ut inimicas, inter quas perfecta ut vigeat concordia, omnino fieri nequit; ac proinde Ecclesiam a Statu et Statum ab Ecclesia sejungendum esse docent. « Plures, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII (Encycl. Libertas)*, rempublicam volunt ab Ecclesia sejunctam et penitus et totam, ita ut in omni jure societatis humanæ, in institutis, moribus, legibus, reipublicæ muneribus, institutione juventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla:

permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam.»

4. Alii demum, *liberales catholici*, Ecclesiam et Statum habent tanquam duas societates perfectas, suis propriis juribus cum omni libertate utentes; sed eas simul tanquam duas societates æquales, absque ulla alterius alteri subordinatione, tenent. Quorum sententiam Cavour celebri expressit adagio *Ecclesia libera in Statu libero.* — Hi Ecclesiæ omnem superioritatem supra Statum, omnemque potestatem tam directam quam indirectam in temporalia denegant.

Ex his erroribus plures in decursu tractatus jam sunt refutati, præsertim P. I, c. II, art. 3 et 5, in quibus de intrinseca Ecclesiæ perfectione atque potestate egimus. — Dicemus igitur tantum 1. De distinctione Ecclesiæ a Statu; — 2. de mutua concordia Ecclesiam inter et Statum; — 3. de subordinatione Status ad Ecclesiam, seu de potestate divinitus Ecclesiæ in temporalia regum concessa.

348. — Prop. I. *Ecclesia et Status sunt duæ societates et duæ potestates ab invicem omnino distinctæ.*

Theologice *certa.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Matth. XXII, 21): *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.* Quibus in verbis Christus duas dictinctas adseruit potestates, temporalem nempe Cæsaris, et spiritualem Dei seu Ecclesiæ.

Duas distinctas potestates manifeste ostendunt Apostoli: *spiritualem* unam, qua res divinæ ordinantur; *temporalem* alteram, qua terrena reguntur; atque obedientiam erga utramque commendant. De potestate spirituali ait Apostolus (Hebr. XIII, 17): *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* — De temporali vero (Tit. III, 1): *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse.* — Has autem esse distinctas, constat (Act. V, 29): *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

II. **Ex auctoritate.** « Deus, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, humani generis procurationem inter duas potestates partitus

est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus præpositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cujusque natura causaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur.» *(Enc. Immortale).* — *Et S. Gelasius:* «Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas.» *(Cap. Duo sunt, dist. 96).*

III. **Ex Ratione.** Eæ societates sunt ab invicem essentialiter distinctæ, quæ diversam habent originem, finem diversum, diversamque extensionem. Atqui, Ecclesia et societas civilis diversam habent originem, finem diversum, diversamque extensionem.

a) Habent diversam originem: Utraque societas est a Deo; sed Ecclesia jure divino positivo, ex immediata Christi institutione; societas vero civilis jure divino naturali.

b) Habent diversum finem: Ecclesia pro fine habet æternam hominum beatitudinem: societas civilis pro fine proprio et immediato habet felicitatem hominum temporalem, scilicet *ut quietam et tranquillam vitam agamus* (I Tim. II. 2).

c) Habent diversam extensionem: Ecclesia est catholica, et omnes gentes in sinu suo complectitur: societas civilis certis coarctatur limitibus, ultra quos diversis ex causis nec extendi, nec ullam potestatem exercere valet.

349. — Prop. II. *Ex divina ordinatione neque Ecclesia a Statu, neque Status ab Ecclesia sejungendus est: sed inter utramque societatem mutua vigere debet concordia* [1].

Theologice certa.

NB. 1. Dicitur: *ex divina ordinatione;* quia «publicæ potestatis et societatis relatio ad Ecclesiam non oritur tanquam ex ratione præcipua multoque minus unica ex commodis politicis, quæ conjunctionem et concordiam reipublicæ cum Ecclesia comitantur, sed fundatur in lege Dei supremi Domini, auctoris naturæ et gratiæ ac ordinatoris

[1] Cf. SS. D. N. Leo PP. XIII, *Enc. Libertas;* Coll. Lac., p. 572 et 622; De Groot, q. XI, a. 4.

utriusque societatis et potestatis; adeoque conjunctio et concordia non liberæ optionis est, sed necessariæ obligationis.» *(Theologi Vaticani)* [1].

2. Concordia inter Ecclesiam et Statum potest esse vel negativa vel positiva; *negativa* in eo consistit, ut utraque societas in assequendo proprio fine ab eo abstineat, quod alterius juribus utcumque adversetur; *positiva* in eo versatur, ut ad finem suum assequendum una alteri auxilium præstet. Utraque concordia Ecclesiam inter et Statum vigere debet.

3. Quæ in propositione affirmantur, intelligenda sunt *de thesi*, seu de principio generali, ita ut optima societatis publicæ ratio ea sit, in qua perfecta illa viget harmonia; non autem *de speciali aliqua hypothesi* « in qua factum separationis tanquam minus malum tolerari vel etiam approbari debeat.» *(Theol. Vatic.)* [2]. — Ast hæc hypothesis certissime non potest censeri conditio ad optimam societatis publicæ rationem requisita.

Prob. prop. I. **Ex condemnatione oppositæ doctrinæ.** Pius IX damnavit propositionem « Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est» *(Syll. 55)*, necnon et *falsas ac perversas ac detestandas opiniones*, quæ eo spectant « ut de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quæ rei cum sacræ tum civili fausta semper exstitit ac salutaris;» sicut et eorum doctrinam, qui « audent docere: optimam societatis publicæ rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret... Atque contra sacrarum litterarum, Ecclesiæ, sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant: optimam esse conditionem societatis, in qua imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ religionis, nisi quatenus pax publica postulet.» *(Quanta cura)*.

II. **Ex Traditione.** S. Patres, ut sacerdotium inter et Statum non solum negativa, sed et positiva vigeat concordia, expostulant. Scribit *S. Greg. M.* ad Imp. Mauritium: « Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum nostrorum pietati cœlitus data est, ut qui bona appetunt, adjuventur; ut cœlorum via latius pateat; ut terrestre regnum cœlesti regno famule-

[1] Coll. Lac. p. 623. — [2] Coll. Lac. p. 624.

tur. » — Et *S. Ivo Carnutensis*, ad Paschalem II. scribens, ait: « Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. » *(Ep. 238).*

III. **Ex Ratione.** *a) Ex origine utriusque potestatis.* Potestas, qua religiosa, qua civilis, a Deo sunt; et utrique, jubente Deo, præstanda est obedientia. Sed quæ a Deo sunt, ordinata sunt, nec sibi possunt contradicere. Igitur inter potestatem Ecclesiæ et Status non pugna aut discordia, sed concordia intercedere debet.

b) Ex fine utriusque potestatis. Idem est finis proximus Ecclesiæ, et finis remotus societatis civilis, æterna scilicet hominis beatitudo. « Ex sacerdotio et regno, *ait S. Isidorus Pelusiota*, rerum administratio conflata est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit, ad unum tamen et eumdem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem. » *(Ep. l. III, 249).*

Cum enim omnia hominis temporalia ad æternam felicitatem ordinari debeant, societas civilis bonum temporale civium ita promovere tenetur, ut hi temporalibus ad finem suum ultimum attingendum adjuventur. Sed « cuicumque, *ait S. Thomas*, incumbit aliquid perficere quod ordinatur in aliud sicut in finem, hoc debet attendere ut suum opus sit congruum fini;... quia igitur vitæ qua in præsenti bene vivimus, finis est beatitudo cœlestis, ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare secundum quod congruit ad cœlestem beatitudinem consequendam: ut scilicet ea præcipiat quæ ad cœlestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria, secundum quod fuerit possibile interdicat. » *(De regime Princ., c. 15).*

Necesse est igitur ut societas, si velit optimam se habere societatis rationem, non solum negativam, sed et positivam ineat cum Ecclesia concordiam.

c) Ex objecto utriusque protestatis communi. Iidem homines fideles sunt et cives, qui sacerdotio et regno obedire tenentur. Porro evenire potest ut utraque potestas circa idem objectum versetur. Quo in casu, nisi inter eas vigeat concordia, irremediabiles enascerentur conflictus; quod Dei sapientiæ repugnat.

« Quamvis principatus civilis, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII*, non eodem, quo sacer, proxime spectet, nec iisdem eat itineribus, in potestate tamen gerenda obviam esse interdum alteri alter necessario debet. Est enim utriusque in eosdem imperium, nec raro fit, ut iisdem de rebus uterque, etsi non eadem ratione, decernat. Id quotiescumque usuveniat, cum confligere absurdum sit, sapientissimæque voluntati Dei aperte repugnet, quemdam esse modum atque ordinem necesse est, ex quo, caussis contentionum certationumque sublatis, ratio concors in agendis rebus existat. » *(Encycl. Libertas)*.

d) Ex obligatione societatis civilis veram religionem sequendi. « Quoniam non solum singuli privati homines, *aiunt schemata Vatic.* sed etiam omnes in vita publica ipsaque societas ad veram religionem erga Deum tenentur religionisque legibus obstringuntur, hinc ipsa publica societas, cujus cives simul fideles sint, magnis et necessariis officiis obligatur erga Dei Ecclesiam, quæ veræ religionis doctrinam et leges et jura ex divino mandato custodit ac tuetur. » *(De Eccl. c. XIII*, Coll. Lac. p. 573).

e) Ex commodis, quæ civili societati ex sua conjunctione cum Ecclesia obtingunt: Legimus in schemat. Vatic., *de Eccl., c. 13, (coll. Lac. p. 572)* : « Ecclesia rempublicam maximo munimento firmat ac tuetur, ejusque securitati prospicit. Illa enim instituta ad sanctificandos homines, ipsa virtute et pietate christiana bonos etiam cives facit, qui si tales sint, quales esse præcipit doctrina catholica, sine dubio magna erit salus reipublicæ. — Præterea cum terrena potestas in temporali utilitate et pœnarum metu suam observandarum legum sanctionem positam habeat, vera religio, cujus et custos et magistra est Ecclesia Catholica, auctoritatem imperantium validius doctrina legibusque divinis confirmat....

« Ecclesia... non minus reges quoque docet prospicere populis...

« Ecclesia igitur Catholica regum et populorum, atque in his singulorum omnis conditionis hominum, religione divina tum jura tuetur tum officia docet ac præcipit, atque ita legibus humanis sanctius fundamentum ponit et fideliorem conciliat obedientiam. Quare cum hæc civitas Dei tantum conferat ad securitatem et felicitatem civitatis terrenæ, vel ex hoc uno omnes intelligant, quanta sapientia ac bonitate Deus, auctor naturæ et gratiæ atque utriusque civitatis ordinator, potestatis sacerdotii et imperii non inimicas sed vinculo pacis conjungendas disposuerit. » (Schemat. Vatic. c. 13).

Contra, soluta concordia Ecclesiam inter et Statum, nutent societates publicæ, necesse est, cum nullo stabili fundamento fulciri queant; nec ulla pace aut tranquillitate frui valent, ut hodiedum tristis expe-

rientia manifestat; quibus malis medendis nullum extra Ecclesiam præsto potest esse remedium. Cf. *Leo XIII*, præsertim *Encycl. Inscrutabili, — Quod Apostolici, — Diuturnum, — Immortale Dei, — Quod multum.*

350. Prop. III. *Potestas civilis spirituali Ecclesiæ potestati est subordinata*[1].

Theologice *certa;* alii dicunt *de fide*, ex declaratione Bonifacii VIII, bulla *Unam sanctam:* « Porro subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. » Quæ verba, ut ex totius bullæ contextu patet, de regibus et societatibus dicta sunt.

NB. 1. Subordinatio, quæ in propositione adstruitur, in eo consistit quod S. Pontifex, utpote potestatis plenitudinem possidens in spiritualibus, verus regum et principum superior constituitur; quos quidem, si ratio boni spiritualis expostulet, non solum per monita et consilia dirigere, sed et pœnis cogere, imo et a regno deponere potest; præterea eorum subditos a sacramento fidelitatis potest liberare. — Vi hujus subordinationis, S. Pontifici potestas summa competit disponendi de bonis temporalibus omnium christianorum, si bonum spirituale hoc exigit.

2. Non agitur de potestate, quam Ecclesia in temporalia jure quodam humano positivo, aut jure publico alicujus temporis, obtinere potest, sicuti, verbi gratia, medio ævo plura ex jure publico gentium obtinuit; sed agitur unice de potestate, quam Ecclesia *jure divino*, ex Dei scilicet ordinatione, in temporalia obtinet.

3. Nec agitur in prop. de natura potestatis, qua Ecclesia in temporalia pollet, utrum scilicet sit *directa* an *indirecta:* de hac quæstione quædam infra subjicientur; sed hujus potestatis existentia unice adstruitur.

Prob. I. **Ex declaratione SS. Pontificum.** Pius IX proscripsit propositionem 24 Syllabi: « Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem, directam vel indirectam. » — Et in Encycl. *Quanta cura, falsas* et *perversas* denuntiat et damnat opiniones eo magis detestandas « quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amo-

[1] Cf. Bellarm. *De R. Pontif.*, l. V; Suarez, *Defensio fidei*, l. III; Bouix, *De Papa*, P. IV.

veatur salutaris illa vis, quam Catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione et mandato libere exercere debet usque ad consummationem sæculi, non minus erga singulos homines quam erga nationes, populos, summosque rerum principes. »

Celebris præsertim est Constitutio Bonifacii VIII, *Unam sanctam*, anno 1302 edita, et in Concilio Later. V iterum approbata et renovata. Legimus in ea: « Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati: nam cum dicat Apostolus: *Non est potestas nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt;* non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, et tanquam inferior reduceretur per alium in suprema... Nam veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet et judicare, si bona non fuerit; sic de Ecclesia et ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Hieremiæ: *Ecce constitui te hodie super gentes et regna*, et cætera quæ sequuntur. Ergo si deviat terrena potestas, judicatur a potestate spirituali.... Quicumque igitur huic potestati a Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit... Porro subesse Romano Pontifici, omni creaturæ humanæ declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. »

II. **Ex Traditione.** Scribit *S. Gregor. M.* ad imper. Mauritium: « Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum meorum pietati cœlitus data est,... ut terrestre regnum cœlesti regno famuletur. » *(Epist. L. III. 65).* — *S. Gregor. Naz.:* « Submittamus nos tum Deo, tum invicem, tum iis qui in terra imperant... At vos quoque (principes et præfecti) imperio meo et throno lex Christi subjecit. Imperium enim et nos gerimus, addo et præstantius et perfectius. » *(Orat. 17).*

Ait *S. Ivo Carnut.:* « Sicut sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini. » *(Ep. 106).* — *Hugo Victorinus*[1]: « Quanto autem vita spiritualis dignior est quam terrena, et spiritus quam corpus, tanto spiritualis potestas terrenam sive sæcu-

[1] *De Sacram.* l. II, P. II, c. 3; cf. etiam S. Bernardum, *De Consider.*, l. IV, c. 3; et Ep. 237, *ad Eug. P.*

larem potestatem honore ac dignitate præcedit. Nam spiritualis potestas terrenam potestatem et instituere habet ut sit, et judicare habet, si non bona fuerit. »

III. **Ex praxi Ecclesiæ**[1]. Ecclesia non raro reges excommunicavit, atque a regno deposuit, eorumque subditos a juramento fidelitatis relaxavit. — Reos de certis criminibus, ut hæresi, duellio, bonorum confiscatione puniri jussit; alios libertate privavit et in servitutem redegit. — Hæreticorum fautores excommunicatione mulctavit, eosque ad certa officia publica gerenda inhabiles reddidit. Regum et principum leges sæpius irritavit: quæ omnia indubiam potestatem in temporalia manifestant.

Hujus potestatis exercitii testes habemus Concil. Later. III et IV, Lugdunense an. 1245, Constantiense, et Tridentinum, *sess. XXV, de reform., c. 19*; testes habemus viginti et octo S. Pontifices, qui illa potestate usi sunt. Sic v. gr. S. Gregorius M. legem irritavit, qua Mauritius, ne milites vitam monasticam inirent, prohibebat; S. Gregorius II Italiam a Leonis Isaurici obedientia subtraxit; S. Zacharias regnum Francorum a Childerico III in Pipinum transtulit; S. Gregorius VII Boleslaum Poloniæ regem et Henricum IV Germaniæ regem excommunicavit et deposuit, etc.

Neque vero dici potest cum liberalibus, Ecclesiam sibi hanc potestatem adscripsisse *usurpando* jura Principum; quæ quippe sententia a Pio IX explicite proscripta est in Syll. prop. 23: « Romani Pontifices et Concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt. »

Neque etiam cum Gallicanis dici potest, Ecclesiam medio ævo hanc potestatem ex concessione principum aut ex jure publico illius temporis accepisse. In depositione enim Frederici imperatoris ab Innocentio IV in concilio Lugdunensi an. 1245 peracta, declarat S. Pontifex se vi auctoritatis a Christo acceptæ imperatorem regno privare. « Nos itaque, *inquit*,... cum Jesu Christi vices licet immeriti teneamus in terris, nobisque in B. Petri Apostoli persona dictum sit, *Quodcumque ligaveris super terram*, etc., memoratum principem..... omni honore et dignitate privatum a Domino ostendimus, denuntiamus, ac nihilominus sententiando privamus; omnes qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, a juramento hujusmodi perpetuo absolventes: auctoritate apostolica firmiter inhibendo ne quisquam de cætero sibi tanquam imperatori vel regi pareat. »

[1] Cf. Bouix, *loc. cit.* P. IV, sect. 2, 3, 4.

IV. **Ex auctoritate theologorum** [1]. Theologi catholici, qui gallicana labe infecti non fuere, unanimes sunt in adscribenda S. Pontifici potestate in reges et regna temporalia. Ait *S. Thomas* [2]: « Potestas sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ. Et ideo non est usurpatum judicium si spiritualis prælatus se intromittat de temporalibus quantum ad ea in quibus subditur ei sæcularis potestas. »

S. Bonaventura [3]: « Possunt sacerdotes et Pontifices ex causa amovere reges et deponere imperatores, sicut sæpius accidit et visum est; quando scilicet eorum malitia hoc exigit et reipublicæ necessitas sic requirit. » — *Suarez* [4]: « Dicendum est, potestatem ecclesiasticam non solum esse in se nobiliorem, sed etiam superiorem, et habere sibi subordinatam et subjectam potestatem civilem. Est hæc conclusio certa et communis apud catholicos. »

V. **Ex Ratione.** 1. *Ex fine utriusque societatis.* Qualis est ordo finium, talis est et ordo societatum: societates enim ex fine specificantur. Atqui finis societatis civilis, qui est terrena hominum felicitas, fini Ecclesiæ, qui est æterna hominum beatitudo, suapte natura subordinatur. Ergo et civilis societas Ecclesiæ, ut medium fini, subordinatur. Qua de causa Ecclesia, fini superiori præposita, jus nativum habet auctoritative exigendi ne Status quidquam, quod fini suo adversetur, moliatur, atque ea, quæ Ecclesia ad finem suum obtinendum judicaverit necessaria, præstet.

2. *Ex munere Supremi Pastoris.* Potestas S. Pontificis ad omnes oves Christi, et ad omnes actus, quibus fidelium salus promoveri aut deperdi potest, extenditur. « Unus autem ex his actibus in christiano principe, *ait Suarez* [5], est debitus usus potestatis gubernativæ. Nam si illa non juste utatur, condemnabitur. Ergo ad pastorem spiritualem talis principis pertinet facultas dirigendi illum in usu suæ temporalis potestatis. » — Idem dicendum est propter salutem subditorum:

[1] Cf. Bouix, *loc. cit.*, sect. I, — [2] II, II, q. LX, a. 6, ad 3. — [3] *De eccl. hierarch.*, P. II, c. 1. — [4] *De Leg.*, l. IV, c. 9. — [5] *Defens. fid.* l. III, c. 22, n. 5.

nam si rex mala præcipiat, subditi, quorum saluti S. Pontifex prospicere tenetur, spirituale detrimentum patientur. — Sed, *addit Suarez*[1] « Per potestatem *directivam* non intelligimus solam potestatem consulendi, monendi, rogandi... Sed intelligimus propriam vim obligandi, et cum morali efficacia movendi, quod aliqui solent coactivam appellare. »

3. *Ex pacis necessitate.* « Utraque potestas temporalis et spiritualis, *inquit Suarez*[2], ita conferri et possideri debuerunt, ut communi bono et saluti christiani populi proficiant. Ergo necessarium est ut hæ potestates aliquem ordinem inter se observent. Alias non posset pax et unitas in Ecclesia servari. Nam sæpe temporalia commoda spiritualibus repugnant. Et ideo, vel erit bellum justum inter utramque potestatem, vel necesse est alteram alteri cedere. Ergo vel potestas spiritualis erit sub temporali, vel e contrario. Primum nec dici nec cogitari potest secundum rectam rationem: quia temporalia omnia ordinari debent ad spiritualem finem. Ergo dicendum e contrario est, potestatem temporalem subjectam esse spirituali, ut a suo fine non deflectat. »

351. — *Objicitur I.* Ecclesia est in Statu, non vero Status in Ecclesia. Ergo non Status ab Ecclesia, sed Ecclesia a Statu pendet.

Resp. Ecclesia est in Statu, *distinguo:* ut pars in toto, *nego;* ut anima in corpore, *concedo.* Et re quidem vera, Ecclesia nec formaliter nec materialiter dici potest esse in Statu ut pars in toto: *non formaliter*, Ecclesia formaliter sumpta societas est supernaturalis, quæ sub societate naturali contineri nullatenus potest; — *non materialiter*, Ecclesia materialiter considerata, ratione membrorum, catholica est; unde, licet fideles sint etiam cives, Ecclesia tamen ad unum regnum coarctari, aut tanquam pars regni considerari nequit: ac proinde potius dicendum est: Statum esse in Ecclesia, quam Ecclesiam in Statu.

352. — *Objic. II.* De essentia perfectæ societatis est alteri non subjici. Sed Status est societas perfecta. Ergo Ecclesiæ subjici nequit.

Resp. De essentia perfectæ societatis est nulli alteri *æquali* subjici, *concedo;* superiori, *nego.* — Est quidem civilis societas in suo ordine summa, *ut declararit SS. D. N. Leo PP. XIII. (Encycl. Immortale)*, ac proinde in temporalibus, quæ nullam cum spiritualibus connexionem habent, ab Ecclesia est independens. Ipse autem ordo societatis civilis non est simpliciter summus, sed supra se ordinem habet spi-

[1] *Loc. cit.* n. 1. — [2] *Loc. cit.*, n. 7.

ritualem. Unde in omnibus temporalibus, quæ cum fine spirituali connexionem habent, ab ea societate, cujus est finem spiritualem promovere, pendet.

353. *Objic. III.* Status non est æternus, sed finitur cum tempore. Ipsius ergo non est de æterna beatitudine curare, ac proinde ratione spiritualis finis Ecclesiæ subjici nequit.

Resp. Status ut Status non est æternus, *concedo;* membra Status, seu cives non sunt æterni, *nego.* — Ipsius ergo non est de æterna beatitudine curare, tanquam de fine proprio et proximo, *concedo;* tanquam de fine remoto, ad quem temporalis civium felicitas ordinatur, *nego.* Cum enim bonum civium temporale ad bonum eorum æternum suapte natura ordinetur, idcirco vi suæ institutionis Status bono temporali civium ita prospicere tenetur, ut eorum etiam bonum æternum promoveat; et vi hujus obligationis ab Ecclesia, cujus est civium bonum spirituale et æternum directe promovere, dependet.

354. — *Objic. IV.* Societas civilis a jure naturali, Ecclesia a jure positivo ortum habet. Sed jus naturale juri positivo non subordinatur. Ergo nec Status Ecclesiæ.

Resp. Jus naturale non subordinatur juri positivo humano, *transeat:* juri positivo divino, *distinguo,* ut ab eo mutetur, *concedo;* ut ab eo determinetur et applicetur, *nego.* Jamvero jus naturale, quo tam singuli homines quam ipsæ societates Deum aliquo cultu colere tenentur, jure divino positivo per institutionem religionis christianæ determinatum est. Sicuti igitur omnes societates religionem christianam amplecti tenentur, ita etiam omnes ei societati, cui religionis revelatæ custodia a Deo concredita est, sese subjicere tenentur.

355. — *Objic. V.* Subordinatio Status ad Ecclesiam viam innumeris aperit excessibus. Status enim sub prætextu religionem tuendi, spiritualia invadere potest. Ecclesia vero sua potestate abuti, et sese indebite in civilibus ingerere potest. Inde ordinis perturbatio, atque inter utramque societatem perpetuum luctamen.

Resp. I. Status, sub prætextu religionem tuendi, spiritualia invadere potest: si ipsius est definitive judicare quandonam Ecclesiæ adjutorium exhibere debeat, *concedo;* si hoc judicium non ad Statum, sed ad Ecclesiam unice pertinet, *nego.* — Jamvero solius Ecclesiæ est definitive judicare, quandonam et quodnam auxilium sibi a Statu sit exhibendum. Ipsa enim sola, utpote spiritualibus præposita, scire potest quid ad religionem vere pertineat, quid non pertineat; quid ad hujus bonum conferat, quid ei noceat; et quandonam opportunum sit a brachio sæculari semetipsam adjuvari.

Præterea, *ut ait S. Thomas:* « Semper invenitur ille, ad quem pertinet ultimus finis, imperare operantibus ea, quæ ad finem ultimum ordinantur: sicut gubernator, ad quem pertinet gubernationem disponere, imperat ei, qui navem constituit, qualem navem navigationi aptam facere debeat. » *(De Regim. princ., l. I, c. 14).* Porro, ad solam

Ecclesiam immediate pertinet ea, quæ ad religionem spectant, curare; itaque et solius Ecclesiæ est judicare, quandonam civilis potestas sibi ad finem suum consequendum cooperari debeat. In auxilio igitur Ecclesiæ ferendo, principes civiles Ecclesiæ judicium exspectare tenentur, antevertere non possunt: ex quo omne periculum injustæ invasionis in spiritualia præcavetur.

II. Ecclesia sua potestate abuti potest, *nego*. — Ecclesia a Spiritu Sancto regitur; et cum suprema potestas Ecclesiæ, non in destructionem civitatum, sed in ædificationem corporis Christi, commissa sit, idcirco Spiritus Sanctus ei, limites suæ potestatis ne prætergrediatur, jugiter assistit.

Præterea, dato etiam quod in Ecclesia specialis Spiritus S. assistentia desideraretur, ipsa tamen periculo aliena jura invadendi vix exponeretur, cum ei jam arduum sit propria jura defendere et conservare. Ex una enim parte Ecclesia vi materiali caret, qua civilem societatem opprimere posset; ex altera vero, ut experientia constat, Status est suæ potestatis zelotypus, et summo studio providet, non solum ut eam intactam conservet, sed etiam ut, quoties occasio sese dederit, Ecclesiæ potestatem deprimat.

Et re quidem vera, testatur historia omnes discordias, quæ Ecclesiam inter et Statum exstiterint, inde fuisse profectas quod Status spiritualia injuste invaserit, aut Ecclesiæ debitam submissionem non exhibuerit; nunquam vero inde quod Ecclesia suæ potestatis limites fuerit supergressa.

356. — Quæritur: *Utrum potestas Ecclesiæ in temporalia regna sit directa an indirecta* [1].

Resp. Digladiantur auctores. Præcipui ex antiquioribus juris Pontificii interpretibus, *ut fatetur Suarez* [2], inter quos eminet B. Augustinus de Ancona (seu Triumphus) [3], potestatem adstruunt *directam*. Christus, inquiunt, est Rex universorum, spiritualium et terrenorum. Ipse, dum B. Petrum suum in terris Vicarium instituit, potestatem suam regiam ei directe commisit, eumque supremum monarcham cum in spiritualibus tum in temporalibus posuit, hac tamen lege, ut spiritualem potestatem per se, temporalem vero per manus principum exerceret; neve unquam immediate et per se hanc temporalem exerceret potestatem, nisi cum bonum Ecclesiæ et salus ani-

[1] Cf. Bouix, *loc. cit.*, sect. VII. — [2] *Def. fid.*, l. III, c. 5, n. 4. — [3] *De potest. Eccl.*

marum hoc exigerent. — Vi igitur directæ et supremæ hujus potestatis potest S. Pontifex *valide semper*, et *licite* quoties bonum spirituale hoc exigit, reges in diversis mundi regionibus instituere, deponere, regere et coercere.

Recentiores vero, præsertim post Bellarminum et Suaresium, indirectam tantum concedunt potestatem. Docent, Christum Dominum B. Petro in sola spiritualia, non autem in temporalia, supremam potestatem directe contulisse. Cum autem omnia temporalia spiritualibus subdantur, et fini hominis ultimo inservire debeant, ideirco ratione finis spiritualis, et unice quatenus finis spiritualis hoc exigit, Christus B. Petro potestatem dedit in temporalia: in quo præcise potestatis indirectæ ratio consistit. — Quocirca vi istius potestatis indirectæ S. Pontifex nec licite nec valide reges constituere aut deponere aut coercere potest, nisi quando necessitas aut utilitas superioris boni Ecclesiæ aut animarum hoc expostulet.

Secundæ huic sententiæ robur accessisse videtur ex verbis SS. D. N. Leonis PP. XIII, quibus in Encycl. *Immortale Dei*, spiritualem et temporalem potestatem declarat *in suo genere maximas*. Jamvero si penes S. Pontificem suprema et directa potestas in omnia temporalia resideret, potestas regum, utpote subordinata potestati ejusdem ordinis, in suo genere maxima non videretur.

Ad praxim quod attinet, ambæ sententiæ in idem reincidunt. In utraque S. Pontifici conceditur non solum potestas directiva, id est, monendi, increpandi, consilia dandi; sed vera potestas coercitiva, quæ, ut reges et principes ad obedientiam adducat, mediis non solum spiritualibus, v. gr., excommunicatione, interdictione, etc., sed et materialibus uti potest. — Prior docet non posse S. Pontificem *licite*, posterior, eum non posse *valide*, potestatem in bona temporalia regum exercere, nisi bonum superius ordinis spiritualis hoc exigat. Porro utraque docet penes solum Pontificem esse judicare quando justa causa temporalibus interveniendi existat; ac proinde quotiescumque S. Pontifex suam potestatem exercet, et rebus temporalibus regum se immiscet, juste intervenisse censeri debet.

357. — Corollaria. Sicuti e falso suo principio de omnimoda status separatione et independentia ab Ecclesia, politico-liberales nefaria ducunt corollaria [1], quæ Gregorius XVI *deliramentum* [2], Pius IX *perniciosissimam lucem* nominavit, ita ex doctrina catholica de concordia Statum inter et Ecclesiam, atque de Status dependentia ab Ecclesia in ordine ad spiritualia, quædam fluunt magni momenti corollaria, quæ si in praxim deducerentur, Ecclesiæ tranquillitatem et splendorem, populis vero ac regibus pacem et prosperitatem conciliarent.

I. Ecclesia, cum a Christo tam pro singulis hominibus quam pro societatibus sit instituta, jus habet ut a Statu tanquam vera Ecclesia agnoscatur, et qua talis præ cæteris cœtibus speciali gaudeat protectione. Unde reprobanda est civilis cujusque cultus libertas *(Syll. 79)*, necnon hæc doctrina quod videlicet « ætate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis. » *(Syll. 77)*.

II. Cum ex divina institutione Ecclesiam inter et Statum concordia vigere debeat, princeps in legibus condendis, directionem Ecclesiæ, ne quidquam statuat, quod ejus fini aut juribus adversetur, suscipere tenetur. Ecclesia vero jus possidet quamcumque legem irritandi, quam fini suo aut juribus suis sive directe sive indirecte contrariam esse judicaverit. Princeps igitur, utpote persona publica, auctoritatem Ecclesiæ declinare non potest. « Intelligant universi.... *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, non licere aliam officii formam privatim sequi, aliam publice, ita scilicet ut Ecclesiæ auctoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et turpia conjugere hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere vitæ a virtute christiana deficere. » *(Enc. Immortale)*.

III. Cum ratione primatus S. Pontifex supremam, saltem indirectam, habeat potestatem in omnem creatam potestatem

[1] Cf. Pius IX, *Quanta cura*. — [2] *Encycl. Mirari vos.*

et in omnia bona temporalia, ideo ipse nativo jure et plena potestate:

1. Interdicere potest principibus, ne alteri regno injustum inferant bellum, neve tyrannicis et injustis legibus populum sibi subditum vexent. Hujusmodi enim abusus potestatis ex parte principum gravissimum est peccatum: sed peccata cohibere ad spiritualem potestatem pertinet.

2. Coortis seditionibus in regnis catholicis, cum hæc vel absque potestatis abusu ex parte principum, vel absque justæ obedientiæ denegatione ex parte inferiorum, ac proinde absque peccato esse nequeant, ideirco et auctoritative inter partes judicare, et reges ad æquam gubernandi rationem suscipiendam compellere, et populum ad debitam obedientiam reddendam adstringere potest.

3. Cogere potest principes ut Ecclesiæ brachii sæcularis auxilium præstent, quoties id ad Ecclesiæ bonum, sive ad ejus bona et jura sua illæsa conservanda, sive ad hostes repellendos, necessarium judicaverit.

4. Obligare potest potestatem civilem, tum ut conscientiæ cultuumque libertatem prohibeat: tum ut typographiæ libertatem cohibeat, ne libri edantur obscœni et impii: hæc enim directe spirituali animarum bono detrimentum inferunt.

5. Obligare potest principes, ut in instructione juventutis ea, quibus fides vel mores corrumpi possent, arceantur; ea vero, quæ spirituali juvenum bono sunt accommodata, præstentur.

6. Exigere potest a Statu, ut temporalia subsidia ad sustentationem ministrorum et cultum necessaria, quoties propria sua bona sunt insufficientia, suppeditet.

ARTICULUS II.

DE JURE BONA TEMPORALIA POSSIDENDI [1].

358. — Errores. — Waldenses et Wicleffitæ, Ecclesiæ, eo quod societas sit spiritualis, omne jus bona temporalia possidendi denegarunt.

[1] Cf. Coll. Lac., p. 576 et 629.

« Contra Scripturam Sacram est, *ait Wicleff,* quod viri ecclesiastici habeant possessiones. » Et : « Ditare clerum est contra regulam Christi. »[1] — Marsilius Patavinus Ecclesiæ independentiam a societate civili quoad res externas negavit ; exinde jus possidendi, quo gaudet Ecclesia, a concessione principum repetit, qui sicut jus dederunt, ita illud abolere, et Ecclesiæ bona velut sua accipere possunt.

Horum principiis insistentes, hodierni politici non pauci, odio acerrimo erga S. Ecclesiam ducti et cæca avaritia abrupti, nihil antiquius habent quam ut Ecclesiæ bona sacrilego furto sibi sumant, eaque bona nationalia declarent. « Dicunt nimirum, *(inquiunt schemata Conc. Vatic. de Const. Eccl., c. 15),* jus Ecclesiæ acquirendi et possidendi bona temporalia, esse subjectum arbitrio status politici, et ab ejus libera concessione jugiter pendere, ita ut potestas politica vi suæ supremæ auctoritatis possit illud jus abolere, latisque legibus sibi vindicare velut bona domino vacua, quæ legitimo proprietatis titulo sunt in possessione Ecclesiæ ; aut affirmant, dispositionem ac distributionem bonorum ecclesiasticorum non secus ac eorum, quæ publica sunt totius nationis, pertinere ad nativum jus supremæ potestatis politicæ. » — Imo, eo dementiæ procedunt, ut asserant « conforme esse sacræ theologiæ jurisque publici principiis bonorum proprietatem, quæ ab Ecclesiis, a familiis religiosis aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare. » *(Encycl. Quanta cura).*

Alii demum jus bona temporalia possidendi Ecclesiæ concedunt, illud autem ex solo jure naturali, non secus atque jus quod aliis competit societatibus, repetunt. Inde sequitur bona ecclesiastica, respectu Status, iisdem, ac bona cæterarum societatum, legibus ac oneribus esse obnoxia.

Probandum est igitur Ecclesiam, non solo naturali, sed altiori titulo, verum, plenum, ac omnino independens jus bona temporalia possidendi habere.

359. — Prop. *Ecclesia jure non solum naturali, sed etiam divino positivo, nativam bona temporalia possidendi potestatem habet.*

Theologice certa ; vel *de fide* catholica ex magisterio ordinario Ecclesiæ.

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. *Ex analogia cum Vet. Test.* In Ecclesia mosaica, tribus Levi, etsi in distributione regionis promissæ nullam specialem acceperit partem, urbes tamen

[1] Denzig., n. 486 et 508.

ad inhabitandum, et earum suburbana, jubente Deo, accepit, (Num. XXV): accepit etiam, mandante Domino, oblationes, primitias et decimas, (Num. XVIII). — Habuerunt levitæ ex jure divino, jus possidendi bona temporalia. Sed Ecclesia Christi non minoris est dignitatis nec paucioribus indiget rebus temporalibus ac Synagoga: ergo et ipsa eodem jure divino facultates possidere potest.

2. *Ex exemplo Christi et Apostolorum.* Christus dona sibi oblata accipiebat ad sustentationem Apostolorum, ut ex historia Judæ constat, de quo dicitur (Joan. XII, 6): *Fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur portabat;* et (Joan. XIII, 29): *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum.* De quibus agens, *ait S. August.:* « Exemplum Domini accipite conversantis in terra. Quare habuit loculos cui angeli ministrabant, nisi quia Ecclesia ipsius loculos habitura erat. » *(C. exempl. Caus. XII).*

De Apostolis vero legimus (Act. IV, 34 et seq.): *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum; dividebantur autem singulis, prout cuique opus erat.* Apostoli igitur communes facultates earumque liberam administrationem habuerunt: quod jus non a potestate civili, quæ eis in omnibus adversabatur, sed a jure naturæ et a jure divino positivo acceperunt. Inde merito inferimus Ecclesiam jus habere bona temporalia possidendi.

3. *Ex verbis Apostoli,* qui (I Cor. IX), ex triplice fonte jus temporalia accipiendi et possidendi evangelicis operariis vindicat:

a) Ex jure naturæ: *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?... Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* « Præceptum de solutione decimarum, *inquit S. Thomas,* partim erat morale, inditum naturali ratione... Quod enim eis qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria vi-

ctus ministraret, ratio naturalis dictat; sicut et his qui communi utilitati invigilant, scilicet principibus et militibus, et aliis hujusmodi, stipendia victus debentur a populo. Unde et Apostolus hoc probat per humanas consuetudines dicens: *Quis militat suis stipendiis unquam?* » *(II. II, q. 87, a. 1).*

b) Ex jure divino positivo antiquo: *Numquid secundum hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi triturant. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare; et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate.*

c) Ex ordinatione Christi Domini: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* — Ex quibus manifestum est Ecclesiam, tam jure naturæ quam positiva Christi ordinatione, jus habere bona temporalia accipiendi et possidendi.

II. **Ex constanti Ecclesiæ traditione et praxi.** Docet nos historia, Ecclesiam primis jam temporibus bona mobilia et immobilia possedisse. Cessantibus persecutionibus, jussit Constantinus bona ab Ecclesia injuste ablata huic restitui: « Fiscus, *ait*, adversus S. Ecclesias nihil obloqui ausus, ea quæ injuste aliquando detinuit, Ecclesiis juste restituet. Omnia ergo, quæ ad Ecclesias visa fuerint pertinere, sive domus possessio sit, sive agri, sive horti, seu quæcumque alia, nullo jure, quod ad dominium attinet, imminuto, sed omnibus integris manentibus, restitui jubemus. » [1]

Adversus leges, quibus jus possidendi lædebatur, acerbe invehuntur S. Patres. « Pudet dicere, *ait S. Ambros.*, sacerdotes idolorum, mimi et aurigæ et scorta hæreditates accipiunt; solis clericis et monachis hoc lege prohibetur; et non

[1] Euseb. l. II, *Vit. Constant.*, c. 39.

prohibetur a persecutoribus, sed a principibus christianis. » *(Ep. 18, ad Val.)*.

Huicce juri suo Ecclesia diligenti cura semper invigilavit. Propositionem I. Marsilii Patav., ex qua deduxit omnia bona temporalia Ecclesiæ imperatori subesse, tanquam hæreticam damnavit Joannes XXII [1]. — Plures prop. Wicleffii, quibus Ecclesiæ jus temporalia possidendi denegabatur, proscripsit Concil. Constantiense. — Contra invasores bonorum ecclesiasticorum excommunicationem tulit Concil. Tridentinum. *(De reform. sess. XXII. cap. 11. et sess. XXV. cap. 12)*. — Et Pius IX. in Encycl. *Quanta cura*, eorum reprobat, proscribit, et damnat errorem, quos non pudet affirmare: « excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiæ invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis ordinisque civilis ac politici ad mundanum duntaxat bonum prosequendum. » — Denique in Syllabo proscripta est *prop. XXVI:* « Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi. »

III. **Ex ratione,** ex natura scilicet Ecclesiæ. Jus possidendi bona temporalia ex ipsa Ecclesiæ divinitus data constitutione emanat. Ergo ex jure divino Ecclesia jus habet ad bona temporalia.

« Ecclesia namque, *aiunt schemata Conc. Vatic., de Eccl., c. XV, (pag. 576)*, cum sit perfecta societas divino jure constituta, supernaturalis quidem, sed eadem societas visibilis ex hominibus et ad hominum salutem in terris consistens, propterea rebus etiam visibilibus et externis atque inter hæc bonis quoque temporalibus utitur et juvatur tanquam mediis ad divinam suam missionem adimplendam et ad finem sibi a Christo Salvatore propositum assequendum. Ad hanc enim suam missionem Ecclesia visibilis ex natura sua et ex divina institutione ministros proprios habet ex hominibus assumptos et pro hominibus constitutos, qui non potestati sæculari subordinati, sed ab ea independentes sacris muneribus fungantur; atque ideo jure suo Ecclesia eis prospicit, ut juxta ordinationem Domini, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivant; ejusdemque Ecclesiæ sicut officium ita proprium jus est, providendi tum decori externi divini cultus, tum multiplicibus indigentium membrorum Christi necessitatibus, tum aliis, quæ opportuna judicaverit, christianæ caritatis et pietatis operibus. His vero muneribus Ecclesiæ atque officiis exsequendis cum secundum ordinem

[1] Denzig. n. 423.

divinæ providentiæ bona temporalia subserviant, sane illud jus acquirendi ac possidendi titulo proprietatis, quod mere humanis societatibus legitime constitutis competere potest, in Ecclesia non deficit, sed in ea, ut in societate divinitus et ad altiorem finem instituta et ab imperiis humanis independente, etiam sanctius est ac superioris ordinis, quia bona hujusmodi mystico corpori Christi, et per hoc ipsi Christo Deo specialius dicata sunt.»

360. — Corollaria. I. Cum bona ecclesiastica ad societatem pertineant supernaturalem, et « mystico corpori Christi et per hoc ipsi Christo specialius dicata sint, » ipsa res sunt sacræ, quæ absque sacrilegio auferri aut ab aliis retineri nequeunt. « Sacrilegium et contra leges est, *ait S. Gregorius*, si quis quod venerabilibus his locis relinquitur, (i. e. Ecclesiis), pravæ voluntatis studiis, suis tentaverit compendiis retinere. » *(Ep., l. X, 5 ad Salvian.)* — Et ex mandato Martini V, Bulla *Inter cunctas*, si quis de hæresi Wicleffii erat suspectus, interrogandus erat: « Utrum credat quod hujusmodi ablatio et invasio inducat sacrilegium. »

II. Nulla proinde lege civili Ecclesia legitime et absque sacrilegio impediri potest, ne dona et hæreditates a fidelibus accipiat, neve monasteria aut alia loca pia acquirat, et bona tam mobilia quam immobilia possideat.

III. Cum bona ecclesiastica ratione finis sint res sacræ, et ad societatem civili societate superiorem et ab ea omnino independentem pertineant, idcirco societas civilis hujusmodi bona nullis gravare potest oneribus, nullas eisdem imponere taxas legales, nullas circa eorum gestionem et administrationem ferre ordinationes, nisi S. Pontifex explicite vel saltem tacite hoc concesserit.

PARS III.

DE FONTIBUS FIDEI.

Jamjam absolutum est quidquid ad Christi Ecclesiam proprie pertinet, quandoquidem: in parte I. hujusce tractatus, Ecclesiæ Christi in se et in suis proprietatibus considerandæ operam dedimus; in II. vero demonstratum est, solam Ecclesiam Romanam eam esse Ecclesiam, extra quam, juxta Salvatoris verba, nulla homini speranda est salus. In his igitur sistere posset nostra consideratio de Ecclesia. Ad coronidem tamen hujus præcellentis doctrinæ de Ecclesia, tertiam partem, de fontibus fidei inscriptam, adnectendam esse censuimus.

Ut enim jam supra vidimus (n. 216), authenticum Ecclesiæ magisterium, sive a solo R. Pontifice ex cathedra loquente, sive a toto Episcoporum collegio per mundum disperso aut in Concilio adunato exerceatur, est viva et proxima fidei nostræ regula. Cum autem Ecclesiæ magisterium non ideo sit institutum ut nova dogmata condat, sed ut nos ea edoceat quæ, a Christo et Apostolis accepta, in deposito revelationis continentur, idcirco ad complementum hujusce disputationis de Ecclesia quædam apte adjicientur de iis fontibus, ex quibus ecclesiasticum magisterium ea depromit dogmata, quæ nobis credenda proponit.

Fontes fidei duo existunt: *Scriptura Sacra et Traditio.* Qui duo fontes regulam fidei remotam constituunt, quia nihil unquam, nisi quod in eis continetur, ab Ecclesia nobis fide divina credendum proponi potest.

Quæ cum ita sint, in cap. I. de Scriptura Sacra, in II. de Traditione, brevi quidem, pro compendio tamen theologico sufficienti sermone, tractabimus.

CAPUT I.

DE SCRIPTURA SACRA [1].

362. — Scriptura Sacra vocantur libri, qui « *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt.* » Concil. Vatic., Const. *Dei Filius.* c. II. Seu brevius: *Est verbum Dei, afflante Spiritu Sancto, ab hominibus scriptum.*

Dicitur *Verbum Dei;* qua in re Scriptura cum traditione convenit; *scriptum,* qua in re distinguitur a traditione, quæ est verbum Dei viva voce hominibus transmissum; *ab hominibus,* ab hagiographis scilicet, quibus Deus tanquam causis secundariis, seu tanquam instrumentis usus est ad sua verba hominibus communicanda; *afflante Spiritu Sancto,* id est, Deo ipso inspirante, dictante; per quod Scriptura sacra distinguitur tam a libris humana tantum industria exaratis, quam ab Ecclesiæ definitionibus, quæ cum speciali quidem Dei assistentia, non autem ex inspiratione proprie dicta eduntur. — Unde recte dicitur, Scripturam Sacram « litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre cœlesti datas et per auctores sacros transmissas. » *(SS. D. N. Leo PP. XIII, Encycl. Providentissimus Deus).*

Scriptura Sacra pluribus designatur nominibus: vocatur *Scriptura Dei, scriptura sancta, sacræ litteræ, fœdus, testamentum,* etc.; vocatur præsertim *Biblia,* id est *liber,* quia est omnium librorum excellentissimus, a quo omnis sapientia, quæ in aliis continetur libris, tanquam e proprio fonte effluit.

De Scripturis Sacris quatenus humanam possident auctoritatem, in tractatu de vera Religione satis jam dictum est (n. 96 et seq.); illud superest solum ut de eisdem, qua fontes sunt veritatis divinitus revelatæ, quædam principaliora adjiciantur, remissis ad scholas scripturisticas longioribus de hocce argumento disputationibus. Paucis igitur agemus in art. I. de Scripturarum inspiratione; in II. de canone S. Scripturarum; in III. de earumdem interpretatione.

[1] Cf. S. Alph. *Cont. hær.* c. 1; Berthier, *De locis theol.*, l. I, c. 2; De Groot, q. XVI; Egger, *Enchirid.*, Tr. III.

ARTICULUS I.

DE S. SCRIPTURARUM INSPIRATIONE.

Aggredientibus hanc de S. Scripturarum inspiratione tractationem, duo puncta investiganda sunt: natura scilicet inspirationis, et ejusdem extensio.

§ 1. *De inspirationis natura.*

363. — Definitio. — Inspiratio definitur: *Specialis Spiritus Sancti influxus in Scriptorem sacrum, quo fit ut Deus proprie alicujus libri auctor existat.* — Dicitur *specialis Spiritus Sancti influxus*, influxus scilicet ordinis supernaturalis, ab eo distinctus, quo Deus creaturas movet in ordine naturali; *in scriptorem sacrum*, in hominem scilicet, quo Deus tamquam instrumento ad aliquid scribendum utitur; *quo fit ut Deus proprie alicujus libri auctor existat*, virtute hujus specialis influxus Deus vere et proprie est libri *auctor principalis*, ita ut liber sit proprie *verbum Dei, epistola Dei ad homines, conscriptus, dictus, dictatus, conditus* ab ipso Deo, ut loquuntur S. Patres. Homo vero sub illo influxu scribens, est libri auctor secundarius et instrumentalis, quo Deus tanquam secretario utitur. Sicuti v. gr., si secretarius, rege dictante, litteras conscribit, litteræ regem habent auctorem proprium et principalem, secretarium vero auctorem secundarium et instrumentalem.

Convenit inter omnes de hac generali inspirationis definitione, utpote quæ ex SS. Patrum et Conciliorum dictis manifeste eruatur. Sed si de inspirationis natura, qua Spiritu Sancto afflante, Scripturarum libri ab hagiographis sunt conscripti, pressius inquiratur, auctores alii aliter sentiunt; quorum sententiæ ut intelligantur, inspirationis divisio præmittenda est.

364. — Divisio. — Inspiratio dividitur: 1. *Ratione subjecti*, in activam, passivam, et terminativam. — *Activa* est ipsa

Dei actio hominem ad scribendum movens. — *Passiva* est effectus divinæ motionis receptus in homine, seu est charisma supernaturale ad modum gratiæ gratis datæ, quo homo per modum transeuntis assumitur tanquam instrumentum Dei ad scribendum. — *Terminativa* est qualitas ipsi Scripturæ inhærens, qua ipsa dicitur et vere est verbum Dei.

2. *Ratione modi,* inspiratio est negativa vel positiva; antecedens, concomitans vel subsequens. — *Negativa* consistit in simplici assistentia, qua Spiritus Sanctus præcavet ne auctor sacer in scribendo falsa enarret. — *Positiva* consistit in physico influxu, quo Deus scriptorem movet, eique, quæ conscribi debent, suggerit. — *Antecedens* est prævius Dei influxus, quo scriptoris mentem circa scribenda illuminat, ejusque voluntatem ad scribendum efficaciter movet. — *Concomitans* est divina assistentia, qua Deus scriptori actu scribenti invigilat, ne erret, paratus ei quæ scribenda sunt inspirare, quoties sibi relictus scriptor in errorem incideret. Hæc est ferè eadem ac negativa. — *Subsequens* est simplex declaratio, qua Deus librum, humana industria conscriptum, ab errore immunem pronuntiat, ipsum approbat suumque facit.

365. — Opiniones erroneæ. — In Scriptura Sacra veritates reperiuntur duplicis generis, nimirum: aliæ captum humanum superant, et ex sola revelatione cognosci possunt, ut sunt mysteria; quoad harum inspirationem nulla fervet controversia. — Aliæ sunt, quas hagiographus naturali lumine cognoscere potest, ut sunt facta historica, scientiæ naturales, veritates quædam ordinis moralis, etc.; quoad inspirationem harum veritatum aliqui erronee senserunt.

1. J. Jahn, in sua *Introductione in libros Vet. fœderis,* anno 1814 vulgata, solam admittit inspirationem *mere negativam.* « Ut igitur libri sint divinæ auctoritatis, inquit, necesse est, ut scriptores auxilio (divino) suffulti omnem errorem caverint. Assistentia divina ad præcavendos errores dicitur inspiratio, nomine quidem in scholis recepto, sed non satis congruo: assistentia enim hæc nil inspirat aut docet, quod est revelationis, sed solummodo errores præcavet et impedit. »

Alii cum Bonfrerio solam concomitantem admittunt directionem, qua Deus non solum scriptori, ne erret, invigilat, sed etiam paratus est suggerere et reapse suggerit, quoties hagiographus sibi relictus in errorem incideret.

Alii, ante Concilium Vaticanum docuerunt, partes quasdam aliquorum librorum humana industria conscriptas, Scripturis esse insertas, et ut inspiratas unice propter subsequentem Ecclesiæ approbationem haberi.

Lessius demum, licet veram admiserit in S. Scripturis inspirationem, docuit tamen illud fieri posse, ut liber humana industria exaratus, per subsequentem approbationem Dei fiat divinus, et divinam ac infallibilem auctoritatem, non secus atque cæteri S. Scripturæ libri, possideat.

His opinionibus finem imposuit Vaticanum dum docet (*Const. Dei Filius. c. II*): « Eos (libros) vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo duntaxat quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt. »

Earumdem falsitatem manifestat etiam ratio. Teste Vaticano cum universali traditione, ejusmodi debet esse librorum sacrorum inspiratio, ut propter illam Deum habeant auctorem. Porro, ut aliquis non solum putetur, sed reapse sit verus auctor alicujus libri, non requiritur quidem ut illum propria manu conscribat, sed tamen non sufficit ut vel scriptori, ne erret, negative adsistat; vel ipsum scribentem quasi oculis comitetur, paratus huic, si forte erraret, veritatem suggerere; vel librum ab alio conscriptum declaret suum; verum, requiritur positiva actio in scriptorem, qua huic, quæ scribenda sunt, indicet, eumque ad scribendum excitet. Inspiratio igitur negativa, aut concomitans, aut subsequens, licet sufficiant ne in scriptis ullus error contineatur, nullatenus tamen sufficiunt ut hi libri Deum habeant verum auctorem.

Præterea, ut aiunt S. Patres, quæ in Scripturis Sacris continentur, *verba* et *eloquia* ipsius Dei sunt, a Deo *dicta, dictata, conscripta* sunt; quæ omnia, sicut intuenti patet, in inspira-

tione negativa, aut concomitante, aut subsequente usu venire nequeunt.

366. — Vera inspirationis notio. — Genuinam inspirationis notionem nobis exhibet SS. D. N. Leo PP. XIII, *(Encycl. Providentissimus):* « Supernaturali ipse (Spiritus Sanctus) virtute ita eos (hagiographos) ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quæ ipse juberet, et recte mente concíperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent; secus, non ipse esset auctor Sacræ Scripturæ universæ. »

Quibus in verbis omnia continentur elementa, quæ ad veram et proprie dictam inspirationem requiruntur.

I. Requiritur *influxus Dei positivus et antecedens* in hagiographum, quo Deus eum ad scribendum efficaciter excitat et movet: *supernaturali virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit.*

a) Influxus requiritur positivus: si enim Deus in scriptorem positive non influeret, sed ei scribenti solum assisteret eum ab errore præcavendo, liber Deum non posset habere auctorem, ut supra notatum est.

b) Influxus requiritur antecedens seu *prævius.* Hagiographus est tanquam instrumentum a Spiritu Sancto assumptum ad scribendum, *(ut ait SS. D. N. Leo PP. XIII, paululum ante verba supra relata).* Sed hoc exigit natura instrumenti, ne scilicet agat nisi prius a causa principali ad agendum applicetur: quoties enim instrumentum seipsum primo movet ad agendum, opus productum ipsi tanquam causæ principali est attribuendum. Initium igitur scriptionis, seu impulsus ad scribendum, non a scriptore sacro, sed a Deo venire debet, alioquin non Deus, sed hagiographus libri auctor foret principalis.

II. Requiritur influxus Dei *concomitans* in hagiographum *dum scribit et quamdiu scribit:* instrumentum enim non agit nisi tamdiu quoad motio moventis in eo perseverat. Hic autem influxus concomitans in tribus consistit, nimirum: in illuminatione intellectus, in motione voluntatis, in directione quoad verborum electionem: *ita scribentibus adstitit, ut ea omnia et sola,* etc.

Hagiographus est Dei instrumentum, sed instrumentum liberum, intellectu et voluntate præditum. Deus autem quamlibet creaturam movet secundum cujusque naturam: utitur ergo Deus scriptore sacro tanquam instrumento non mechanico, sed intelligente et libero, quod a Deo infallibiliter agitur et simul libere agit: quod a Deo quoad intellectum et voluntatem ita movetur ad scribendum, ut et ipsum nativis suis viribus proprioque labore effectum a Deo intentum producat. Unde:

a) Deus hagiographis, dum scribebant, jugiter adstitit, non sola assistentia negativa, sed positiva, *illuminando* virtute supernaturali eorum intellectum, *ut ea omnia et sola quæ ipse juberet, recte mente conciperent.* Requiritur igitur in inspiratione *positiva divina illuminatio.*

Quoad veritates conscribendas, quæ in sacris litteris continentur, scriptor sacer in duplici casu versari potuit. Aliæ sunt veritates, quas nescivit, neque naturaliter scire potuit, qualia sunt mysteria, quæ nondum explicite erant revelata. Ad istas veritates quod spectat, divina illuminatio necessario fieri debuit ad duos fines ratione saltem distinctos: primum, scilicet, ut istæ veritates cognoscerentur, quod factum est per revelationem proprie dictam: deinde, ut cognoscerentur *tanquam scribendæ*, quod factum est per judicium quoddam supernaturale, quo veritates scribendæ a non scribendis infallibiliter secernerentur: plura enim sunt revelata, ut, v. gr., traditiones divinæ stricte dictæ, quæ scripta non sunt.

Aliæ sunt veritates, quas scriptor sacer naturaliter scivit vel scire potuit, ut sunt facta historica, scientiæ naturales, aut veritates supernaturales aliis antea jam revelatæ. Ad istas veritates quod attinet, potuerunt etiam a Deo immediate revelari: nihil enim obstat quominus Deus naturaliter scita vel scibilia revelet: attamen, ut cognoscerentur, revelatio non fuit necessaria: potuit enim Deus, movendo hagiographum ad scribendum, ipsum excitare ut proprio labore earum veritatum notitiam acquireret, vel de rebus antea gestis reminiscerétur. Ita legimus B. Lucam, cum in eo esset ut suum Evangelium conscriberet, diligenter ex aliis, quæ a Salvatore a principio gesta erant, fuisse percunctatum. — Sed omnino necessaria

erat divina illuminatio ut ea, quæ naturaliter jam nota erant, *novo modo* cognoscerentur, id est, cum omnimoda certitudine et *tanquam scribenda*. Ex speciali ista illuminatione *quoad scribenda ut sic*, ex judicio illo supernaturali, hoc evenit ut nempe scriptor sacer, ex multis quæ naturaliter scivit, ea sola et omnia, quæ Deus scripta voluit, cæteris omnibus omissis, recte et mente conciperet et scriberet. — In hac præcise illuminatione concomitante in ordine ad scribendum consistit formaliter inspiratio, licet non unice.

Sic v. gr., S. Joannes suum Evangelium ita claudit (XX, 30, 31): *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt ut credatis* (cf. XXI, 25). Quod hæc et alia multa cognoverit Joannes, tenuit scientia naturali, vel anteacta revelatione; quod hæc, non vero alia, scripserit, tenuit judicio supernaturali ex speciali illa illuminatione, qua ipsi, hæc sola esse scribenda, manifestatum est.

b) Deus scribentibus jugiter adstitit, non solum ut recte mente conciperent; sed etiam *ut ea omnia eaque sola, quæ ipse juberet, fideliter conscribere vellent*. Ergo in inspiratione, præter intellectus illuminationem, admittenda est jugis motio voluntatis, qua hagiographi infallibiliter adducebantur ut fideliter conscribere vellent ea omnia et sola, quæ Deus ab eis conscripta voluit. Deficiente enim hac motione, fieri potuisset ut hagiographus vel non omnia scripsisset, quæ Deus scripta voluit, vel aliquid de suo addidisset, quod Deus scriptum noluit; et sic totus liber Deum non haberet auctorem.

c) Demum Deus scribentibus adstitit, *ut ea omnia eaque sola, quæ ipse juberet, apte infallibili veritate exprimerent*. Homo suis viribus relictus, in scribendis suis cogitationibus labi potest, ita ut verba ideas, quas exprimere velit, vel non omnimoda veritate, vel non eo modo, quo voluit eas exprimere, manifestent. Ut igitur ea, circa quæ sacri scriptores divinitus erant illuminati, infallibili veritate exprimerent, et *apte* exprimerent, id est, eo modo, ut verba ad amussim divino cogitatui responderent, Deus scribentibus adstitit, eosque in verbis eligendis direxit.

367. — In quo autem consistat hæc divina assistentia ad aptam verborum electionem, non declarat S. Pontifex.

Triplex præsertim inter auctores adest sententia. *Prima* pro omnibus Scripturæ verbis solam assistentiam *negativam* admittit, qua Deus scriptorem ab omni errore et falsitate, et ab omnibus verbis, quæ divinum conceptum non apte exprimerent custodit; in reliquis vero scriptorem suis viribus relinquit, ut in scribendo sua sola diligentia utatur.

Secunda distinctionem ponit inter veritates quæ humanum captum superant, et veritates quæ naturalibus viribus cognoscuntur. Quoad veritates primi generis, specialem requirit motionem antecedentem, qua Spiritus Sanctus imprimit conceptum verborum infundendo nova species, vel peculiariter excitando et movendo species præexistentes; hæc est inspiratio verbalis proprie dicta. Quoad veritates secundi generis concordat cum priori sententia [1].

Alii demum pro omnibus veritatibus assistentiam requirunt positivam, quæ in eo consistit quod Deus scriptoribus divinum exhibet adjutorium, quo in electione verborum ita diriguntur, ut ea semper præ cæteris assumant verba, quæ divino conceptui perfectius respondeant [2].

Haec *tertia* opinio cæteris videtur anteponenda. Etenim, sententiæ S. Scripturæ, *qua scriptæ*, Deum habent auctorem. Non viderentur autem Deum habere auctorem *qua scriptæ*, nisi Deus positive ad earum scriptionem concurreret; siquidem assistentia illa est pars essentialis inspirationis; sed, sicut supra dictum est, inspiratio negativa, Deus ut proprie sit auctor, non sufficit. — Præterea, hagiographus etiam *qua scribens*, est instrumentum Dei, principalis auctoris libri. Actio autem principalis agentis ad omnia, quæ fiunt ab instrumento, extenditur. Actio igitur Dei ad verborum etiam electionem extenditur.

Nec tamen confundi debet hæc positiva Dei assistentia cum inspiratione verbali proprie dicta, qua ipsa verba a Deo dictantur. Enimvero, aliud est dictare sententiarum verba, et

[1] Ita Suarez, *De fide*, Disp. V, sect. 3, n. 5. — [2] Cf. Egger, n. 222.

aliud scribentem adjuvare, proprio ut labore verba inveniat, quibus sententiæ apte exprimantur. Ex altera vero parte, hæc positiva Dei assistentia inspirationem verbalem quoad aliqua verba non excludit; nihil enim obstat quominus Deus, etsi pro omnibus rebus hagiographo auxilium exhibeat ad aptam verborum electionem, aliquoties tamen ipsa verba eidem dictet, præcipue scribenti altiora mysteria, quæ captum humanum undequaque superant.

§ 2. *De Inspirationis extensione.*

368. — Ratione extensionis inspiratio dicitur realis vel verbalis, universalis vel particularis. — *Realis* est, quæ sese extendit ad res et sententias, quæ in S. Scripturis continentur; *verbalis* est, quæ sese extendit ad ipsa verba, et apte dici potest *dictio verborum;* fit enim per impressionem conceptus verbi, sive novæ species in hunc finem a Deo infundantur, sive species præexistentes speciali motione ab eo excitentur. — *Universalis* dicitur, quæ sese ad omnes textus extendit; *particularis*, quæ ad determinatas Scripturæ partes restringitur.

369. — **Diversæ sententiæ.** — Ad inspirationis extensionem quod spectat « tres, *ait S. Alphonsus* [1], adsunt opiniones: *Prima* affirmat totam Scripturam esse a Deo inspiratam tum quoad sententias, tum quoad verba. *Secunda* docet omnes sententias esse a Deo inspiratas, sed non omnia verba; et hæc sententia est probabilior. *Tertia* opinio, erronea et impia, tenet multas sententias fuisse a Deo inspiratas: quasdam vero fuisse a scriptoribus sacris suo marte exaratas. » — His *quarta* potest addi sententia, quæ nostris temporibus plures habet patronos; docet: Omnes sententias et res esse inspiratas, nulla autem verba esse proprie inspirata, sed omnia esse ab ipsis hagiographis sub speciali Dei assistentia electa [2].

Prima, *secunda* et *quarta* sententia sunt probabiles; quælibet suos habet patronos; et, cum Ecclesia de verborum inspiratione proprie dicta nihil definierit, cuilibet integrum

[1] *Cont. hæret.*, c. I, n. 38. — [2] Cf. Berthier, *De locis theol.*, n. 105.

est quam libuerit amplecti sententiam. Præ cæteris tamen placet *secunda*, quæ docet multa verba esse immediate inspirata, speciatim quæ mysteria exprimunt; cætera vero ab ipso hagiographo suo marte sub assistentia Dei positiva esse electa.

Ratio cur nonnulla verba immediate inspirata dicimus, ea est quod S. Patres, dum de aliquibus vocibus loquuntur, ut *Verbum*, apud S. Joannem, *semini* (ad Gal. III, 16), clare affirmant has voces a Spiritu Sancto esse dictatas. Præterea, aliqua verba immediate esse inspirata, ex ipsa Scriptura confirmari potest: legimus nimirum (Jer. I, 9): *Ecce dedi verba mea in ore tuo*, quæ in sensu suo obvio perfectius de verbo oris quam de verbo cordis intelliguntur.

Non omnia autem verba esse inspirata seu a Spiritu Sancto dictata, ex S. Scripturis non obscure colligi potest. Non raro enim Evangelistæ eosdem Christi Domini sermones diversis verbis referunt: quæ quidem verborum diversitas, si eis omnia verba a Spiritu Sancto immediate fuissent inspirata, vix explicari posset. Et auctor II. Machabæorum (cap. II.) fatetur se non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsisse, et cap. XV, si quid minus digne scripserit, sibi ut ignoscatur postulat. Sed si Spiritus Sanctus ei omnia verba immediate inspirasset, non amplius apparet nec quomodo labor ejus tam difficilis fuisset, nec cur ob styli defectum veniam petere debuisset.

Tertia sententia, *erronea et impia*, imo hodiedum *hæretica* vel saltem *hæresi proxima*, inspirationem restringit ad res fidei et morum; in cæteris errorem possibilem fuisse affirmat. Ita Erasmus, in cap. II. Matth. 7. — Proxime ad hanc sententiam accedit Holden, qui in suo libro *Divinæ fidei analysis*, etsi concedat nullum in Scripturas irrepsisse errorem, docet tamen inspirationem propric dictam sese extendere ad solas res fidei et morum.

Patronis tertiæ hujus sententiæ adnumerari etiam illi debent qui, scientiarum naturalium progressu perculsi, ut S. Scripturas cum scientiis componerent, elapsis hisce temporibus fateri sustinuerunt, Scriptores sacros fuisse quidem inspiratos quoad omnia omnino, quæ ad fidem aut mores pertineant, in

cæteris vero multis, speciatim in iis quæ ad scientias pertineant naturales, inspiratione caruisse, ac proinde fieri posse ut in hæc error irrepserit [1].

Docet autem Ecclesia Catholica in S. Scripturis, quales ab hagiographis scriptæ sunt, res omnes, omnes sententias, etiam obiter tantum ac incidenter dictas, sive ad fidem et mores, sive ad historiam aut scientias naturales pertineant, esse divinitus inspiratas, ita ut tota Scriptura et in omnibus suis partibus Deum habeat auctorem et causam efficientem principalem, nec prorsus fieri possit ut in eisdem vel minimus error deprehendatur.

370. — Prop. *Omnes Scripturæ Sacræ libri, et quoad omnes suas partes, qualiter in Vulgata editione reperiuntur, divinitus sunt inspirati.*

De fide, ex verbis Tridentini et Vaticani, infra citandis.

Ad propositionem probandam præsto sunt argumenta diversi generis: alia ducuntur ex testimonio ipsius Scripturæ, non qua inspiratæ (alioquin foret petitio principii), sed qua possidentis humanam eamdemque maximam auctoritatem; alia desumuntur ex jugi traditione; argumentum autem apodicticum ex ipsius Ecclesiæ definitione petendum est, quæ cum a Deo revelationis custos et magistra veritatis sit constituta, ideirco, quinam libri sint divinitus inspirati, infallibiliter declarare potest.

Prob. I. **Ex Scrip. S.** Pro inspiratione Librorum Vet. Test. testes habemus ipsos scriptores sacros. In libris Moysis sæpe legitur: *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens,* etc. De Moyse dixit Dominus (Num., XII, 8): *Ore enim ad os loquar ei, et palam;* et in libro Exod. (XVII, 14): *Dixit Dominus ad Moysen: scribe hoc ob monumentum in libro.* — Et Prophetæ sæpius dicunt: *Hæc dicit Dominus... Factus est sermo Domini ad me, dicens,* etc.

Novum Testamentum inspirationem Vet. Test. non obscure commendat. *a)* Christus, missionis suæ confirmandæ gratia, ad Scripturas provocat, tanquam ad firmissimum argumentum et ad eloquia Dei quæ fallere nequeunt. Legimus (Joan. V, 39):

[1] Cf. *Ami du clergé,* 1894, p. 5.

Scrutamini Scripturas... illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. — (Luc. XXIV, 44, 46): *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me... Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et surgere a mortuis.*

b) Apud Lucam (I. 70) Zacharias laudat Deum, *qui locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus.* Et Apostolus (Rom. III. 2) testatur *credita esse illis eloquia Dei;* et (II Tim. III. 16) ait: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum;* quæ autem sit illa Scriptura, indicat (v. 15): Scriptura scilicet sunt sacræ litteræ, quas Timotheus didicit ab infantia, id est, tota Scriptura apud Judæos tunc temporis existens.

Simile testimonium præbet S. Petrus (II Ep. I, 20, 21): *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

Pro inspiratione librorum Nov. Test. tam luculenta non præsto sunt Scripturæ testimonia.

Pro Apocalypsi testimonium habemus ipsius auctoris, qui testatur se ex inspiratione scribere: *Quod vides, scribe in libro.* (Apocal. I, 11).

Pro S. Pauli Epistolis, excepta forsan secunda ad Thimotheum, testimonium habemus S. Petri, qui Pauli Epistolas inter alias Scripturas adnumerat, dicens (II Petr. III, 15, 16): *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

Pro cæteris libris explicitum deest testimonium; suffragatur tamen ratio theologica pro scriptis Apostolorum. Certum est Apostolos, officio docendi dum fungebantur, fuisse inspiratos, secundum illud Christi Domini (Joan. XIV, 26): *Paracletus autem Spiritus Sanctus... vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Sed dum Apostoli Ecclesiam docebant scriptis, certe munere Apostolatus fungebantur.

Remanet ergo difficultas quoad Evangelia Marci et Lucæ, qui non erant Apostoli; et quoad Actus Apostolorum. — Pro-

banda est igitur thesis præsertim ex traditione et auctoritate Ecclesiæ.

II. **Ex traditione.** 1. Pro libris Vet. Test., testem in primis habemus Synagogam, quæ sacros libros tanquam divinitus datos semper venerata est. « Omnibus Judæis, *ait Josephus* [1], statim a prima nativitate congenitum esse, ut hæc scripta credant Dei dogmata, et eis inhæreant, ac pro eis, si opus sit, mortem subeant. »

2. Pro libris utriusque Testamenti, testes adsunt omnes S. Patres. *S. Clemens Rom.* [2], ait: « Scripturas diligenter inspicite, quæ sunt Spiritus Sancti oracula: scitote quia nil injusti, nil falsi aut simulati in illis scriptum est. » — *S. Irenæus:* « Scripturæ, *inquit*, perfectæ sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictatæ » [3]. — *Origines* [4] scribit: « Ipsæ divinæ Scripturæ sunt Dei Spiritu inspiratæ..., iique sermones non prolati humanitus, sed Dei sunt sermones. » — *S. Basilius* [5] *ait* « Scripturam divinitus inspiratam dici, eo quod afflatu Spiritus Sancti scripta est. » — *S. Hieronymus* affirmat [6]: « Omnes Scripturæ sanctæ libros a Spiritu Sancto conscriptos et editos esse. » — *S. Greg. M.* [7], Sacram Scripturam vocat « Epistolam omnipotentis Dei ad creaturam suam. » Similia legere est apud omnes Patres.

III. **Ex auctoritate Ecclesiæ.** Legimus in Tridentino, *Sess. IV:* « Sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina synodus... omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor... pari pietatis affectu et reverentia suscipit et veneratur... Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt... pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit. »

Et Concilium Vaticanum Tridentini decretum renovans, ait *(Const. Dei Filius, c. II):* « Qui quidem Vet. et Novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in

[1] *Cont. Appionem.*, l. I. — [2] *Admonit. ad Gentes*, n. 8. — [3] *Adv. hæret.*, l. II, c. 28, n. 2. — [4] Lib. IV, *De Princ.*, c. I, n. 1. — [5] Lib. *De Spir. S.*, c. 21. — [6] *In Mich.*, c. 7. — [7] *Ep.*, 14.

ejusdem Concilii decreto recensentur..., pro sacris et canonicis habet..., propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem. » — Deinde, *can. 4*, rem definit: « Si quis Sacræ Scripturæ libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta tridentina synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit. »

371. — **Corollarium.** Ex dictis « consequitur ut qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinæ inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editæ sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quæ contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre, (eademque fere sunt quæ nomine novæ scientiæ nunc objiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et reconciliare studuerint; professi unanimes, libros eos et integros et per partes a divino æque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe quæ idem Augustinus ad Hieronymum scripsit. (Ep. 82, 1): *Ego enim fateor caritati tuæ solis eis Scripturarum libris qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam.*» (SS. D. N. Leo PP. XIII, Encycl. *Providentissimus*).

ARTICULUS II.

DE CANONE SCRIPTURARUM.

372. — I. Canon græce idem significat ac *regula* seu *catalogus;* in præsenti sumitur pro catalogo librorum, quos Ecclesia tanquam divinitus inspiratos veneratur.

Canon, quem recensuit et approbavit Concilium Tridentinum, sess. IV, septuaginta duos complectitur libros, scilicet quadraginta quinque pro Vet. Testamento, et viginti septem pro Novo Testamento.

Libri canonici alii vocantur protocanonici, alii deuterocanonici. *Protocanonici* ii sunt, quorum inspiratio nunquam

in dubium est vocata; *deuterocanonici* vero ii, de quorum inspiratione olim apud aliquos dubitatum est. Ast nunc, propter definitionem Concilii Tridentini a Vaticano renovatam, cum protocanonici tum deuterocanonici ejusdem sunt auctoritatis, nec cuiquam in posterum fas est de inspiratione deuterocanonicorum dubium movere.

II. *Libri deuterocanonici Vet. Test. septem* numerantur, videlicet: Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Machabæorum I. et II; — et fragmenta quædam, scilicet septem ultima capita libri Esther, id est, a c. X, v. 4, ad finem; Daniel c. III, 24-90, seu oratio Azaria et canticum trium puerorum; c. XIII, historia Susannæ; c. XIV, narratio excidii Beli et draconis.

Prædicti libri vel librorum fragmenta in canone Judæorum, quem post captivitatem babylonicam confecit Esdras, inscripta non erant, vel quia eorum codices durante captivitate deperditi nondum erant reperti, vel quia libri nondum scripti erant, ut I. et II. Machabæorum. Cum vero postea nullus propheta eos libros in canonem Esdræ retulerit, ipsi extra Judæorum canonem semper remanserunt; Judæi tamen eos pari veneratione atque cæteros Scripturæ libros semper sunt prosecuti; unde et septuaginta interpretes eos in sua versione aliis libris inspiratis conjunxerunt.

Certum est etiam tribus primis Ecclesiæ sæculis nullum de horum librorum inspiratione dubium exstitisse; ast labente sæculo IV, cum inter canonem judæorum atque christianorum institui cœptæ sunt comparationes, neque prædicti libri in canone judæorum conspicerentur, ideirco de eorum inspiratione controversia moveri cœpta est, pluresque inventi sunt qui eorum auctoritatem in dubium verterint.

III. *Libri deuterocanonici Novi Test. sex recensentur*, videlicet: Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, II Petri, II et III Joannis, et Apocalypsis; et fragmenta quædam, scilicet: Marcus, c. XVI, 9-20; Lucas, c. XXII, 43-44, seu historia sudoris sanguinei in horto; Joannes, c. VIII, 2-12, narratio de muliere adultera.

Qui libri, utpote ad particulares Ecclesias aut personas conscripti, non omnibus statim Ecclesiis cum certis divinitatis notis innotuerunt. Inde factum est ut, dum in nonnullis Ecclesiis ab initio statim tanquam inspirati tenebantur, ab aliis aliquamdiu tanquam dubiæ auctoritatis haberentur; sed mox, eorum divinitate comperta, eos omnes ut inspiratos unanimiter admiserunt.

Lutherani et calvinistæ libros deuterocanonicos Vet. Test. ex integro rejiciunt: totum etiam librum Esther respuunt lutherani. Deuterocanonicos N. Test. admittunt calvinistæ; eos vero rejiciunt lutherani, una cum Epistola B. Judæ.

373. — Prop. *Canon S. Scripturarum a Concilio Tridentino editus, perpetua et communi Ecclesiarum consensione firmatur.*

NB. Thesis, cum nulla unquam de protocanonicis exstiterit dubitatio, præsertim quoad libros deuterocanonicos probanda est.

Prob. I. **Ex diversis canonibus.** Diversis temporibus canones Scripturarum editi sunt, in quibus omnes libri, quos recenset Tridentinum, cum protocanonici tum deuterocanonici, et eodem fere ordine, citantur. Sæculo III. Concil. Carthaginiense III. (anno 397), canonem edidit similem canoni tridentino, hæc subjungens: « A Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. »

Hunc canonem Carthaginiensem confirmavit Innocentius I, an. 405; ipsum Patres Concil. Constantinopolitani III. denuo approbarunt. — Similem canonem edidit Gelasius Papa, sæculo V. — Cassiodorus, sæculo VI, Isidorus Hispalensis, sæc. VII, et Nicolaus I, sæc. IX, eumdem exhibent catalogum cum omnibus libris deuterocanonicis. Denique in decreto pro Jacobitis Eugenius IV, quos in suo canone libros recensuit Tridentinum, eosdem omnes enumerat.

II. **Ex antiquis versionibus.** Præter versionem septuaginta interpretum anno 285 ante Christum confectam, in qua omnes libri deuterocanonici Vet. Test. referuntur, plures a primis Ecclesiæ temporibus editæ sunt versiones, præsertim

Vetus Itala; quæ quidem omnes versiones libros tam Vet. quam Novi Test. indiscriminatim complectuntur.

III. **Ex consensu Ecclesiarum.** Ecclesiæ Orientales, ex quibus plures, labente sæculo V, a communione Ecclesiæ Romanæ defecerunt, omnes libros deuterocanonicos, quos Tridentinum enumerat, tanquam inspiratos venerantur et in suo canone retinent.

IV. **Ex auctoritate Patrum.** Nullus ex Patribus secundi et tertii et etiam IV sæculi citari potest, qui de inspiratione librorum deuterocanonicorum Vet. Test. dubitaverit; e contra fere omnes citant eosdem libros eadem veneratione ac protocanonicos, et ex omnibus verba desumunt, quibus doctrinam confirment catholicam. Omnes etiam libros deuterocanonicos Novi Test. Patres citant ut divinos: omnes commemorat S. Irenæus, exceptis Ep. ad Philemonem et ad Hebræos: omnes citat Clemens Alex. ut divinos; Origenes Ep. Jacobi, II Petri, Ep. ad Hebræos et Apocalypsim, etc., laudat ut inspiratas.

Traditionem corroborat primorum christianorum usus referendi in catacumbis aut ecclesiis effigies eorum, quorum historia in libris deuterocanonicis Vet. Test. legitur. Frequenter occurrunt in monumentis archæologicis Daniel inter leones, tres pueri in fornace, historia Tobiæ, Judith, Susannæ, etc.

Ex antiquissima igitur Ecclesiæ consensione constat, libros deuterocanonicos semper ut inspiratos fuisse habitos, ac proinde optimo jure a Tridentino in canone recensitos fuisse.

ARTICULUS III.

DE SCRIPTURARUM INTERPRETATIONE.

374. — Definitio. — Scripturarum interpretatio est judicium quo nobis verus Scripturæ sensus manifestatur. — Alia est authentica, alia privata. *Authentica* est judicium, quo Ecclesia, sive per solemne sive per ordinarium magisterium, nobis rectum Scripturæ sensum infallibili veritate manifestat. — *Privata* ea est, qua privati doctores, adhibitis hermeneuticæ et exegetices regulis, sensum Scripturæ exponunt: cujusmodi sunt theologorum commentaria in libros sacros.

375. — Sensus Scripturæ. — Sensus Scripturæ intelligitur id, quod Spiritus Sanctus per ipsam sive verbis sive rebus nobis manifestare intendit.

Duplex est Scripturæ sensus, videlicet: litteralis et mysticus.

Sensus litteralis seu historicus ille est, quem verba ipsa significant. Alter est proprius, alter metaphoricus. Sensus *litteralis proprius* ille est, quem verba in sua obvia et naturali significatione exprimunt: v. gr. quando Exod. XII, jubentur Judæi sumere agnum ad manducandum Pascha; per agnum intelligitur animal. Sensus *litteralis metaphoricus* est, cum verba non sumuntur sensu obvio, sed propter aliquam similitudinem ad alteram rem significandam transferuntur; sic, v. gr., Christus ob suam mansuetudinem, *agnus;* ob suam fortitudinem vocatur *leo*.

Sensus mysticus seu spiritualis ille est, quem non verba, sed ipsæ res verbis significatæ enuntiant. — Triplex distinguitur, nimirum: allegoricus, tropologicus et anagogicus. — Sensus *allegoricus* est, quando res, facta et dicta Vet. Test. ad Christum aut Ecclesiam referuntur: sic v. gr. teste Apostolo, Gal. IV duo filii Abrahæ duo testamenta præfigurant. — *Tropologicus* seu moralis ille est, qui spectat ad mores; sic, v. gr., verba Deuter. XXV, 4, *Non alligabis os bovis tritutrantis*, ex S. Paulo significant ministrum Evangelii victum accipere posse, I Cor., IX, 9. — *Anagogicus* est, quando ea, quæ in hac vita geruntur, ad vitam æternam et cœlestem patriam referuntur: sic in Ps. XCIV, 11, terra promissionis sensu litterali significat Judæam, sensu vero anagogico cœlestem patriam exprimit.

Hos sensus omnes in voce *Jerusalem* reperire est; siquidem sensu litterali Jerusalem *urbem* significat; sensu allegorico *Ecclesiam militantem;* sensu tropologico *animam fidelem;* sensu anagogico *cœlestem patriam*.

Quatuor isti sensus hisce versiculis continentur:

Littera gesta docet, quid credas *allegoria*,
Moralis quid agas, quid speres *anagogia*.

Præter sensus prædictos, distinguitur adhuc sensus *accommodatitius,* qui in hoc consistit, quod verba aut facta Scripturæ Sacræ propter aliquam similitudinem accommodantur ad significandum aliquid, quod a Spiritu Sancto non intendebatur; v. gr. si de B. V. Maria intelliguntur verba de altera Maria prolata: *Maria optimam partem elegit.* (Luc., X, 42).

Utrum sub eadem littera multiplex detur sensus litteralis, quem Deus ipse intendit, disputant auctores. Plures recentiores negant; probabilior tamen videtur opinio, quæ cum S. Augustino (*Conf.* l. XII, c. 18 et 19), cum S. Thoma (P. I, q. I, a. 10) et cum, S. Alphonso (*Cont. hær.* c. I. n. 46. — In Ps. II, v. 7. — In Ps. 8 et 46), aliisque multis affirmat in pluribus Scripturæ locis multiplicem adesse sensum litteralem.

376. — Prop. I. *Ad verum S. Scripturæ sensum infallibiliter cognoscendum requiritur authentica interpretatio*[1].

De fide, ex dictis de regula fidei (cf. n. 216), contra protestantes qui docent S. Scripturam, saltem in rebus fidei et morum, claram esse atque omnibus obviam, ita ut quilibet fidelis spiritu suo privato, vel privata Spiritus Sancti inspiratione, verum ejus sensum invenire possit; ex quo consequitur, ut S. Scripturam tanquam unicam fidei regulam admittant, ejus lectionem omnibus indiscriminatim commendent, omnemque interpretationem ab authentico aliquo magisterio factam tanquam inutilem et nocivam respuant.

Prob. Multa in Scripturis, etiam in rebus maximi momenti, obscura sunt atque intellectu difficilia. Atqui, in his fides nec certa esse potest, neque una in omnibus, nisi detur authentica interpretatio, qua eorum sensus legitimus declaretur. Cum igitur fides certa simul atque una in omnibus esse debeat, ideo authenticam adesse S. Scripturæ interpretationem, necesse est.

Prob. major. « Quæritur, *inquit S. Alphonsus*[2], utrum S. Scripturæ sensus clarus sit an obscurus. Dicunt novatores, omnes

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.,* P. I, c. 6, n. 16 et seq. — [2] *Cont. hær.,* c. I, n. 17.

Scripturæ textus obvios esse... Contrarium vero ex ipsa Scriptura manifestatur. Legimus apud S. Lucam (XVIII, 34): *Et ipsi nihil horum intellexerunt*, et (cap. ult., 45): *Tunc* (Christus) *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Præterea, S. Petrus loquens de Epistolis S. Pauli, scribit: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu.* (II Petr., III, 16). — Idem docent omnes S. Patres. Citare sufficit S. Hieronymum, qui in sua epistola 121 ad Algasiam, de S. Scriptura dicit: *Quæ tantis obscuritatibus obvoluta est:* et S. Augustinum, qui in sua epist. 55, c. 21, ait: *In aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis S. Scripturis multo nesciam plura quam sciam.* »

Prob. minor. Dempta interpretatione authentica, obscuriora S. Scripturæ loca vel per clariora explicari, vel privata cujuslibet ratione dilucidari, vel privata S. Spiritus inspiratione manifestari debent; quæ tria, spreto Ecclesiæ magisterio, excogitaverunt protestantes. Atqui, hæc ad fidei certitudinem et unitatem gignendam et conservandam minime sufficiunt.

a) Non explicatio obscuriorum per alia clariora. Multa in S. Scripturis occurrunt obscuriora, quæ nullibi clarius manifestantur. De his igitur dubia semper et incerta foret fides, nisi authentica interpretatione eorum sensus legitimus nobis traderetur.

Præterea, dubia et obscuriora, quæ aliis in locis clarius manifestantur, authentico etiam indigent interprete, tum ut certiores reddamur hæc obscuriora, de quorum sensu ambigitur, in aliis locis revera clarius manifestari; tum ut certo cognoscamus quibusnam ex locis clarior eorumdem manifestatio sit desumenda: alioquin et fides dubia remaneret, et in diversis diversa foret, cum, quæ obscura sunt, per diversos imo et oppositos textus explicari possent, uti de facto demonstrat protestantium experientia.

b) Non privata cujuslibet ratio. « Spiritus privatus, (seu ratio privata propria), *inquit S. Alphonsus*[1], cuilibet indi-

[1] *Loc. cit.*, n. 18.

viduo proprius est, et quilibet homo errori est obnoxius. Nonne perhibent novatores Ecclesiam Romanam a sæculo V, cum ingenti turma doctorum qui ei adhæserunt, in errorem esse lapsam et fidem alterasse? Quomodo igitur privatus quilibet homo errare non posset? »

Ratio igitur privata fidei certitudinem subministrare non potest; sed nec fidei unitatem. Cum enim ratio privata a cujuslibet dispositionibus quam maxime dependeat, pro diversis dispositionibus quibuscum diversi eumdem textum legunt, variis modis illum interpretantur; imo ob innatam hominis inconstantiam, quod aliquis uno sensu prius intellexerat, postea, re melius expensa, vel mutatis animæ dispositionibus, alio prorsus sensu explicat. Et sic nec in diversis, nec in eodem subjecto, una foret fides. Cujus diversitatis manifestum exemplum præ se ferunt protestantes, qui in rebus etiam obviis, diversa et opposita docent, et diversis temporibus sibimetipsis contradicunt.

c) Non privata Spiritus Sancti inspiratio. In S. Scripturis nullibi legimus, Spiritum S. ad rectam Scripturarum interpretationem omnibus et singulis fuisse promissum. Illa igitur interna Spiritus S. illuminatio gratis a protestantibus asseritur, imo et contra sua principia, utpote cum nihil admittendum esse censeant, nisi quod in Scripturis contineatur.

Præterea, si Spiritus S., qui Spiritus est veritatis, omnibus et singulis supernam infunderet illuminationem, omnes et singuli protestantes in rebus fidei inter se perfecte concordarent. Porro constat Lutherum, Calvinum, cæterosque protestantismi progenitores, de eadem re opposita docuisse, et sibimetipsis contradixisse. Quæ contradictio perquam evidentissime significat, supernam in eis nullatenus adfuisse Spiritus Sancti illuminationem.

377. — Prop. II. *Authenticus Scripturæ Sacræ interpres est infallibile Ecclesiæ magisterium.*

De fide, ex Tridentino et Vaticano.

Legimus in Tridentino, *sess. IV:* « Præterea (sacrosancta Synodus) ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo suæ pru-

dentiæ immixus, in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat; etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent.»

Cujus decreti Vaticanum (*Const. Dei Filius, c. II*) sensum declarat: «Quoniam vero, quæ sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinæ Scripturæ ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum innovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, is pro vero sensu Sacræ Scripturæ habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari.» — Cf. etiam Encycl. *Providentissimus.*

Prob. Cum fides omnimoda certitudine atque perfecta unitate prædita esse debeat, authentica Scripturarum interpretatio ab eo solo dari potest, qui in docendo est infallibilis, atque simul suæ sententiæ omnibus imponendæ auctoritate pollet. Si Scripturarum interpres errori posset esse obnoxius, semper prudens remaneret formido, ne in ejus interpretationem error irrepserit, et sic assensûs firmitas, quæ ad fidem exigitur, evanesceret; sin autem suæ sententiæ omnibus imponendæ auctoritas in interprete desideraretur, alios ad assensum cogere non posset, et sic fidei unitas in periculum adduceretur. Atqui, sicut supra passim demonstratum est, solum Romanæ Ecclesiæ magisterium, quod a Christo Domino constitutum est revelationis custos et totius mundi magistrum, infallibilitatis prærogativa donatur, atque suæ sententiæ omnibus fidelibus imponendæ habet auctoritatem. Solum igitur R. Ecclesiæ magisterium, sive solemne sive ordinarium, authenticus est S. Scripturarum interpres: ipsius solius est earum sensum determinare, ac definitiva sententia proclamare quænam sint dogmata, quæ fides nostra amplecti debeat.

«Quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, inquit S. Augustinus, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem

Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat. » *(Cont. Crescen. l. I, c. 33).* — « Id ipsum, ait SS. D. N. Leo PP. XIII, sensere et exemplo confirmavere cæteri Patres, qui « *divinarum Scripturarum intelligentiam, non ex propria præsumptione sed ex majorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat.* [1] » *(Encycl. Prov.).*

CAPUT II.

DE TRADITIONE [2].

Alter fons revelationis, ex quo Ecclesia eas depromit veritates, quas nobis fide divina credendas proponit, est traditio; de qua paucis est disserendum. In art. I. traditionis notio exponetur; in II. ejus existentia asseretur; in III. regulæ tradentur, quibus diversæ traditiones dignosci possunt.

ARTICULUS I.

TRADITIONIS NOTIO.

378. — Definitio. — Traditio, si *generatim* et *large* accipitur, est transmissio alicujus doctrinæ vel facti ab uno ad alium sive viva voce, sive scriptis, sive praxi. Sic Apostolus (II Thessal. II, 15) omne verbum divinum traditionem nominat: *Tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* — Si vero *sensu stricto* accipitur, prout a Scriptura Sacra distinguitur, traditio vocatur verbum Dei *non scriptum*, quod scilicet a nullo auctore sacro scriptis fuit mandatum, sed ore tenus Ecclesiæ communicatum, etsi deinceps a scriptoribus non inspiratis fuerit conscriptum. Traditio stricte sumpta definitur: *Doctrina ad religionem perti-*

[1] Rufin, *Hist.*, II, 9. — [2] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, c. I, a. 2; *Ver. fid.*, P. III, c. 6, § 4; Bellarm., *De Verbo Dei non scripto;* Franzelin, *De div. tradit.;* Berthier, *De locis theol.*, l. I.

nens, nullo scripto primitus, sed voce tradita Ecclesiæ. Vocatur, *traditio*, quia quasi per manus ab uno traditur alteri.

379. — Divisio. — Traditio in primis distinguitur in *objectivam* et *activam. Objectiva* ea est, quæ modo est definita; est ipsa veritas vel ipsum factum quod transmitttiur; *activa* est complexus mediorum, quibus doctrina ad nos usque transmissa est.

1. Traditio objective sumpta multipliciter distinguitur, nimirum:

a) Ratione originis, traditiones sunt divinæ, vel apostolicæ, vel ecclesiasticæ.

Traditiones divinæ sunt vel eæ, quas ipse Christus viva voce Apostolos docuit, ut sunt forma et materia quorumdam Sacramentorum; vel eæ, quas Apostoli ex inspiratione Spiritus Sancti post Christi ascensionem ore tenus Ecclesiæ tradiderunt: vocantur etiam *divino-apostolicæ*. Ambarum meminit Tridentinum. Sess. IV: « sine scripto traditionibus, quæ *ipsius Christi ore* ab Apostolis acceptæ aut ab *ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante* quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt. »

Traditiones Apostolicæ vocantur consuetudines vel facta, quæ Apostoli sua propria auctoritate, tanquam rectores Ecclesiæ, ipsi tradiderunt; cujusmodi sunt: admixtio aquæ cum vino in sacrificio missæ, jejunium quadragesimale, observatio Paschæ et Pentecostes, etc. Ideo vocantur *pure apostolicæ*, ut a traditionibus divino-apostolicis internoscantur.

Traditiones ecclesiasticæ sunt consuetudines, quæ antiquitus a pastoribus, vel a populo annuentibus pastoribus, introductæ fuerunt, et decursu temporis vim legis obtinuerunt; v. gr., recitatio officii pro clericis in sacris constitutis, abstinentia a carne feria sexta, etc.

b) Ratione materiæ, traditiones aliæ sunt dogmaticæ, aliæ morales, prout ad fidem vel ad mores pertinent. — Morales subdistinguuntur in morales proprie dictas, disciplinares et rituales, prout vel ad mores, vel ad ecclesiasticam disciplinam, vel ad ritus et cæremonias referuntur.

c) Ratione obligationis, traditiones sunt vel præcepti vel consilii; *ratione durationis* sunt vel perpetuæ vel temporales; *ratione loci*, sunt vel universales vel locales.

2. Ad traditionem *activam*, qua veritates ad nos usque transmissæ sunt, plura conferunt media, scilicet: tum publicum Ecclesiæ magisterium, cui totum revelationis depositum custodiendum a Christo commissum est; tum S. Patres, qui, quod a suis prædecessoribus ore tenus acceperant, scriptis fideliter retulerunt, et ideo testes traditionis recte nuncupantur; tum acta martyrum, liturgia sacra, praxis Ecclesiæ, consensus fidelium, historia ecclesiastica, et doctrina theologorum: quibus ex mediis, quænam antiquitus ab Ecclesia tanquam revelata fuerint admissa, pro comperto haberi potest. — His adnumeranda sunt epigraphia, pictura, sculptura, sepulchra, et ipsæ ædes sacræ; ex quibus, quænam fuerit primitivæ Ecclesiæ circa multa dogmata fides, colligere licet.

ARTICULUS II.

DE TRADITIONUM EXISTENTIA.

380. — Traditiones in primitiva Ecclesia exstitisse antequam conscripti fuerint libri Novi Test., admittunt ipsimet protestantes; ast docent Apostolos veritates omnes, quas divinitus acceperunt, scriptis mandasse, et quidem adeo perfecte, ut nulla amplius detur revelata veritas, quin in Sacra Scriptura inveniatur. Exinde protestantium doctrina *de sola et sufficiente Scriptura, de Scriptura sola regula fidei.*

Adsunt tamen non pauci inter protestantes, qui traditionem *inhæsivam* et *declarativam* admittant. *Inhæsiva* ea vocatur, quæ eadem omnino dogmata continet ac ipsa Scriptura; *declarativa* ea dicitur, quæ veritates in S. Scriptura brevius vel subobscure contentas, modo magis explicito exhibet. Traditiones vero *distinctas*, videlicet verbum Dei non scriptum, omnes uno ore rejiciunt. Probanda est igitur contra eos traditionum existentia.

381. — Prop. I. *Admittendum est Verbum Dei non scriptum.*

De fide. ex Trident. sess. IV. « Sacrosancta Tridentina Synodus... perspiciens hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt: orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros.... necnon et traditiones ipsas, cum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Si quis autem.... traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, **anathema sit.** »

Quam Tridentini doctrinam confirmavit Concil. Vatic. (Const. *Dei Filius*, c. 2): « Hæc porro supernaturalis revelatio secundum universalis Ecclesiæ fidem, a Sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Existere in Ecclesia revelatam doctrinam, quæ libris sacris non continetur, ex Apostolorum declaratione manifesto colligitur. Scribit Apostolus (II Thess. II, 15): *Tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam meam.* « Hinc patet, *ait S. Chrysostomus*, quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine litteris: eadem vero fide digna sunt tam illa quam ista. » *(In II Thess. Hom. IV, n. 1).* — Et (II Tim. II, 2): *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Atqui, verbis istis indicatur doctrina, quæ non scriptis, sed viva voce tradita est; et a Timotheo aliis idoneis tradenda erat.

Apud Joannem (II Ep., 12) legimus: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui.* Ex quibus constat, non omnia esse ab Apostolis conscripta, ac proinde præter Scripturas existere veritates revelatas.

II. **Ex Patrum auctoritate.** De S. Ignatio Martyre scripsit Eusebius[1]: « Hortatus est ut Apostolorum traditionibus te-

[1] *Hist. Eccl.* l. III, c. 36.

naciter inhærerent; quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit. » — « Oportet traditione uti, *ait S. Epiphanius*, non enim omnia a divina Scriptura possunt accipi, quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione S. Apostoli tradiderunt. » *(Dial. cont. Lucif., c. 4).* — Et *S. Basilius:* « Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scriptorum prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione. » *(De Spir. S., c. 27).*

III. **Ex analogia cum Lege Vet.** Triplex fuit revelatio, nempe: primæva, mosaica et christiana. Jamvero, tam in primæva quam in mosaica revelatione traditiones exstiterunt. « Traditiones divinæ, *inquit S. Alphonsus* [1], primo in statu legis naturæ, ab Adamo scilicet usque ad Moysen exstiterunt. In hoc enim statu, regula fidei ut adesset certa, necesse fuit; cujusmodi non potuit esse Scriptura, utpote quæ nondum esset exarata. Consistebat igitur in traditione, qua Adamus filios suos ea edocuit, quæ sibi a Deo circa Redemptionem revelata erant, necnon et alia mysteria quæ ad salutem sunt necessaria. — Tempore legis scriptæ a Moyse promulgatæ, licet tunc jam exstarent Sacræ Scripturæ, Judæi nihilominus ex traditione multa, quæ ad fidem et mores spectabant, haurire debuerunt. *Narrabis*, ait Dominus, *filio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod fecit mihi Dominus.* (Exod. XIII, 8). Et David scripsit (Ps. LXXVII): *Quanta mandavit patribus nostris, nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera.* » — Sic, v. gr., quodnam esset pro feminis, vel pro masculis nondum octo dies natis, peccati originalis remedium, ex sola traditione orali Judæis notum erat.

Si igitur in lege naturæ tota revelatio, et in lege scripta quædam veritates revelatæ ore tenus in Ecclesia conservabantur, exinde legitime inferre possumus etiam sub lege gratiæ multas veritates orali traditione fuisse conservatas.

IV. **Ex praxi protestantium.** Plura dogmata recipiunt tum lutherani tum calvinistæ, de quibus Scripturæ prorsus

[1] *Cont. hær.* c. I, n. 61.

silent; hujusmodi est dogma de validitate baptismi ab hæreticis collati, de validitate baptismi parvulorum. « Ecclesia, *ait Origenes*, ab Apostolis traditione accepit etiam parvulis baptismum dare. » *(In cap. VI Epist. ad Rom., l. 5).*

V. **Ex Ratione**[1]. Admittendæ sunt divinæ traditiones si, eis sublatis, de ipsius S. Scripturæ authenticitate, canonicitate atque interpretatione sufficientem habere non possumus certitudinem. Atqui, divinis sublatis traditionibus, sufficientem hanc certitudinem habere nequimus. — Etenim, cum S. Scriptura sit simul regula fidei, fideique objectum, idcirco omnimoda et infallibili certitudine scire debemus et ipsam esse authenticam, et hos in specie libros esse divinitus inspiratos, et hanc determinatam interpretationem, nec aliam, esse genuinum Scripturæ sensum. Hæc autem, divinas traditiones si auferas, infallibili certitudine innotescere non possunt:

a) Non authenticitas: Ope criteriorum authenticitatem et veracitatem librorum sacrorum utique cognoscere possumus; hæc autem certitudo, cum historica sit et moralis, ad actum fidei eliciendum est omnino insufficiens; sed requiritur ut eorum authenticitas per infallibile Ecclesiæ magisterium declaretur. « Ego Evangelio non crederem, *inquit S. Augustinus*, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas. » *(Cont. Epist. fund., c. 5).* Cum vero Ecclesia nihil, nisi quod est revelatum, definiat, nec sacrorum librorum authenticitas ex ipsa Scriptura comprobari valeat, idcirco, ut Ecclesiæ per traditionem hæc authenticitas innotescat, prorsus necesse est.

b) Non sacrorum librorum inspiratio: Nullibi in Scripturis, quotquot libri divinitus sunt inspirati, enumerantur; ex ipsa igitur Scriptura canonem librorum habere non possumus. Et licet ope criteriorum, quinam libri sint inspirati, deprehendere possimus, non aliam tamen per ea nisi humanam habemus certitudinem, quæ ad actum fidei non sufficit. Ex sola igitur divina traditione ab Ecclesia nobis infallibiliter proposita, quinam libri sint canonici, cum omnimoda certitudine scire possumus.

[1] Cf. S. Alph. *loc. cit.* n. 64, et *Ver. fid.* P. III, c. 6, § 2, n. 8.

Qua de causa S. Patres, ad librorum utriusque testamenti canonicitatem cognoscendam, ad traditionem semper provocant. « Ex traditione didici de quatuor Evangeliis, *inquit Origenes*, quod hæc sola sunt rata. » *(...Ap. Euseb. Hist. l. VI, c. 25)*. Et Patres Concil. Carthag. III, recensitis libris canonicis, addunt: « Quia a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. »

c) Non genuina Scripturæ interpretatio. Cum Scriptura Sacra in multis sit obscura, genuinus ejus sensus aliunde quam per authenticam Ecclesiæ propositionem infallibiliter innotescere nequit. Ecclesia autem genuinum hunc sensum non ex ipsa Scriptura haurire potest, cum præcise de sensu Scripturæ dubitetur; nec eumdem accipit nova revelatione, quæ ei ad munus suum docendi obeundum nunquam fuit promissa; quare, ut eum ex traditione cognoscat, necesse est.

Traditiones igitur sunt in Ecclesia prorsus necessariæ: et si tollantur, tollitur ipsius Scripturæ auctoritas, tollitur et ipsius religionis christianæ fundamentum.

382. — Prop. II. *Traditiones divinæ eadem vi pollent ac ipsæ Sacræ Scripturæ.*

De fide, ex Trident. quod. sess. IV, testatur se Scripturas Sacras et divinas traditiones pari pietatis affectu ac reverentia suscipere et venerari; — et ex Vatic. supra citato.

Prob. 1. **Ex Scrip. S.** S. Paulus in citato textu ad Thessalonicenses *(II Ep., II, 14)*, eos hortatur, ut teneant traditiones quas didicerunt sive per sermonem sive per epistolam. Quibus manifestum est, Apostolum eamdem doctrinæ traditæ quam scriptæ auctoritatem et dignitatem tribuisse. — Et Timotheum hortatur, dicens (II Tim. I, 13. 14): *Formam habe sanorum verborum quæ a me audisti in fide. Bonum depositum custodi.* Sed quæ ad depositum fidei pertinent, non sunt solum scripta, sed et ore tenus tradita. Addit enim statim Apostolus (II, 2): *Et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus.* Tradita igitur non secus ac scripta objectum fidei constituunt.

II. **Ex auctoritate Patrum.** S. Patres, quam verbo Dei scripto, eamdem divinis traditionibus auctoritatem attribuunt.

« Eadem fide, *ait S. Chrysost.*, digna sunt tam illa (tradita), quam ista (scripta). Itaque traditionem quoque Ecclesiæ fide dignam putamus. » Et addit: « Est traditio; nil quæras amplius. » *(In II Thes., hom. 4).* — Et *S. Basilius:* « Dogmata, *ait*, et instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione, quorum utraque parem vim habent ad pietatem. » *(De Spir. S., c. 27).*

III. **Ex Ratione.** Traditiones divinæ non secus atque Scriptura sunt verbum divinum, quod totam suam vim ab auctoritate Dei loquentis mutuatur. Quod autem Verbum Dei sit scriptis mandatum necne, hoc se habet per accidens; nec scriptio Verbo Dei quidquam addit auctoritatis. Quæ cum ita sint, quotiescumque sive per solemnem Ecclesiæ definitionem, sive per ordinarium ejus magisterium certo constat, aliquam veritatem esse a Deo revelatam, sive contineatur in Scriptura Sacra, sive viva voce ad nos pervenerit, hæc veritas fide divina ob Dei loquentis auctoritatem credenda est. Traditiones igitur, eadem vi pollent ac ipsæ sacræ Scripturæ.

ARTICULUS III.

DE REGULIS AD TRADITIONES DIGNOSCENDAS.

383. — Cum triplicis generis dentur traditiones, criterium quoddam præsto esse debet, quo dijudicetur, quænam traditiones sint divinæ, quænam vero pure apostolicæ aut ecclesiasticæ.

Ex criteriis, quibus divina origo alicujus traditionis discernitur, aliud est authenticum, aliud doctrinale seu personale. *Authenticum et primarium* traditionis criterium est Ecclesiæ judicium. Ecclesia a Deo constituta est revelationis custos, testis et magistra: et in hoc suo munere obeundo, ne in errorem incidere possit, divina pollet assistentia. Sicut igitur Ecclesia, quinam libri sint canonici, et quisnam sit eorum genuinus sensus, infallibili judicio declarare potest, ita etiam traditiones divinas discernendi earumque verum et genuinum sensum declarandi infallibilem habet auctoritatem.

Igitur, quotiescumque Ecclesia, sive per solemnem definitionem a S. Pontifice aut a Concilio generali latam, sive per ordinarium et universale magisterium, declarat aliquam veritatem in traditione contentam divinitus esse revelatam, aut alicujus traditionis authenticam profert interpretationem, tunc infallibile judicium, cui omnimoda fides est adhibenda, pronuntiat.

Item, si quam doctrinam tanquam hæreticam Ecclesia proscribit, contradictoria, etiamsi in Scripturis non inveniatur, ut divinitus revelata tenenda est.

384. — Si vero de aliqua traditione judicium Ecclesiæ desideratur, ad criterium doctrinale confugiendum est.

Ad divinas traditiones a pure apostolicis aut ecclesiasticis discernendas, diversæ a diversis regulæ statuuntur. Sequentes pro scopo nostro indicare sufficit [1].

Regula I. *Expendenda est traditionis materia.* Si traditio est de veritate ab omnibus admissa ut ad fidem pertinente, vel si objectum traditionis veritatis practicæ ecclesiasticam imo et apostolicam potestatem excedit, traditio censenda est divino-apostolica: cujusmodi est traditio de forma et materia quorumdam Sacramentorum; de solutione matrimonii per solemnem professionem religiosam; traditio, quæ Ecclesiæ jus concedit vota dissolvendi aut remittendi juramenta.

Si vero objectum traditionis ad praxim spectantis humanam potestatem non excedit, ut v. gr. recitatio officii pro clericis in sacris constitutis, traditio apostolica aut ecclesiastica putanda est.

Regula II. *Expendenda est traditionis antiquitas et universalitas,* secundum celebrem canonem *Vincentii Lirinensis*: « In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Hoc est enim proprie vereque catholicum... Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universalitatem, antiquitatem, consensionem. » *(Commonit. I, n. 25).* — Unde:

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, c. I, n. 74.

1. *Quoad antiquitatem:* Si constat aliquam consuetudinem etiam universaliter in Ecclesia receptam, ab aliquo Concilio aut ab aliquo Patre originem duxisse, ecclesiastica est putanda. — Si qua vero in universali Ecclesia viget traditio, cujus origo e quodam Concilio non est repetenda, sed quæ in Ecclesia semper exstitisse deprehenditur, traditio apostolica putanda est, etiamsi ab Ecclesia introduci potuisset. « Quod universa tenet Ecclesia, *ait S. Augustinus*, nec Concilio institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » *(De Bapt., cont. Donat., l. IV, c. 24).*

2. *Quoad universalitatem:* « Quod apud omnes unum invenitur, *ait Tertullianus*, non est erratum, sed traditum. » *(De Praescript., c. 28).* Unde:

a) Si ab universali Ecclesia, aut a principalioribus Ecclesiis in communione cum Ecclesia Romana, aliqua veritas tanquam revelata admittitur, hæc ut dogma fidei tenenda est, etiamsi nullatenus in S. Scripturis contineatur: cujusmodi est traditio de assumptione B. V. Mariæ. Ratio est, quia Ecclesia in materia fidei aut morum errare non potest. — Si vero in particulari tantum Ecclesia aliqua doctrina tenetur, tanquam divinitus tradita putanda non est.

b) Si omnes moraliter Ecclesiæ Patres concorditer, vel plures Patres diversis temporibus aut locis, aliis non contradicentibus, aliquam veritatem ut divinitus revelatam tradunt, inde colligitur traditionem esse vere divinam et fide divina credendam. Cum enim S. Patres testes sint traditionis, circa dogma fidei unanimiter errare nequeunt, alioquin ipsa Ecclesia in errorem incideret. — Plurium vero Patrum consensus, aliis contradicentibus, de traditionis divinitate certum non suppeditat argumentum.

c) Si theologi moraliter unanimes aliquam doctrinam per longum tempus asserunt esse de fide, hæc doctrina ut divinitus revelata tenenda est. Fieri enim nequit, ut omnes theologi, sciente et tacente Ecclesia, aliquid asserant de fide, quin in revelationis deposito contineatur.

385. — **NB.** Optimæ igitur notæ, ex quibus divina origo alicujus doctrinæ dignoscatur, sunt ejusdem *antiquitas* atque *actualis universalitas:* quæ si in aliqua doctrina deprehendantur, hæc divina omnino judicanda est et fide divina credenda.

Neque vero necesse est, ambas istas notas in qualibet traditione explicite contineri; alterutra sufficit. Unde: *a)* « Doctrina, quam universalis Ecclesia in aliqua ætate admisit, teneri debet ut divina traditio; sicut enim Ecclesia in præsenti sæculo tanquam divinum admittere nequit quod est humanum, ita nec illud in præteritis sæculis admittere potuit. » *S. Alph.* [1]. — *b)* Si constat aliquam doctrinam ut divinam in Ecclesia, quæ Romæ fundata est, semper admissam fuisse, doctrina tanquam divina tenenda est. Fieri enim nequit ut illa Ecclesia, quæ est omnium Ecclesiarum matrix et magistra, et « in qua, *ut ait S. Irenæus* [2], semper ab his qui sunt undique, conservata est quæ ab Apostolis est traditio », aliquam doctrinam ut divinam admiserit, quin eo ipso aliæ Ecclesiæ eamdem saltem implicite admiserint.

2. Optimæ notæ ad falsitatem alicujus doctrinæ detegendam, sunt ipsius *novitas* atque *singularitas*. Timotheum adhortatur Apostolus (II ad Tim. III. 14): *Tu vero permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi.* Et (I ad Tim. VI. 20): *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.*

« Vocum, id est, *ait Lirinensis* [3], dogmatum, rerum, sententiarum novitates quæ sunt vetustati atque antiquitati contrariæ: quæ si recipiantur, necesse est ut fides beatorum Patrum, aut tota, aut certe magna ex parte violetur... *Profanas vocum novitates devita*, quas recipere atque sectari nunquam catholicorum, semper vero hæreticorum fuit. Et revera, quæ unquam hæresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit? Quis unquam hæreses instituit nisi qui se prius ab Ecclesiæ Catholicæ universitatis et antiquitatis consensione discreverit?... Hoc apud omnes fere hæreses quasi solemne

[1] *Cont. hær.* c. I, § 9. — [2] *Adv. Hæres.* l. III, c. 5. — [3] *Commonit.* n. 24.

est ac legitimum ut semper profanis novitatibus gaudeant; antiquitatis scita fastidiant, et oppositione falsi nominis scientiæ a fide naufragent. » E contra, « ille est verus et germanus catholicus qui... quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit: quidquid vero ab aliquo deinceps uno præter omnes vel contra omnes sanctos novum et inauditum subinduci senserit, id non ad Religionem sed ad tentationem potius intelligit pertinere » [1]. Unde S. Patres, R. Pontifices et Concilia, ad nascentes hæreses confutandas, ad antiquam Ecclesiæ doctrinam semper provocarunt.

CONCLUSIO.

386. — In priori hujusce fundamentalis theologiæ tractatu, qui *de vera religione* inscribitur, demonstratum est gravem omnibus hominibus incumbere obligationem, sectandi veram religionem: hanc autem esse religionem quam Christus Jesus homines edocuit, et usque ad consummationem sæculi omnibus gentibus prædicari voluit. Qui igitur religionem christianam sequi renuunt, salutem consequi nullatenus valent, secundum ipsius Salvatoris sententiam: *Qui non crediderit, condemnabitur.* (Marc. XVI, 16).

Ut autem inter mundi hujus varietates et sæculi fallacias sua religio sancte semper custodiretur, et absque erroris admixtione ad extremos usque terræ limites et ad finem usque mundi gentibus fideliter exponeretur, Christus Ecclesiam, societatem visibilem instituit, cui soli, donata infallibilitatis prærogativa, et munere Evangelium omni creaturæ prædicandi imposito, depositum fidei concredidit. Hanc Ecclesiam, extra quam, expressa Dei voluntate, nemini speranda est salus, probatum est esse solam Ecclesiam Romanam; ac proinde a sola Ecclesia Romana veram Christi doctrinam cum infallibili cer-

[1] *Commonit.* n. 20.

titudine nos accipere posse, ut ex eo tractatu, quem modo absolvimus, abunde constat.

Cum igitur perspectum habeamus, in sola Romana Ecclesia reperiri veram Christi religionem, et hanc religionem in S. Scriptura atque traditione depositam authentico Ecclesiæ magisterio custodiendam atque exponendam fuisse commissam, idcirco, duce eodem magisterio, ea possumus jam investigare mysteria, quæ nobis Christi religio credenda proponit: quæ investigatio est theologiæ specialis argumentum, quod tractandum nunc aggredimur.

Hîc autem opus non leve suscipimus. Etenim, ut ait Sapiens (c. IX, 16, 17): *Difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis?* » Unde orat Sapiens (ibid.): *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam... mitte illam de cœlis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuæ ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te,... et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia.* — Dignetur igitur ille Spiritus Veritatis, qui Apostolos omnia docuit, quæ locutus est Christus, et nobis laborantibus assistere ut sensum Domini scire valeamus, et nos discentes deducere atque ob omni errore custodire, ut apti efficiamur operarii in vinea Domini, donec nobis beata elucescat æternitas, in qua, sublato omni velamine, mysteria, quæ nunc fide tenemus, aperta visione considerare donabitur.

EXPLICIT TRACTATUS DE ECCLESIA.

THEOLOGIA SPECIALIS.

TRACTATUS PRIMUS.

DE DEO UNO.

Conspectus generalis.

Pars I. De Dei existentia.

- CAP. I. De Cognitione Dei existentiæ.
- CAP. II. De ipsa Dei existentia.

Pars II. De Essentia et attributis Dei.

- CAP. I. De Essentia Dei.
  - physica.
  - metaphysica.
- CAP. II. De attributis in genere.
  - A. 1. Definitio. - Divisio.
  - A. 2. Attributorum distinctio.
- CAP. III. De attributis Dei in specie.
  - A. 1. De Simplicitate.
  - A. 2. De Perfectione.
  - A. 3. De Bonitate.
  - A. 4. De Infinitate.
  - A. 5. De Immensitate.
  - A. 6. De Immutabilitate.
  - A. 7. De Æternitate.
  - A. 8. De Unitate.
- CAP. IV. De visione Dei.
  - A. 1. De possibilitate visionis.
  - A. 2. De principiis visionis.

Pars III. De Operationibus Dei.

- CAP. I. De scientia Dei.
  - A. 1. Objectum scientiæ divinæ.
  - A. 2. Proprietates „ „
  - A. 3. Divisio „ „
  - A. 4. Medium „ „
  - A. 5. De ideis divinis.
- CAP. II. De voluntate Dei.
  - A. 1. Objectum divinæ voluntatis.
  - A. 2. Libertas „ „
  - A. 3. Divisio „ „
  - A. 4. Effectus „ „
  - A. 5. De affectionibus et virtutibus div. volunt.
    - § 1. De affectionibus.
    - § 2. De virtutibus.
      - De justitia.
      - De misericordia.
- CAP. III. De pertinentibus ad intellectum et voluntatem.
  - A. 1. De providentia.
  - A. 2. De prædestinatione.
    - § 1. De salvifica Dei voluntate.
    - § 2. Definitio prædestinationis.
    - § 3. Quæ sunt fide tenenda.
    - § 4. Quæ sunt liberæ discussionis.
- CAP. IV. De Potentia Dei.

INTRODUCTIO [1].

387. — « *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* » (Joan. XVII, 3). Ex his Christi Salvatoris verbis, quanti momenti sit tractatus argumentum, cui operam dare accingimur, manifestum est: si enim comprehensorum consummata beatitudo in eo consistit, ut Deum in cœlis revelata facie speculentur, viatorum etiam inchoata felicitas in hac lacrymarum valle in eo sita est, ut Auctorem suum cognoscant, atque Dominum gloriæ contemplentur, licet Ipsum in præsenti vita per speculum et in ænigmate tantum videre possint. *Nosse enim te,* ait Sapiens, XV, 3, *consummata justitia est; et scire justitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis.*

Quid enim efficacius animum a rebus perituris avocare, a peccati labe immunem præservare, ad rerum supernarum affectum excitare, ad virtutis studium et amorem inflammare valeat, quam Illius cognitio atque meditatio, qui bonitate nos creavit, misericordia conservat, justitia gubernat, sanctitate judicabit, et in consortium ineffabilis suæ beatitudinis admittet, si in hac nostra mortali vita ipsius sanctissimæ et sapientissimæ voluntati obtemperaverimus?

388. — Divisio tractatus. — In hocce tractatu de Deo uno non alius erit ordo quæstionum quam ille, quem S. Thomas, theologorum princeps, secutus est. Duce S. Doctore, tractatum in tres partes tribuemus: « Circa essentiam divinam, *ait Angelicus præceptor, (prol. ad q. II)*, 1. considerandum est an Deus sit; 2. quomodo sit, vel potius quomodo non sit: 3. considerandum erit de his quæ ad operationem ipsius pertinent, scilicet de scientia, de voluntate et potentia ». Igitur

In Parte I. Sermo erit de Dei existentia:
In Parte II. De Dei essentia atque attributis:
In Parte III. De Operationibus Dei.

[1] **Auctores consulendi:** Isambert., In I. Part. *S. Th.;* Tournely, *De Deo;* Gamachæus, In I. Part. *S. Th.;* Gibbon, *Speculum theologicum,* De Deo; Aguirre, *Theol. S. Anselmi,* T. I; Billuart, *De Deo;* Gotti, *Theol. scholastico-dogmatica:* de Deo; Gonet, *Clypeus;* Toletus, *In Sum. S. Th.,* P. I; Lessius, *De Moribus perfectionibusque divinis;* Wenzl, *Theol. scholast.;* Gabriel a S. Vinc., In I. Part. *S. Th.;* Philippus a SS. Trinitate, In I. Part. *S. Th.*

PARS PRIMA.

DE DEI EXISTENTIA.

Duo capita in hac prima parte disquirenda proponuntur, nimirum: in primo de cognitione Dei existentiæ agitur, scilicet de modo, quo ad existentiam Dei assequendam devenimus; in altero sermo est de ipsa Dei existentia, et argumenta proferuntur, quibus contra atheos Dei existentia demonstratur.

CAPUT I.

DE COGNITIONE EXISTENTIÆ DEI.

389. — Dei nomine intelligitur ens perfectissimum a quo, tanquam a prima causa, omnia pendent, et ad quod, tanquam ad ultimum finem, omnia ordinantur.

Circa modum, quo Supremum Ens existere cognoscimus, non est una auctorum sententia. Opinati sunt enim nonnulli, Dei existentiam esse veritatem ex se evidentem et per se notam, ad instar primorum principiorum, quæ ex sola terminorum apprehensione absque ullo vel levissimo discursu, vera esse apprehenduntur. Quocirca docent, hanc propositionem: *Deus est*, nulla indigere probatione; sicut nec prima rationis principia probantur.

Traditionalistæ contra censent Dei existentiam a sola revelatione esse repetendam, vel saltem ratione, nisi post acceptam revelationem, certo probari non posse.

Communis vero theologorum sententia docet, hanc propositionem: *Deus est*, esse nec ex se evidentem, nec per se notam; rationem tamen humanam posse absque auxilio revelationis, Dei existentiam, non quidem a priori, sed a posteriori certo probare.

Sint igitur sequentes propositiones:

390. — Prop. I. *Dei existentia non est nobis per se nota.*

NB. Aliqua propositio potest esse per se nota vel *quoad se,* vel *quoad nos.* Est per se nota *quoad se,* quando prædicatum est de intrinseca ratione subjecti, ita ut subjectum cogitari nequeat sine hoc, quod prædicatum sibi inesse appareat, qualis, v. gr., est hæc propositio: *homo est animal.* — Est per se nota *quoad nos,* quando, terminis objective apprehensis, veritas propositionis a nobis absque discursu statim apprehenditur, ut, v. gr., *totum est majus parte.*

Jamvero hæc propositio: *Deus est,* est quidem per se nota quoad se, quia prædicatum *esse* est de intrinseca ratione Dei, cum Deus sit suum esse, ut infra dicetur (n. 420). Hæc autem eadem propositio non est per se nota nobis.

Probatur: Ut ex sola terminorum apprehensione veritas alicujus propositionis nobis manifestetur, necesse est ut essentia cum subjecti tum prædicati penitus cognoscatur. Igitur. « si apud aliquos, *inquit S. Thomas,* notum non sit de prædicato et subjecto quid sit, propositio quidem, quantum est in se, erit per se nota; non tamen apud illos qui prædicatum et subjectum propositionis ignorant.... Dico ergo quod hæc propositio *Deus est,* quantum in se est, per se nota est.... Sed quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea quæ sunt magis nota quoad nos, et minus nota quoad naturam, scilicet per effectus. » *(P. I, q. II, a. 1).* « In Patria tamen, *addit S. Doctor,* ubi essentiam ejus videbimus, multo amplius erit nobis per se notum Deum esse, quam nunc sit per se notum quod affirmatio et negatio non simul sunt veræ. » *(De Verit., q. X, a. 12).*

391. — Scholium. Quando igitur S. Patres affirmant, ideam Dei esse nobis naturaliter inditam, et congenitam, atque a nemine ignotam, vel a natura nobis insertam, hæc non dicunt quia Dei existentiam per se nobis notam autumant, sed propter maximam facilitatem, qua pollent homines ex creaturis ad Deum cognoscendum assurgendi; vel quia ea, quæ a pueritia cognoscimus, sic firmiter tenentur, ac si essent naturaliter et per se nota. (cf. *Cont. Gent., l. I, c. 12).*

392. — Prop. II. *Existentia Dei non a priori, sed a posteriori, per rationem naturalem, absque revelatione, certo demonstrari potest.*

Certa quoad primam partem; *de fide* quoad secundam, ex Vatic., Constit. *Dei Filius*, can. 2: « Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse, anathema sit. »

NB. Duplex datur demonstratio, nempe: a priori et a posteriori. Demonstratio *a priori* « est per causam, *ait S. Th.*, et dicitur *propter quid*; et hæc est per priora simpliciter. Alia est per effectum, et dicitur demonstratio *quia*, et hæc est per ea quæ sunt priora quoad nos, » scilicet per effectus. *(q. II, a. 2).*

Prob. I Pars: Demonstratio a priori ea est, quæ fit per causam. Atqui Deus quippe qui necessitate suæ naturæ existat, nullam suæ existentiæ causam habet. Ergo ejus existentia a priori probari nequit.

Prob. II Pars: I. **Ex Script. S.** Legimus (Job. XII, 7-9): *Interroga jumenta, et docebunt te: et volatilia cæli, et indicabunt tibi. Loquere terræ et respondebit tibi; et narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?* — (Sap. XIII, 5): *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* — (Rom. I, 20): *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas; ita ut sint inexcusabiles.*

II. **Ex Traditione.** Mundus, *inquit S. August.*, « ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate, et visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus et factum se esse et nonnisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat. » *(De civ. Dei, l. II, c. 4).* — Et celeberrimi quique religionis christianæ apologistæ toti in eo semper fuerunt, ut ex adspectabilibus creaturis verum Deum contra ethnicos ostenderent.

III. **Ex Ratione.** « Cum effectus aliquis, *inquit S. Th.*, nobis est manifestior quam sua causa, per effectum procedimus ad cognitionem causæ. Ex quolibet autem effectu potest demonstrari propriam causam ejus esse, si tamen ejus effectus sint magis noti quoad nos; quia cum effectus dependeat a causa, posito effectu, necesse est causam præexistere. Unde

Deum esse, secundum quod non est per se notum quoad nos, demonstrabile est per effectus nobis notos. » *(Q. II, a. 2).*

Scholium. Ad argumentum a priori referri potest argumentum *a simultaneo* S. Anselmi, qui ex ipsa idea entis perfectissimi, Dei existentiam probare conatur. Deus, inquit, concipitur tanquam ens, quo majus excogitari non potest. Atqui ens, quo majus excogitari non potest, realiter existit, cum majus sit existere in ordine reali, quam in ordine ideali tantum. Ergo ex ipsa idea Dei, tanquam entis perfectissimi, ipsa ejus realis existentia apodictice probari potest. — Hoc vero argumentum S. Thomæ non probatur, 1. quia omnes Deum non intelligunt tanquam id, quo majus excogitari non potest; 2. quia prædictum argumentum ab ordine ideali ad ordinem realem concludit; quod fieri nequit, nisi prius concedatur etiam in ordine reali existere aliquid, quo majus excogitari nequeat; quod præcise ab atheis negatur. *(cf. Cont. Gent. I, c. 11).*

393. — **Objicitur.** Causa per effectum non proportionatum cognosci nequit. Atqui creaturæ sunt effectus non proportionati, cum Deus sit infinitus, creatura vero finita. Ergo ex creaturis Deus non potest cognosci.

Resp. Causa per effectum non proportionatum cognosci nequit, *distinguo:* existentia causæ non potest cognosci, *nego;* essentia causæ, *concedo.* Per creaturas de Deo scire possumus *quod sit,* non autem *quid sit.* « Per effectus non proportionatos causæ, *inquit S. Th.,* non potest perfecta cognitio de causa haberi: sed tamen ex quocumque effectu manifesto nobis potest demonstrari causam esse. Et sic, ex effectibus Dei potest demonstrari Deum esse: licet per eos non perfecte possimus eum cognoscere secundum suam essentiam. » *(Q. II. a. 2, ad 3).*

CAPUT II.

DE IPSA DEI EXISTENTIA.

394. — Numen aliquod supremum existere, quod *Deum* nominamus, inficiantur Athei, sic dicti ab α Θεός, quasi diceres *homines sine Deo,* quorum hodiedum ingens multitudo impium suum et perniciosum errorem, cum concionibus, tum scriptis, longe lateque diffundit.

Atheorum diversæ classes numerantur: alii sunt *negativi,* Deum esse ignorantes, eo quod de eo nunquam cogitaverint; alii sunt *positivi,* qui Deum jam cognitum positive negant; alii *speculativi,* qui Deum non esse, sibi et aliis persuadere conantur; alii *practici,* qui

ita vivunt, ac si Deus non esset; alii *directi*, qui expressis verbis docent vel credunt nullum esse Deum; alii *indirecti*, qui Deum verbis quidem admittunt, sed talem fingunt, ut eum de facto e medio tollant, quales sunt v. gr., Manichæi et Pantheistæ.

Multos dari atheos *practicos et positivos*, qui vel ita vivunt ac si Deus non esset, vel qui ita docent ac si crederent Deum non esse, experientia compertum est; quorum autem atheismus non ab intellectus persuasione, sed e cordis corruptione procedit. « Certum est omnino, *ait S. Alphonsus*, multos dari atheos ex voluntate, qui ne deordinatis suis cupiditatibus frenos imponere cogantur, nullum Deum, qui ipsos possit castigare, existere vellent; ut igitur ab eo timore et a conscientiæ stimulis sese liberent, divinam existentiam in dubium vertere satagunt. » *(Brevis diss. cont. Mater. c. I).*

Certum est etiam nullos dari atheos *negativos;* multo probabilius est etiam nullos dari atheos *speculativos positivos*, qui serio ac firmiter credant nullum existere numen supremum. « Ego vero, *pergit S. Alphonsus*, credere nec possum nec unquam potero, ipsos ad hoc aliquando devenire posse, ut persuasissimum habeant nullum esse Deum, rerum omnium Creatorem et Gubernatorem. » *(loc. cit.)*

Argumentorum enim Dei existentiam probantium tanta est vis, ut vix reperiri possit homo mentis compos, qui non aliquando saltem numen aliquod agnoverit. « Hæc est vis veræ divinitatis, *inquit S. Augustinus*, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi. » *(Tract. 106 in Joan.)* Quapropter inexcusabilis est homo qui Dei existentiam non agnoscit; hac in re nulla potest dari ignorantia invincibilis, saltem ad tempus notabile.

395. — Prop. *Existit Deus.*

De fide, ex Concilio Vatic., Const. *Dei Filius*, I, can. 1: « Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit. »

NB. Ad Dei existentiam probandam, argumenta tum ordinis naturalis tum ordinis supernaturalis afferri possunt; siquidem ipsa ratio absque revelatione Deum existere invicte probat, et Deus ipse via supernaturali seipsum nobis revelavit, *teste Concilio Vatic., Const. Dei Filius, c. II:* « Eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse;.... attamen placuisse ejus sapientiæ et bonitati alia, eaque supernaturali via seipsum ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi revelare. »

Sed quia thesis contra atheos stabilitur, ideo existentia Dei ex argumentis solius ordinis naturalis probanda est; contra atheos enim, qui S. Scripturas, divinas traditiones, Ecclesiæ auctoritatem, et totum ordinem supernaturalem respuunt, nullum argumentum in veritate divinitus revelata fundatum, ad Dei existentiam probandam convenienter allegari potest, prout constat ex thesi, quæ a Bautainio subscribenda fuit, die 8 Sept. 1840: « Ratiocinatio Dei existentiam cum certitudine probare valet. Fides, donum cœleste, posterior est revelatione; proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum allegari convenienter nequit. » *(Denzing. n. 1488).*

2. Ad Dei existentiam probandam multa ex ordine naturali argumenta semper fuerunt allata; quæ, claritatis causa, a theologis ad tria genera revocantur. Dantur enim *argumenta ordinis metaphysici*, quæ ex idea entis contingentis desumuntur; *argumenta ordinis physici*, quæ ex visibili mundi specie atque apta ejus partium dispositione hauriuntur: et *argumentum ordinis moralis*, quod ex unanimi populorum consensu depromitur.

I. *Probatur existentia Dei argumentis metaphysicis*[1].

Ad Dei existentiam apodictice probandam, quatuor argumenta metaphysica in medium adfert S. Thomas, q. II, a. 3.

396. — I. *Prima autem et manifestior via*, inquit, *est quæ sumitur ex parte motus*[2]. Quod argumentum in hanc disserendi formam redigitur: Necesse est ut admittatur aliquod primum movens omnino immobile. Atque illud movens immobile Deum esse concipimus. Ergo existit Deus.

Prob. maj. Certum est enim, ait Angelicus, *et sensu constat, aliqua moveri in mundo. Omne autem quod movetur, ab alio movetur.... Si ergo id a quo movetur, moveatur, oportet et ipsum ab alio moveri, et illud ab alio. Hic autem non est procedere in infinitum.... Ergo necesse est devenire ad aliquod*

[1] Cf. Valentia, *De Deo*, Disp. I, q. II, Punct. 3. — [2] Cf. S. Alph. *Ver. fid.* P. I, c. 5.

primum movens, quod a nullo movetur; et hoc omnes intelligunt Deum.

Duo hujus argumenti puncta probatione indigent, scilicet: 1. Omne quod movetur, ab alio movetur; 2. in causis moventibus non datur processus in infinitum. Unde:

A. — *Omne quòd movetur ab alio movetur*[1].

Prob. Omne quod movetur, est in potentia ad id, ad quod movetur: motus enim est actus existentis in potentia. Omne autem quod movet, debet esse in actu; *movere enim nihil est aliud quam educere aliquid de potentia ad actum. De potentia autem non potest aliquid reduci in actum, nisi per aliquod ens in actu: sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, et per hoc movet et alterat ipsum.*

Atqui: *non est possibile ut idem sit simul in actu et in potentia secundum idem, sed solum secundum diversa. Sic, v. gr., quod est calidum in actu, non potest simul esse calidum in potentia, sed est simul frigidum in potentia. Ergo impossibile est quod secundum idem et eodem modo, aliquid sit movens et motum, vel quod moveat seipsum. Omne ergo quod movetur oportet ab alio moveri.* S. Th.

B. — *In causis moventibus non datur processus in infinitum.*

« In moventibus et motis ordinatis, *ait S. Th.*, quorum scilicet unum per ordinem ab alio movetur, hoc necesse est inveniri, quod, remoto primo movente vel cessante a motione, nullum aliorum movebit neque movebitur; quia primum est causa movendi omnibus aliis. Sed si sunt moventia et mota per ordinem in infinitum, non erit aliquod primum movens, sed omnia erunt quasi media moventia. Ergo nullum aliorum poterit moveri, et sic nihil movebitur in mundo. » (*Cont. Gent., l. I, c. 3*). — Ergo necessario deveniendum est ad primum movens omnino immobile, quod a nullo alio moveatur, sed sit causa omnis motus.

[1] Cf. S. Th. *In Aristot.*, L. VII, *Physic.*, Lect. 1 et 2.

397. — II. *Secunda via,* ait S. Th., *est ex ratione causæ efficientis* [1].

Necesse est ut aliqua prima causa efficiens, quæ a nullo sit facta, sed a qua omnia alia sint producta, admittatur. Atqui, istam primam causam efficientem Deum esse dicimus. Ergo Deus existit.

Prob. maj. Experientia constat quædam in rerum natura fieri, quæ antea non erant. Atqui, omne quod fit, ab alio fit: quia *non est possibile quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia esset prius seipso, quod est impossibile.*

Sed et de isto alio, quod est causa effectrix, quæritur an et ipsum ab alio sit factum, necne. Sed hic alterutrum necessario admittendum est: vel dari primam causam effectricem per se subsistentem, vel in causis efficientibus dari processum in infinitum. Atqui hoc ultimum repugnat. *Non autem est possibile,* ait S. Th., *quod in causis efficientibus procedatur in infinitum* [2], *quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, et medium est causa ultimi: sive media sint plura, sive unum tantum. Remota autem causa, removetur effectus. Ergo, si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit ultimum, nec medium. Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens; et sic non erit nec effectus ultimus, nec causæ efficientes mediæ; quod patet esse falsum. Ergo necesse est ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant.*

398. — III. *Tertia via est sumpta ex possibili et necessario* [3].

Necesse est ut ens aliquod necessarium, quod vi suæ naturæ existit, admittatur. Atqui illud Deum dicimus. Ergo Deus existit.

Prob. maj. In mundo multa sunt contingentia, sicut experientia constat, cum quotidie quædam generentur, alia vero

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fidei,* P. I, c. 2. — [2] Cf. S. Alph., *loc. cit.,* n. 4 et 5, et *Brevis dissert. contra Mater.,* P. I, c. 1. — [3] Cf. S. Alph., *Ver. fidei,* P. I, c. 4.

corrumpantur. Atqui ens contingens supponit ens aliquod necessarium: etenim ens contingens illud est, quod potest esse, vel non esse, seu quod ex se indifferentiam habet ad esse vel ad non esse. Sed quod habet ex se indifferentiam ad esse vel ad non esse, non potest reduci ad esse nisi per aliquod quod sit in esse. Sed *si omnia sunt possibilia non esse,* seu si non datur ens necessarium, *aliquando nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset; quia quod non est, non incipit esse nisi per aliquid quod est. Si igitur nihil fuit ens, impossibile fuit quod aliquid inciperet esse; et sic modo nihil esset*: quod patet esse falsum. *Non ergo omnia entia sunt possibilia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus.*

Omne autem necessarium vel habet causam suæ necessitatis aliunde, vel non habet. Non est autem possibile quod procedatur in infinitum in necessariis quæ habent causam suæ necessitatis: sicut nec in causis efficientibus, ut probatum est (n. 397). *Ergo necesse est ponere aliquid quod sit per se necessarium non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis: quod omnes dicunt Deum.*

399. — IV. *Quarta via,* inquit S. Th., *sumitur ex gradibus qui in rebus inveniuntur* [1].

Datur aliquod ens summe perfectum, summe nobile, summe verum, summe ens, quod est causa omnis perfectionis, quae in aliis invenitur. Atqui illud dicimus Deum. Ergo Deus existit.

Prob. maj. Invenitur enim in rebus aliquid magis et minus bonum, et verum et nobile; sic, v. gr., homo perfectior est quam animal; animal quam planta; planta quam lapis. *Sed magis et minus dicuntur de diversis secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid quod maxime est,* et quod assumitur tanquam regula vel mensura, ex cujus accessu vel recessu, majori vel minori participatione, aliorum perfectio mensuratur. Et debet hæc mensura esse ens maxime tale in eo genere, nisi admittatur processus in infinitum, qui repugnat:

[1] Cf. Billuart, D. I, a. 2.

sicut magis calidum est, quod magis appropinquat calido. Est igitur aliquid quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens maxime ens. Nam quæ sunt maxime vera, sunt maxime entia. Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere est causa sive efficiens, sive saltem exemplaris. *omnium quæ sunt illius generis, sicut ignis qui est maxime calidus est causa omnium calidorum. Ergo est aliquid quod omnibus entibus est causa,* sive efficiens, sive saltem exemplaris, *esse, et bonitatis, et cujuslibet perfectionis; et hoc dicimus Deum.*

II. *Probatur existentia Dei argumento physico.*

400. — Desumitur hoc argumentum ex mirabili illa partium hujus universi dispositione atque regimine, quæ ubique vigere cernuntur. « Existentia Dei, *ait S. Alphonsus*, nobis evidenter manifestatur per mundi structuram, quem cum tanta symetria formatum, atque ordine tam pulchro et tam stabili gubernatum videmus. Unde non possumus non credere supremam aliquam causam existere, quæ eum condiderit atque gubernet. » *(Ver. fid. P. I, c. 6, n. 57).*

« Videmus his in terris, *addit S. Doctor*, rerum ordinem adeo mirabilem atque constantem, ut a sola intelligentia, quæ infinita sapientia prædita sit, produci queat et conservari. Videmus solem cursum suum diurnum atque annuum ordine miro absolvere; videmus animalia constanter renascentia, quin speciem unquam mutent; videmus arbores eosdem semper fructus et iisdem semper anni temporibus producentes. Quis autem ita sibi persuadere possit casum, omni intellectu destitutum, hunc mundum producere, atque in eo ordinem tam stabilem conservare potuisse, cujus ad conservationem superior intelligentia semper erat et semper erit necessaria. » *(Method. ad convert. infid.; Ver. fid., II, p. 497).*

« Vilissimum quodlibet insectum, *subjungit S. Doctor*, quælibet feni stipula, certe majori cum sapientia contexta sunt quam quælibet machina arte humana exstructa. Si igitur ædificatio alicujus tugurii manum intelligentem arguit, quomodo

confiteri non debeamus magnam hujusce mundi fabricam a summa sapientia et summa potentia fuisse constructam? » *(Brevis diss. cont. Mat. P. I, c. 3; cf. Ver. fid. P. I, c. 3).*

III. *Probatur existentia Dei argumento morali.*

401. — Argumentum morale illud est, quod ex unanimi populorum consensu desumitur.

Unanimis populorum consensus maximum est veritatis testimonium, secundum effatum Guillelmi Parisiensis: *Quod natura universaliter confitetur, necesse est verum esse. Naturam enim universaliter et naturaliter mentiri impossibile est. (De Virt. c. 2).* Atqui existentia alicujus supremi Numinis ab omnibus populis semper et ubique fuit admissa. Ergo.

Prob. minor. Unanimem antiquorum populorum consensum de existentia alicujus supremi numinis nobis testantur fidei symbola, simulacra, templa et sacrificia, quæ apud omnes inveniuntur. *teste Plutarcho:* « Si terras obeas, inquit, invenire possis urbes muris, litteris, legibus, domibus.... carentes; urbem templis diisque carentem nemo unquam vidit. » *(Adv. Colotem.)* — Accedunt ethnicorum scripta: « Nulla gens tam fera, *ait Cicero*, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt;... omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur. » *(Quæst. Tusc. l. I, c. 13).*

Universalis ille consensus nostris etiam temporibus viget, sicut ex relationibus viatorum et evangelii prædicatorum constat, licet quidam, ast falso, contrarium asserant. — Ergo omnes gentes in admittendo aliquo supremo numine mirifice consentiunt.

402. — Argumentum ex humano consensu depromptum athei infirmare conantur. Alii illum consensum ex timore repetunt: « Sed, *ait S. Alphonsus*, quomodo posset homo Deum timere, nisi ideam Dei prius haberet? Quis fulgur timeret, nisi ipsum prægnosceret? Idea igitur Dei timorem necessario præcedit; homoque Deum, priusquam ipsum timeat, cognoscit. » *(Diss. cont. Mat. P. I, c. 3).*

Alii hunc consensum ex educatione desumunt. « Sed ut educatio, *inquit S. Doctor*, hanc ideam propagare potuisset, hæc in mundo prius

existere debuit.... Præterea, inter educationem et naturam ingens discrimen intercedit. Quæ ab educatione proveniunt, pro varia temporum regnorumque ratione mutantur; quæ a natura proficiscuntur, perpetua permanent: et hujusmodi est idea Dei, quæ omnibus mundi ætatibus, et omnibus in regnis, etiam barbaris, viguit. » *(loc. cit.)*

Alii demum ipsum deducunt ex fraudibus principum, qui per ideam alicujus numinis homines ad legum observationem adstringere intendebant. Sed, *pergit S. Alphonsus:* « quis ita sibi unquam persuadere possit, unum vel plures principes tanta eminuisse potestate, ut sola vi privatæ suæ auctoritatis toti generi humano figmentum, quod homines sua libertate privat, imponerent? Sola utique auctoritas, rationibus destituta, omnibus hominibus, inter quos sunt et semper fuerunt aliqui prudentes et sapientes, qui rationis lumen et ductum sequuntur, imposturam quamdam tanquam veritatem inconcussam modo adeo constanti atque universali certe nunquam imponere potuisset. » *(loc. cit.)*

403. — **Corollaria.** I. Ex argumentis metaphysicis, quibus S. Thomas Dei existentiam probat, manifeste sequitur Deum esse *actum purum.* Dicitur *actus,* id est, ens actu existens; *purus,* id est, sine ulla admixtione potentialitatis sive passivæ sive activæ.

Non est in Deo aliqua *potentia passiva,* capacitas scilicet aliquid recipiendi: Deus enim est ens necessarium, et ipsum esse per se subsistens; habet igitur esse irrestrictum, extra quod nihil possit cogitari, quod ipse jam non habeat, et quod ipsi advenire possit.

Nec est in Deo *potentia activa,* id est potentia transeundi ad actum: quod enim est in potentia, non transit ad actum, nisi ab alio, quod est in actu, moveatur: sed Deus est primus motor et prima causa efficiens. Non est igitur in Deo potentia operandi, sed actualis semper et perfectissima operatio, quæ, ut infra dicetur, est ipsa Dei essentia.

II. Ex iisdem argumentis illa manifestatur idea, quam de Deo concipere debemus, scilicet: quod Deus est ens omnino immobile propter omnimodam suæ essentiæ et suæ vitæ plenitudinem, vi suæ naturæ existens, possidens summe totalitatem essendi et perfectionum, et est causa efficiens et exemplaris, et gubernator omnium quæ sunt.

III. Quibus in argumentis S. Thomæ totus tractatus *de Deo uno* seminaliter continetur: « Ex his notis quinque conditionibus, *ait Joan. a S. Thoma*, pendent omnia alia attributa quæ in hoc opere de Deo demonstrantur. Ex immobilitate enim constat attributum immutabilitatis, unde desumitur immensitas, æternitas, etc. Ex ratione primi efficientis sumitur omnipotentia circa creaturas. Ex eo quod sit ens a se, et necessarium, sumitur omnis perfectio, bonitas, immaterialitas, actus purus, etc. Ex eo quod sit maximum, et primum ens, sumitur ejus simplicitas, et eminentia, quod non sit corpus, quod non sit in prædicamento, quod sit suum esse, infinitus, unus, etc. Ex eo denique quod sit primum gubernans, sumitur ratio sapientiæ, et voluntatis, providentiæ, idearum, etc; atque adeo in his quinque viis inclusit D. Thomas omnia, quæ ad manifestanda attributa Dei possunt conducere. » *(P. I, disp. III, a. 2).*

PARS II.

DE ESSENTIA ET ATTRIBUTIS DEI.

(*S. Th.*, P. I, q. III ad XII).

404. — « Cognito de aliquo an sit, *inquit S. Th.*, inquirendum restat quomodo sit, ut sciatur de eo quid sit. » *(Prol. ad q. III)*. Probata igitur Dei existentia, inquirit S. Doctor *quid sit Deus*, et *quomodo sit*, tum secundum seipsum, tum in nostra cognitione.

Cum autem his in terris Deum nonnisi ex creaturis cognoscamus, in quibus essentiam ab attributis realiter distinctam semper videmus, ideirco etiam in Deo attributa seorsim ab essentia considerare licet, quamvis in Eo, propter omnimodam ejus simplicitatem, essentia *re* idem sit ac attributum.

In hac igitur secunda parte dicendum est: I. De essentia Dei; II. De attributis Dei in genere: III. De attributis Dei in specie; IV. De cognitione seu visione Dei.

CAPUT I.

DE ESSENTIA DEI.

405. — Si quæstioni *an Deus sit*, respondere in promptu sit, quæstioni *quid sit Deus*, vel *quomodo sit*, non ita facilis præsto est responsio. Etenim *Deum nemo vidit unquam* (Joan. I, 18), et quamdiu his in terris vivimus, cum per speculum in ænigmate tantum videmus.

Ex hoc tamen creaturarum speculo, ex analogia scilicet eorum quæ facta sunt, quamdam, licet imperfectam, cum de divina essentia, tum de divinis attributis, ideam concipere possumus, et trifarie quidem, nimirum: « *per causalitatem, remotionem et excellentiam* », ut ait S. Th. (I *Sent.* D. III, q. I, a. 3).

Essentia in genere est id, *quo aliqua res intrinsece constituitur in esse rei.* — Essentia cujuslibet rei dupliciter considerari potest, *physice* et *metaphysice:* quælibet enim res considerari potest vel prout est realiter in se, vel secundum quod sub consideratione nostri intellectus cadit.

406. — I. **De essentia Dei physica.** — Essentia alicujus rei physice considerata, omnia et singula complectitur prædicata, quæ ejus naturam intrinsece constituunt; v. gr., essentia hominis physica animam et corpus complectitur.

Prop. *Essentia Dei physice considerata in complexu omnium divinarum perfectionum consistit.* — Certa et communis.

Prob. Hujus propositionis veritas, quam unanimiter admittunt doctores, fundatur in summa Dei simplicitate. In Deo enim, ut infra dicetur *(n. 418 et seq.)*, omnimoda viget simplicitas: quidquid igitur est in Deo, id omne Deus est, nec ullum attributum, quod non sit ipsemet Deus, excogitari potest.

Essentia igitur Dei, physice et complete sumpta, prout est ex parte rei, et prout a Beatis, qui visione faciali Deum contemplantur, concipitur, in simplicissimo omnium divinarum perfectionum complexu consistit. — « Quidquid digne de Deo sentitur, *ait S. Leo*, non qualitas est, sed essentia. » *(Ep. 39, c. 5)*. Et *S. J. Damasc.:* « Universum id quod est, *ait*, tanquam immensum quoddam et infinitum essentiæ pelagus, Deus complexu suo continet. » *(De fide orthod. c. 12)*.

407. — II. **Essentia Dei metaphysica.** — In essentia cujuslibet entis creati intellectus noster apprehendit tum perfectionem, qua cum aliis ejusdem generis entibus communicat; tum perfectionem, qua ab omnibus aliis secernitur, atque in esse suo specifico constituitur, et ex qua omnes ejus proprietates effluunt. V. gr., in homine, intellectus apprehendit *animalitatem*, qua homo cum aliis entibus communicat; et *rationabilitatem*, qua homo in ratione hominis proprie constituitur, ab omnibus aliis entibus distinguitur, et ex qua omnes ejus proprietates effluunt. Hæc specialis perfectio, per quam

ens quodlibet in suo esse specifico constituitur, vocatur *essentia entis metaphysica*, seu *gradus constitutivus entis*.

Ut igitur aliquid dici possit gradus constitutivus, seu essentia alicujus entis metaphysica, tria requiruntur: 1.° ut sit primum, quod in ente concipitur; 2.° ut sit aliquid ei omnino proprium, et distinctivum ab omnibus aliis; 3.° ut sit omnium ejus perfectionum fons et origo.

In Deo, prout est in se, omnia sunt ipsemet Deus: in Eo nulla perfectio ab essentia realiter distinguitur, nec una perfectio oritur ex altera. In Deo igitur nulla realiter datur nec dari potest essentia metaphysica. Attamen, cum intellectus noster unico conceptu Deum, omnium perfectionum simplicissimum aggregatum, intelligere nequeat, sed multis inadæquatis perfectionum notionibus, quas ex creaturis haurimus, indigeat, idcirco ad adjuvandam imbecillitatem nostram, licet nobis in Deo, sicut in creaturis, perfectionem quamdam fontalem excogitare, quam ut divinitatis constitutivum concipimus, et ex qua, nostro modo intelligendi, aliæ divinæ perfectiones effluunt.

Essentia igitur metaphysica Dei definiri potest: *Perfectio quædam specialis qua Deus, nostro modo concipiendi per analogiam ad creaturas, in ordine Deitatis constituitur, a creaturis omnibus distinguitur, et ex qua omnia alia divina attributa virtuali sequela tanquam ex fonte et radice consequuntur.*

In ea perfectione assignanda, quæ tanquam essentia Dei metaphysica intelligitur, in diversas sententias auctores discedunt. Tres celebriores existunt opiniones. *Prima*, quæ est Scotistarum, docet essentiam Dei metaphysicam consistere in infinitate radicali, seu in omnium perfectionum exigentia. *Secunda*, quæ est multorum Thomistarum, tenet eam positam esse in intellectione sive radicali sive actuali. *Tertia* demum, *aseitatem*, seu *rationem entis a se et per essentiam*, tanquam gradum constitutivum Dei assignat. — Tertiæ præ aliis adstipulamur sententiæ, quia ipsa est nostra ætate inter auctores communior, atque S. Scripturis, SS. Patrum dictis et rationi videtur conformior.

408. — Prop. *Essentia Dei metaphysica consistit in aseitate*[1].

Prob. I. **Ex Script. S.** Deus, interrogatus a Moyse quis esset, respondit (Exod. III, 14): *Ego sum qui sum.* Et subjunxit: *Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Sed verba: *ego sum qui sum, qui est,* hisce æquivalent: *Ego sum ipsum esse: qui est ipsum esse:* et consequenter ipse Deus affirmare videtur suam essentiam consistere in esse a se[2].

II. **Ex Traditione.** *S. Hilarius,* trutinans verba: *Ego sum qui sum,* ait: « Admiratus sum plane tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo, quam esse, intelligitur. » *(De Trinit. l. I). — S. Joan. Damasc.:* « Ex omnibus nominibus quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur atque ὁ ὤν, id est, qui est: quemadmodum, cum Moysi in monte responderat, ait: *Dic filiis Israel, qui est misit me. (De fide orth. l. I, c. 9). — Et S. Gregor. Naz.:* « Nos vero ejusmodi naturam inquirimus, quæ ipsum esse per se habeat, ac non cum aliquo alio copulatum. Ens vero proprium quidem est Dei. » *(Or. 36).* — Sed, nihil est alicui magis proprium quam ipsius ratio constitutiva. Ergo secundum S. Patres ratio constitutiva Dei merito in aseitate constituitur.

III. **Ex Auctoritate.** Huic nostræ sententiæ favet *S. Thomas.* Quæstioni: Utrum hoc nomen *qui est,* sit maxime proprium Deo, respondet: « Cum esse Dei sit ipsa ejus essentia, et hoc nulli alii conveniat, manifestum est quod inter alia nomina hoc maxime proprie nominat Deum. Unumquodque enim denominatur a sua forma. » *(P. I, q. XIII, a. 11).* — Eamdem sententiam amplectitur *S. Alphonsus:* « Maximum Dei privilegium, *inquit,* vel potius τὸ totum Dei *(il tutto di Dio),* est esse suum esse, id est, esse a se, nec a quoquam dependere. » *(Disc. VI, pro Nat., t. IV, p. 78).*

[1] Cf. Aguirre, t. I, disp. 24; Tournely, *De Deo,* q. II; Gotti, *De Deo,* q. III, dub. 3. — [2] Cf. Lessius, *De perf. div.,* l. I, c. 1, n. 4.

IV. **Ex Ratione.** Ad metaphysicam alicujus rei essentiam constituendam, tres, ut notatum est, requiruntur conditiones. Atqui tres illæ conditiones in aseitate reperiuntur: *a)* Primum enim, quod de Deo concipimus, est quod sit ens a se. « Ipsum per se esse, *ait S. Dionys.*, antiquius est ipsa per se vita. » *(De div. nom.).* — *b)* Aseitas est quid Deo omnino proprium; omnis vero creatura esse suum ab alio tenet. *c)* Aseitas, nostro modo concipiendi, est omnium aliarum divinarum perfectionum fons et origo, « quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse ei, qui est ipsum esse subsistens » *(S. Th., q. IV, a. 5, ad 3).* — « Quia existit per se, *inquit S. Alphonsus*, ideo Deus necessario debet esse unicus, æternus, et infinite perfectus. » *(Ver. fid., P. I, c. 4, n. 1).* — Et *S. Bernardus ait:* « Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid aliud de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur: *Qui est.* » *(De Consid. l. I, c. I).* — Recte igitur aseitas assignatur tanquam essentia Dei metaphysica.

Corollarium. Optima igitur Dei definitio, si de Eo definitio dari posset, hæc foret, scilicet: *Deus est qui est a se, et per se, in tota plenitudine essendi. (Gotti, q. III, dub. 3, § 2).*

CAPUT II.

DE ATTRIBUTIS DEI IN GENERE.

Duæ in hoc capite quæstiones investigantur: I. quid et quotuplex sit attributum: II. quænam distinctio inter ipsa attributa, vel inter attributa et essentiam Dei intercedat.

ARTICULUS I.

DE ATTRIBUTORUM DEFINITIONE ET DIVISIONE.

409. — Definitio. — Attributum sensu latiori vel sensu strictiori sumi potest. — *Si sensu latiori* usurpatur, sicuti aliquoties fit, nomine attributi designatur quæcumque proprietas

vel perfectio, quæ de Deo prædicari potest, sive essentialiter sive accidentaliter, sive absolute, sive relative prædicetur.

Attributum late sumptum distinguitur *in absolutum*, quod Deo, secundum quod est unus in essentia, convenit, v. gr. æternitas: et *in relativum*, quod Deo convenit secundum quod est trinus in personis, v. gr., paternitas. In tractatu *de Deo uno* de solis attributis absolutis sermo instituitur: de relativis in tractatu *de Deo Trino* agetur.

Attributum absolutum, *stricte* et *proprie sumptum*, definiri potest: *Perfectio simpliciter simplex, absolute et necessario de Deo prædicabilis per modum formæ adjacentis.*

Explicatur definitio: Dicitur: *perfectio simpliciter simplex*, ad excludendum tum eas perfectiones, quæ aliquam imperfectionem involvunt, et quæ in Deo eminenter tantum, non vero formaliter inveniuntur; tum ea prædicata, quæ solummodo *metaphorice* de Deo dicuntur, ut, v. gr., Deus est Leo. — *Absolute prædicabilis*, ad distinguendum attributum a relationibus divinis, quæ rationem attributi proprie dicti non habent, quippe quæ nec sint tribus personis communes, nec relate ad essentiam se habeant per modum proprietatis adjacentis. — *Necessario*, ut attributum ab actibus Dei liberis, v. gr., a relatione Creatoris, Gubernatoris, distinguatur. Prædicata enim, quæ de Deo relate ad creaturas affirmantur, v. gr., omnipotentia, esse Dominum etc., si sumantur transcendentaliter seu in actu primo, sunt attributa proprie dicta: secus vero si in actu secundo sumantur. — *Per modum formæ adjacentis*, quippe cum attributa, nostro modo concipiendi, ad constitutionem naturæ seu quiddidatis divinæ non pertineant.

410. — Divisio. – Attributa multifariam dividuntur: 1. Alia sunt *affirmativa seu positiva*, quæ Deo perfectiones, quas in creaturis percipimus, v. g., justitiam, bonitatem, attribuunt. — Alia sunt *negativa*, quæ a Deo eas imperfectiones, quas in creaturis intuemur, removent, v. gr., esse increatum, infinitum, etc. Licet attributa negativa terminis negativis exprimantur, in conceptu tamen suo aliquid positivum includunt.

2. Alia sunt communicabilia, alia incommunicabilia. *Communicabilia* ea sunt, quibus in creaturis imperfecta quædam et analoga similitudo et participatio respondet: v. gr., sapientia, misericordia. — *Incommunicabilia* ea sunt, quæ a creaturis nullatenus participari possunt, v. gr., esse increatum, esse infinitum. — Attributa communicabilia sunt præsertim positiva;

incommunicabilia sunt præsertim negativa, quia hæc propriissime Dei Essentiam et ejus distinctionem a creaturis designant.

3. Alia sunt immanentia, alia transeuntia. Attributa *immanentia* seu *quiescentia* naturam divinam in se spectatam respiciunt, et concipiuntur quasi modi existentiæ divinæ, v. gr., immensitas, simplicitas; attributa *transeuntia seu operativa* principium aut modum divinæ operationis designant, ut v. gr., scientia, voluntas, potentia.

Attributa immanentia vocantur etiam *attributa essendi*, de quibus tractat S. Thomas, P. I, q, 3 ad 13; transeuntia vocantur etiam *attributa operandi*, de quibus S. Doctor a q. 14 ad 26 tractat.

NB. Cum in Deo omnia attributa sint ipsamet divina substantia, idcirco quænam sint Dei attributa investigare, idem est ac ipsam divinam investigare substantiam. Divina autem substantia est incomprehensibilis, et captum cujuslibet intellectus creati excedit. Notionem igitur veriorem de Deo concipimus per attributa negativa quam per positiva, veriusque de Deo quid non sit, quam quid sit, cognoscimus [1].

ARTICULUS II.

DE DISTINCTIONE DIVINORUM ATTRIBUTORUM A SE INVICEM ET AB ESSENTIA DIVINA [2].

411. — Distinctio est *carentia identitatis;* ea enim distinguuntur, quorum unum non est idem cum alio. — Duplex datur distinctio, nimirum, realis et rationis. *Distinctio realis* ea est, quæ a parte rei existit, quando scilicet, etiam nemine cogitante, una res non est alia; talis, v. gr., inter leonem et lapidem existit. — Duplex est hujusmodi distinctio, *major* et *minor*. *Distinctio realis major* est *distinctio rei a re;* inter duas res intercedit, quarum una ab altera vel separatim existit, ut inter Petrum et Paulum; vel ab ea separari potest, ut inter animam et corpus. — *Distinctio realis minor*, quæ etiam *modalis* nuncupatur, ea est, quæ vel intercedit inter rem aliquam et ipsius modum, v. gr., inter digitum et ejus inflexionem, inter lineam et ejus obliquitatem, vel inter duos modos ejusdem rei, v. gr., inter digiti inflexionem et ejus rotunditatem.

[1] Cf. *Cont. Gent.*, l. I, c. 14 — [2] Cf. Gotti, *De Deo*, q. IV.

412. — *Distinctio rationis*, seu mentalis ea est, quam in iis mens excogitat, quæ revera unum idemque sunt. Hæc etiam est duplex, videlicet: rationis ratiocinantis et rationis ratiocinatæ. *Distinctio rationis ratiocinantis*, seu *pure mentalis*, est ea, quæ fit in mente ratiocinantis absque ullo fundamento in re, v. gr., si distinguo inter hominem et animal rationale, vel inter Petrum et Cepham.

Distinctio rationis ratiocinatæ, seu *virtualis*, ea est, quæ fit in mente ratiocinantis cum fundamento in re; quando scilicet mens nostra in una eademque re plura concipit, propterea quod res ipsa sit talis naturæ et excellentiæ, ut pluribus realiter distinctis æquivaleat, aut varios effectus producat, ita ut a nobis unico conceptu adæquato exprimi nequeat: v. gr., eadem anima nostra est forma corporis, et simul principium vitæ tum vegetativæ, tum sensitivæ, tum intellectivæ. Quatuor hæc munera unico conceptu explicite exprimere non possumus; verum ea ut exprimamus, quatuor conceptibus opus est; et sic in una anima intellectus noster quatuor distinguit, quæ tamen in ea realiter sunt unum et idem.

Exinde apparet, conceptus, quibus distinctio virtualis continetur, *non esse exclusivos, sed præcisivos*, cum unus conceptus alium conceptum ab eadem re non excludat, sed ab eo tantummodo præscindat.

413. — Circa distinctionem attributorum ab invicem et ab essentia divina, duplex vitandus est error, Eunomii scilicet, et Gilberti Porretani.

Eunomius nullam, nequidem rationis ratiocinatæ, in Deo admisit distinctionem, diversosque conceptus, quibus Dei essentia divinaque attributa exprimuntur, nihil aliud esse contendit, quam diversa nomina eamdem omnino rem sub eadem intrinseca formalitate significantia.

Gilbertus Porretanus, Episc. Pictaviensis, sæculo XII, docuit realem in Deo esse distinctionem, non solum inter personas, sed etiam inter personam et essentiam, atque inter attributa et essentiam.

Mediam viam capessit veritas catholica.

414. — Prop. I. *Divina attributa neque ab essentia neque a se invicem realiter distinguuntur.*

Certa; alii dicunt *de fide*, ex symb. Concilii Rhemensis sub Eugenio III, contra Gilbertum Porretanum: « Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin divinitas sit Deus et Deus divinitas. Sicubi vero dicitur Dominum sapientia sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum esse, et alia hujusmodi, credimus, nonnisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse: nonnisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse, etc.... »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus: *Ego sum via, et veritas et vita.* (Joan. XIV, 6). — *Deus caritas est.* (I Joan. IV, 8). — *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* (I Cor. I, 24). — *Ego sapientia habito in consilio.* (Prov. VIII, 12). — In his aliisque Scripturæ textibus, attributa in abstracto sumpta prædicantur de Deo. Atqui ea, quæ inter se realiter distinguuntur, non possunt de se invicem prædicari in abstracto, sed solum in concreto; sic v. gr., dicere nequeo: *homo est justitia*, sed: *homo est justus.* Ergo attributa divina a Dei essentia realiter non distinguuntur. Si autem attributa absoluta cum natura divina realiter identificantur, realiter etiam identificantur inter se: ergo nec inter attributa adest realis distinctio, cum inter illa nulla relationis oppositio existat.

II. **Ex Traditione** [1]. SS. Patres unanimiter docent, divina attributa nec a se invicem nec ab essentia realiter distingui. « Cum has voces audimus, *inquit S. Athanasius*, Pater, Deus, Omnipotens, nihil aliud quam ejus, qui est, substantiam indicari concipimus. » *(De syn. n. 25). Et S. Augustinus* ait: « Deus multipliciter dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus...; sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia; et eadem bonitas quæ sapientia, et magnitudo; et eadem veritas quæ illa omnia: et non est ibi aliud beatum esse, et aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse. » *(De Trinit., l. VI, c. 7).*

III. **Ex Ratione.** 1. Si attributa a divina essentia realiter distincta essent, ipsa ad essentiam tanquam accidentia ad subjectum sese haberent. Sed « in Deo accidens esse non potest, *ait S. Th.*, quia subjectum comparatur ad accidens, sicut potentia ad actum; subjectum enim secundum accidens est aliquo modo in actu: esse autem in potentia omnino removetur a Deo », *(Q. III, a. 6)*, cum Deus sit actus purus, omnem in se et per se perfectionem possidens. Ergo in Deo attributa ab essentia realiter non distinguuntur.

2. Si divina attributa a se invicem realiter distincta essent, unumquodque eorum seorsum spectatum, vel infinitum

[1] Cf. Aguirre, t. I, disp. 28, pag. 544.

foret, vel finitum. *Si infinitum*, quot attributa, tot entia infinita statuerentur: quod dici nequit, cum plura infinita existere repugnet; quodlibet enim eorum a consortio propriæ suæ naturæ alia excludit, nec eo ipso jam sunt infinita. *Si autem finitum*, finita et limitata attributa Deo adscriberentur, et eo ipso notio entis infinite perfecti pessumdaretur. Ergo attributa divina a se invicem non sunt realiter distincta.

415. — Prop. II. *Attributa divina distinguuntur ab invicem et ab essentia distinctione virtuali, seu rationis ratiocinatæ.* — Certa.

Prob. **Ex Ratione.** 1. Distinctio virtualis ea est, quæ fit ab intellectu cum fundamento in re. Atqui distinctio, quam intellectus tum inter Dei essentiam et ejus attributa, tum inter divina attributa ad se invicem, ponit, in ipso Deo fundamentum habet. Ergo.

Prob. min. Virtualis multiplicitas rei est sufficiens fundamentum ad distinctionem virtualem inducendam, (n. 411). Atqui, licet divina essentia atque ejus attributa sint ex parte rei formaliter aliquid unum, tamen hoc unum virtualiter est multiplex, cum omnibus perfectionibus creatis realiter distinctis æquivaleat, et multiplices effectus producere possit.

2. In Sacris Scripturis diversa Deo adscribuntur nomina et attributa: Deus, v. gr., vocatur justus, bonus, misericors, sapiens, etc. Atqui ubi est pluralitas nominum, ibi etiam distinctio quædam adsit, necesse est; sed in Deo nulla est distinctio realis; ergo virtualis in eo sit, oportet. « Pluralitas istorum nominum, *ait S. Th.*, non tantum est ex parte intellectus nostri formantis diversas conceptiones de Deo, quæ dicuntur diversæ rationes, sed etiam ex parte ipsius Dei, in quantum scilicet est aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus, scilicet plena et omnimoda ipsius perfectio. » *(I Sent. D. II. q. I, a. 3).*

416. — Corollaria. I. Cum in Deo attributa realiter identificentur tam cum essentia, quam cum aliis attributis, inde sequitur:

a) Omnia attributa, cum in abstracto tum in concreto, de Deo prædicari posse; sic dicere possumus: *Deus est justus, Deus est justitia;*

Deus est misericors; Deus est misericordia. — Quia tamen quodlibet attributum est ipsa divina essentia, ideo « rectius congruentiusque dicetur: Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia, quam: Deus est magnus, bonus, justus, sapiens. » *(S. Bernardus. In Cant. Serm. 80).*

b) Omnia divina attributa posse de se invicem prædicari *in concreto;* v. gr., justus est sapiens; — et etiam *in abstracto,* dummodo in sensu reali intelligantur; v. gr., in Deo justitia est misericordia; — non autem in abstracto si sumantur in sensu formali; v. gr., justitia est misericordia; quia in nostro intellectu conceptus justitiæ alius est a conceptu misericordiæ.

II. Cum quodlibet divinum attributum cum aliis attributis realiter identificetur, ideo inter diversa attributa nulla unquam adesse potest oppositio, ut, v. gr., inter justitiam et misericordiam; sed omnia ex parte rei se invicem includunt.

III. Cum fundamentum distinctionis virtualis ex una parte sit infinita Dei eminentia, qui in summa simplicitate omnimodas perfectiones possidet; et ex altera, limitata virtus intellectus viatoris, qui unico et adæquato conceptu tantam perfectionum congeriem cognoscere nequit, idcirco beati, qui Deum facie ad faciem contemplantur, unico conceptu Dei essentiam, attributa et relationes vident; unde inter illa distinctionem rationis non efformant.

CAPUT III.

DE ATTRIBUTIS DEI IN SPECIE.

Doctor Angelicus octo enumerat et describit divina attributa, scilicet: 1. simplicitatem; 2. perfectionem; 3. bonitatem; 4. infinitatem; 5. immensitatem; 6. immutabilitatem; 7. æternitatem; 8. unitatem. De his igitur divinis proprietatibus in totidem articulis disserendum est.

ARTICULUS I.

DE SIMPLICITATE DEI.

417. — Simplicitas est negatio compositionis; compositio est unio distinctorum, quæ adunantur ad aliquod unum constituendum.

Triplex assignatur compositio: physica, metaphysica, et logica. Compositio *physica* ea est, quæ partibus physicis realiter distinctis constat; tales sunt: compositio ex materia et forma, compositio ex partibus quantitativis aut integrantibus, et compositio ex subjecto et accidente. — Compositio *metaphysica* ea est, quæ constat partibus metaphysicis; hujusmodi sunt: compositio ex actu et potentia, compositio ex essentia et existentia, compositio ex natura et personalitate. — Compositio logica ea est, quæ fit ex genere et differentia.

Dei simplicitatem imprimis impugnaverunt Anthropomorphitæ, qui Deum corporeum dixerunt; et Pantheistæ, qui omnia Deum esse contendunt.

Agendum est igitur 1. de simplicitate Dei in genere; 2. de pantheismo.

§ 1. *De Simplicitate Dei in genere.*

418. — **Prop. I.** *Deus est omnino simplex*[1].

De fide, ex Conc. Later. IV, cap. *Firmiter:* « Una est Dei essentia, substantia seu natura *simplex omnino.* » — Et ex Vatic., Const. *Dei Filius,* cap. 1: « Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum, verum et vivum... qui cum sit una singularis, *simplex omnino* et incommutabilis substantia spiritualis, prædicandus est re et essentia a mundo distinctus. »

Prob. I. **Ex Traditione.** Ait *S. Basilius:* « Deus est penitus liber ab omni compositione. » *(Cont. Eunom., l. I).* — *S. Cyrill. Alex.:* « Nulla fit duplicitas et compositio in natura divina, quæ simplicitatem tanquam proprium bonum summamque perfectionem obtinet. » *(In Joan., l. II).*

II. **Ex Ratione.** 1. « Omne compositum, *ait S. Th.,* est posterius suis componentibus, et dependens ex eis. Deus autem est primum ens. » *(Q. III, a. 7).* Deus ergo nequit esse compositus.

[1] Cf. S. Th., P. I, q. III, a. 7; *Cont. Gent.,* l. I, c. 18; *De Potent.,* q. VII, a. 1; Aguirre, T. I, disp. 28 et seq.

2. « Omne compositum, *addit Angelicus*, causam habet. Quæ enim secundum se diversa sunt, non conveniunt in aliquod unum, nisi per aliquam causam adunantem ipsa. Deus autem non habet causam, cum sit prima causa efficiens. » *(loc. cit.).*

3. Illud ens est omnino simplex, in quo nec physica, nec metaphysica, nec logica invenitur compositio. Atqui ex his compositionibus nulla in Deo invenitur. Ergo Deus est omnino simplex. — *Minor ex sequentibus propositionibus constat.*

419. — Prop. II. *In Deo nulla est compositio physica.*

Prob. Compositio physica in illis solum deprehenditur, quæ vel partibus constant, et corporea sunt, vel in quibus adest accidens a subjecto realiter distinctum. Atqui Deus nec est corpus, nec in eo accidens a subjecto realiter distinctum reperitur.

1. *Non est corpus*, teste Scriptura (Joan., IV, 24): *Spiritus est Deus.* Sed, (Luc, ult., 39): *Spiritus carnem et ossa non habet.* — Et *S. Augustinus* ait: « Cogitatio quippe turpiter vana est, quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circumscribi atque finiri. » *(De Trinit., l. XII, c. 7).*

Scholium: Illi igitur Scripturæ textus, in quibus Deo membra corporea, vel corporis proprietates assignantur, non sensu litterali sed metaphorico sunt accipiendi, in quantum scilicet per ista corporalia nobis spiritualia Dei attributa manifestantur. *(Cf. S. Th. P. I, q. III, a. 1.).*

2. *Nec in Deo reperitur accidens ab essentia realiter distinctum*, teste *S. August.*, qui ait: « Ratio adstruit nihil Deo accidentale esse, sed totum, quod prædicatur de eo, esse essentiale. » *(De cognitione veræ vitæ, c. 3).* Etenim, ut *ait S. Th. (Cont. Gent., l. I, c. 23)*: « Omne subjectum accidentis comparatur ad ipsum, ut potentia ad actum, eo quod accidens quædam forma est faciens esse actu secundum esse accidentale ». « Unde cum Deus sit actus purus, absque alicujus potentiæ permixtione, non potest esse accidentis subjectum. »

(De Potent., q. VII, a. 4). — Corroboratur denique hæc assertio ex iis omnibus, quæ n. 414 de reali identitate attributorum cum divina essentia prolata sunt.

Coroll. In Deo igitur non solum attributa cum essentia identificantur, sed potentiæ, id est, intellectus et voluntas, et harum potentiarum operationes, intellectiones scilicet et volitiones, sunt realiter quid unum et idem cum substantia Dei; ita ut Deus, sicut est esse subsistens, sit etiam ipsum agere subsistens.

420. — Prop. III. *In Deo nulla est compositio metaphysica.*

Prob. Compositum metaphysicum constat, vel ex actu et potentia: vel ex natura et personalitate, vel ex essentia et existentia. Atqui Deus constat neque actu et potentia, neque natura et personalitate, neque essentia et existentia.

I. *In Deo non est compositio ex potentia et actu:* Deus est ens necessarium, vi suæ naturæ existens. Quod autem vi suæ naturæ existit, non potest non existere. In Deo igitur nulla potentia, cui actus accedere possit, excogitari potest, nec consequenter ulla in Eo reperiri potest compositio ex actu et potentia.

II. *In Deo non est compositio ex natura et personalitate* [1].

Enuntiata propositio significat, Deum concrete sumptum, seu suppositum divinum, non esse a deitate distinctum, sed ipsum esse deitatem. Deus igitur personaliter et concrete sumptus, est sua deitas, sua essentia, sua natura; neque deitati seu naturæ divinæ advenit supposititalitas seu subsistentia, quæ deitatem individuet, eique singularem et incommunicabilem subsistentiam tribuat: sed ipsa deitas formaliter sumpta est ipse Deus concrete sumptus.

De fide, contra Gilbertum Porretanum, qui docuit *Deitatem non esse Deum*, sed *qua Deus est;* sicut *humanitas non est hic homo Socrates*, sed *qua Socrates est homo; ex Concil. Rhem.:* « Credimus et confitemur, simplicem naturam divini-

[1] Cf. S. Th., P. I, q. III, a. 3; Gotti, q. III, D. II, § 2.

tatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus, et Deus divinitas ».

Prob. I. **Ex Traditione.** Ait *S. Cyrill. Alex.:* « Non est aliud natura Dei, et aliud ipse Deus. » *(De Trinit., dial. 2).* — Et *S. Thomas:* « De Deo dicitur, inquit, quod est vita, et non solum quod est vivens, ut patet (Joan. XIV, 6): *Ego sum via, veritas et vita.* Sicut autem se habet vita ad viventem, ita deitas ad Deum. Ergo Deus est ipsa Deitas. » *(Q. III, a. 3).*

II. **Ex Ratione,** quam affert S. Bernardus *(Serm. 80. in Cant.):* Deitas, aut Deus est, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Atqui non potest esse nihil, cum sit natura divina, qua est Deus, et sine qua non esset Deus. Sed nec dici potest, quod sit aliquid, quod non est Deus; quia vel esset minor Deo, vel major, vel par. Non potest esse minor Deo, quia est id, quo Deus est, et proinde infinitum, sicut Deus. Non potest esse major; alias esset summum bonum, et non esset Deus. Nec potest esse par; alias duo essent summa bona, et non unum, quod est impossibile. Relinquitur ergo, quod Deus proprie sit ipsa Deitas et Deitas ipse Deus. *(Cf. Gotti, q. III, dub. 2, n. 9).*

III. *In Deo non datur compositio ex essentia et existentia.* Id est, Deus non indiget, sicut creatura, ut existentia superaddatur essentiæ ad hoc, ut realiter existat; sed ipsa ejus essentia est ipsa existentia. Deus igitur, quemadmodum est sua natura, sua Deitas, ita est etiam ipsum suum esse, suum existere.

Prob. 1. **Ex Traditione.** « Esse, *ait S. Hilarius,* non est accidens in Deo, sed subsistens veritas. » *(De Trinit., l. VII).*

2. **Ex Ratione.** *a)* Quidquid est in aliquo, quod est præter ejus essentiam, oportet esse causatum vel ab ipsa essentia, vel ab aliquo diverso. Atqui *esse* seu *existentia* in Deo, causari potest nec ab ipsa essentia, secus enim res non existens sibi existentiam elargiretur, quod repugnat; nec ab aliquo exteriori, quia Deus est prima causa efficiens. Necesse est igitur ut divina essentia sit sua existentia.

b) Cum *esse* sit actualitas formæ vel naturæ, ideo in iis, quorum essentia non est suum esse, esse se habet ad essentiam sicut actus ad potentiam. Atqui in Deo, qui est actus purus, nulla est potentialitas. Ergo in Eo essentia non est aliud ab existentia. Sua igitur essentia est suum esse. *(S. Th., q. III, a. 4).*

421. — Corollarium. Quia Dei essentia est suum esse, suum existere, propterea modus perfectissimus Deum concipiendi est Eum concipere tanquam *ipsum esse abstractum,* per modum formæ abstractæ, sed tamen realiter subsistens. « Deus, *ait S. Thomas,* est ipsum esse abstractum, cum sit suum esse. » *(Cont. Gent. l. I, c. 42, n. 13).* — Quum τὸ *esse* ad omne, quod quocumque modo est, extendatur, et cum quilibet defectus nihil aliud sit quam absentia τοῦ esse, eo ipso quod Deus dicitur esse *ipsum esse subsistens,* omnis perfectio ac nobilitas ipsi attribuuntur, atque omnis defectus ab eo removetur. *(Cf. Cont. Gent. I, c. 28, n. 1).*

422. — Prop. IV. *In Deo non datur compositio logica ex genere et differentia,* seu quod idem est, *Deus non est in aliquo genere* [1].

NB. 1. Istæ duæ propositiones sunt identicæ; etenim, esse in genere, est constituere speciem, cum genus dividatur in species. Species autem per hoc constituitur, quod differentia specifica generi adjungitur. Proinde, componi ex genere et differentia, idem est ac esse in genere.

2. Significat propositio, non tantum in Deo, utpote ente simplicissimo, non esse realiter aliquod elementum, quod per modum generis, et aliud, quod per modum speciei se habeat, sicut in creaturis accidit; sed etiam in ordine logico nihil in Deo concipi, quod per modum generis *univoce* de Deo et de creaturis prædicetur.

Prob. 1. **Ex Traditione.** *Ait S. Cyrill. Alex.:* « Genus in Deo ullum nominare, alienum a recta ratione est.... Omnino sub genere et specifica differentia divinitas non est. » *(De Trinit. dial. 2 et 3).* — Et *S. August.:* « Decem prædicamentis cunctam humanam conditionem includi, et ab his omnibus proprietatem summæ Essentiæ evidenti ratione excludi. » *(De cognit. veræ vitæ, c. 3).*

[1] Cf. S. Th., P. I, q. III, a. 5; *De Potent.* q. VII, a. 3; Aguirre tom. I, Disp. 30; Wenzl, *De Deo,* Controv. III, q. I, n. 20 (p. 219).

II. **Ex Ratione.** In iis, quæ ex genere et differentia constituuntur, pars quædam invenitur (scil. genus), quæ ad alteram (scilicet ad differentiam specificam) se habet tanquam potentia ad actum; sic, v. gr., in homine, animalitas, quæ est genus, rationabilitate, quæ est differentia, perficitur. Atqui in Deo nulla est potentialitas. Ergo in eo nulla est compositio ex genere et differentia.

III. « Cum esse Dei, *ait S. Th.*, sit ejus essentia, si Deus esset in aliquo genere, oporteret quod genus ejus esset ens. Nam genus significat essentiam rei, cum prædicetur in eo quod quid est. Ostendit autem Philosophus quod ens non potest esse genus alicujus. Omne enim genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis. Nulla autem differentia potest inveniri quæ esset extra ens: quia non ens non potest esse differentia. Unde relinquitur quod Deus non sit in genere. » *(Q. III, a. 5).*

423. — Corollaria. *Ex dictis deduces:*

I. Nullam de Deo definitionem proprie dictam dari posse, quippe quæ ex genere et differentia specifica constare debeat. « Porro summus Spiritus, *inquit S. August.*, sicut a nullo intellectu valet proprie cogitari, ita nulla definitione poterit proprie definiri. » *(De cogn. veræ vitæ, c. 7).*

II. Nullum nomen posse *univoce* de Deo et de creaturis prædicari; ratio est, quia Deus cum nulla creatura in ratione generis convenit. Sic, v. gr., sapientia aliter de Deo, et aliter de homine affirmatur. *(Q. XIII, a. 5).*

III. Omnia, quæ concipimus, posse de Deo negari; ratio est quia Deus non est in aliquo genere, sed supra omne genus creatum et creabile. « Nihil eorum quæ sunt, *ait S. Dionys.*, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud, omnem rationem et intellectum superans, superdeitatis superessentialiter supra omnia superexistentis. » *(De div. nom. c. 13).* Qua de causa idem S. Dionys., *(cap. ult. de Myst. theol.)*, dicit Deum esse: « non substantiam, non vitam, non lucem, non sensum, non mentem, non sapientiam, non bonitatem, non Deitatem, sed quiddam his omnibus eminentius et præstantius. » Et ratio est quia omnia ista, quatenus menti creatæ sunt comprehensibilia et nominabilia, habent conceptus objectivos limitatos in ratione entis.

IV. Quæ in hoc articulo dicta sunt, compendiose sed pulcherrime a S. Bernardo exponuntur: « Sola summa et increata natura, ait, quæ est Trinitas Deus, hanc sibi vindicat meram singularemque

suæ essentiæ simplicitatem, ut non aliud et aliud, non alibi quoque et alibi, sed ne modo quidem, et modo inveniatur in ea. Nempe in semet manens quod habet, est; et quod est, semper et uno modo est. In ea et multa in unum, et diversa in idem rediguntur, ut nec numerositate rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat. Loca omnia continet, et quæque suis ordinat locis, nusquam contenta locorum. Tempora sub ea transeunt, non ei. Futura non exspectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur.» *(Serm. 8 in Cant.)*

§ 2. *De Pantheismo*[1].

424. — Dei simplicitati imprimis refragatur pantheismus. Pantheismus, ut nomen indicat, est doctrina quæ docet omnia esse Deum, et Deum esse omnia, ita ut unica sit Dei rerumque mundanarum omnium substantia. Quæ doctrina a Concilio Vatic., Const. *Dei Filius*, can. 3, condemnata est: «Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam, anathema sit.»

Pantheismus apud veteres Indos, Ægyptios et Persas ortum habuit; posterius, medio ævo, Scotum Erigenam et Davidem a Dinanto, et postea Brunonem Jordanem propugnatores sortitus est. Quorum vestigiis insistens sæculo XVII, pantheisticam doctrinam resuscitavit Spinosa, quem moderni pantheistæ pro patre venerantur; denique superiori sæculo exeunte, et ineunte sæculo XIX, philosophi germani, Kant, Schelling, Fichte et Hegel, ideas pantheisticas majori præ cæteris pertinacia foverunt.

Pantheistarum omnium unum est dogma fundamentale, scilicet unam et identicam esse Dei rerumque omnium substantiam. Ad hanc tamen substantiæ identitatem explicandam, alii alias ingressi sunt vias: inde multiplices pantheismi formæ, quæ, *teste Vaticano, can. 4*, ad tres classes referri possunt: «Si quis dixerit, *ait Vatic.*, res finitas, tum corporeas, tum spirituales, aut saltem spirituales a divina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, anathema sit.»

Prima classis, quæ *emanatismus* vocatur, docet, res a Deo non creatione, sed emanatione, seu effluentia quadam e divina substantia, productas esse, ita ut quælibet res mundana, licet a Deo distincta, aliquid sit de divina substantia, sicut v. gr. semen emanat ab arbore,

[1] Cf. Egger, *Enchiridion*. Tr. I, sect. I, c. 2, a. 1; Katschthaler, *Theol.* P. I, sect. I, c. 3, a. 3.

e cujus substantia deciditur. Cui classi veteres pantheistæ adnumerantur.

Secunda classis, quæ *pantheismus ontologicus* nuncupari potest. eos complectitur, qui docent « divinam essentiam sui manifestatione seu evolutione fieri omnia. » Hanc doctrinam tenet Spinosa [1], qui unicam admittit substantiam, divinam scilicet, quæ cogitatione simul et extensione prædita est. Hæc substantia necessitate quadam intrinseca continuo sese evolvit, et novas ad intra producit formas, seu sese continuo *modificat,* et modificando sese manifestat. Spiritus angelici et animæ non sunt nisi manifestationes seu modificationes illius divinæ substantiæ quatenus est cogitans; et corpora, modificationes ejusdem substantiæ quatenus est extensa.

Tertia classis, cui *pantheismus idealisticus* nomen est. docet « Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando, constituat rerum universitatem in genera, species et individua. » Quam doctrinam tuentur pantheistæ Germaniæ. Hi Deum concipiunt ut esse purum, absolutum, impersonale, abstractum, indeterminatum, de quo nihil affirmari, nihil negari possit. Hoc esse abstractum et absolutum necessitate quadam intrinseca se determinat et limitat, formando de se ideas; et determinando se ac limitando contrahitur in genera, species et individua, quæ rerum universitatem componunt: non secus ac idea entis universalissima et indefinita per successivas differentiarum additiones, ad genera, species et individua contrahitur. Unde, sicut quævis idea particularis nihil est aliud, quam idea entis certo modo determinati, ita omnia entia hujus universi nihil aliud sunt, quam ens universale et abstractum certo quodam modo determinatum.

425. — Prop. *Pantheismus, quomodocumque explicetur, tanquam absurdus et impius est rejiciendus.*

De fide, ex Vaticano supra citato.

Prob. I. Pantheismus *contradicit Scripturæ.* Sacra Scriptura Deum exhibet ut ens perfectissimum, æternum, omnipotens, omnino simplex, etc.; Deum refert omnia ex nihilo producentem: quæ omnia pantheismo ex adverso opponuntur.

II. *Contradicit traditioni.* Tota Ecclesia, tam ante quam post Christum natum, Deum confessa est ut ens personale, perfectissimum, liberrimum, a mundo omnino distinctum. Agnovit vero semper mundum liberrima Dei voluntate e nihilo fuisse productum, non autem ex ipsa Dei substantia emanasse, aut modificationem esse unius divinæ substantiæ. — Præterea, Sancti Patres, idololatriam ut evellerent, semper nisi sunt; atvero, si omnia Deus essent, creaturæ utique adorari possent.

[1] Cf. S. Alph. *Ver. fid.* P. I, c. VI, § 5 *Brevis dissert. contra Mater.* P. I, c. II.

III. *Contradicit rationi. a)* Affirmat pantheismus unicam esse substantiam. At experientia constat multas substantias ab invicem diversas, imo et sæpe oppositas, existere. — *b)* Affirmat pantheismus Deum esse immutabilem, infinitum, perfectissimum; mundum vero esse mutabilem, finitum, imperfectum; ergo eadem substantia immutabilis simul et mutabilis, infinita et finita, perfectissima et imperfecta foret. — *c)* Adstruit Spinosa substantiam cogitantem simul et extensam: ast hæc duo attributa in eadem inesse substantia repugnat.

IV. *Nefaria inducit consectaria. a) Negat Dei existentiam.* Si mundus, qui multis scatet imperfectionibus, Deus est, tunc Deus ipse imperfectus est; sed Deus imperfectus, Deus non est. – Præterea, qui dicit omnia esse Deum, ille dicit mundum a se habere existentiam, et præter ipsum nihil aliud esse.

b) Libertatem atque actuum imputabilitatem tollit. Secundum pantheistas, quidquid evenit, etiam actus humani, id omne illius unicæ substantiæ, quam Deum esse ponunt, modificatio est. Sed divinæ substantiæ modificationes ex intrinseca quadam necessitate procedunt, ergo et actus humani ab intrinseca necessitate proveniunt. — Præterea, ubi unica est substantia, ibi unicum est principium operans. Dicere igitur unicam esse et omnium rerum et ipsius Dei substantiam, idem est ac affirmare solum Deum esse, qui in creaturis tanquam per instrumenta operetur, quod et humanam libertatem et actuum imputabilitatem tollit.

c) Omnem everti religionem. Cujuslibet religionis fundamentum est agnitio entis superioris, cui nos, ob nostram ab eo dependentiam, cultum et honorem deferre tenemur. Sed si homo est ejusdem substantiæ cum Deo, ejusdem est etiam dignitatis; unde et nullum ens superius, cui cultum et honorem exhibeat, agnoscere tenetur.

d) Omnem pessumdat moralitatem. Si hominis et Dei unica est substantia, homo sibi est suprema regula boni et mali, veri et falsi; et quidquid ei placet, sanctum erit et honestum.

Ex his omnibus clare manifestatur absurdissimum et impiissimum esse pantheistarum systema, et merito a Vaticano proscriptum ac condemnatum fuisse.

ARTICULUS II.

DE PERFECTIONE DEI [1].

426. — Prænotanda. I. — Perfectum, vi nominis, significat *totaliter factum*, quo sensu Deus perfectus dici nequit. « Per

[1] Cf. S. Th., q. IV; *Cont. Gent.*, l. I, c. 28; *Isamb.*, q. IV; *Gabriel a S. Vincentio*, disp. IV; Gotti, *De Deo*, q. III, dub. 4.

quamdam autem nominis extensionem, *inquit S. Thomas*, perfectum dicitur non solum quod fiendo pervenit ad actum completum, sed id etiam quod est in actu completo absque omni factione. Et sic Deum perfectum esse dicimus.» *(Cont. Gent. l. I, c. 28)*. Illud igitur dicitur esse perfectum, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis; id est, illud quod omnia, quæ propriæ suæ naturæ debentur et conveniunt, actu possidet. Deum igitur esse perfectum hoc significat, videlicet: *omnem perfectionem omnemque nobilitatem, quæ divinæ naturæ convenire possunt, in Deo actualiter et realiter existere.*

II. Perfectio in genere definiri potest: *entitas conveniens naturæ rei* (Polm.).

1. Perfectiones dantur duplicis generis, nimirum: perfectiones simpliciter simplices, et perfectiones simplices, seu secundum quid.

Perfectio *simpliciter simplex*, secundum S. Anselmum *(Monolog., c. 14)* est ea: *Quæ in unoquoque melior est ipsa quam non ipsa;* seu ut doctores aiunt: quæ in suo conceptu formali nullam includit imperfectionem, nec aliam majorem vel æqualem perfectionem ab eodem ente excludit; ut, v. gr., sapientia, intellectio, vita.

Perfectio *secundum quid* ea est, quæ in formali sua ratione aliquam imperfectionem continet, et majorem vel æqualem perfectionem ab eodem subjecto excludit, ut, v. g., ratio in homine, extensio in corpore.

2. Unum in alio tripliciter contineri potest, videlicet: formaliter, eminenter, et virtualiter.

Formaliter aliquid in alio continetur, quando in eo inest secundum totum illud, quod est de ejus essentia et formali ratione, ut, v. gr., rationabilitas in homine, calor in igne. — *Eminenter* aliquid in alio continetur, quando in eo inest secundum esse quoddam elevatum, et secundum formam aliquam perfectiorem propria forma ipsius contenti; quæ forma superior totum illud, quod præstat contentum, nobiliori quodam modo præstare potest: sic, v. g. anima sensitiva emi-

nenter in anima intellectiva includitur. — *Virtualiter* aliquid in alio continetur, quando ab eo produci potest; sic, v. g., planta virtualiter continetur in semine.

427. — Prob. I. *Deus est summe perfectus.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis; et ex Vatic. Const. *Dei Filius*, cap. 1. « Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum, verum et vivum... intellectu et voluntate omnique perfectione infinitum. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Matth. V, 48): *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est;* id est, juxta interpretationem Concil. Later. sub Innocentio III: « Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cœlestis perfectus est perfectione naturæ. »

II. **Ex Traditione.** Deus, inquit *S. Joan. Damasc.*: « totum esse velut immensum quoddam ac nullis terminis definitum essentiæ pelagus complexu suo ipse continet. » *(De fide orth., l. I, c. 9).* — Et *S. Hilarius*: « Hæc Dei prima et præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suæ habeat et laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur; ...finem magnificentia ipsius nescit, et aliquam enuctiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur. » *(In Ps. 144, n. 6).*

III. **Ex Ratione.** 1. « Unumquodque perfectum est, *ait S. Th.*, in quantum est actu: imperfectum autem, secundum quod est in potentia, cum privatione actus. Id igitur, quod nullo modo est in potentia, sed est actus purus, oportet perfectissimum esse. Tale autem est Deus: igitur est perfectissimus. » *(Cont. Gent. l. I, c. 28).*

2. Illi, qui est suum esse, et cui necessario et independenter ab omni alio tota competit essendi plenitudo, nihil de his, quæ habent rationem essendi, deesse potest. Atqui omnis perfectio ad rationem essendi pertinet. Deo igitur, qui est suum esse, et vi suæ naturæ existit, nulla perfectio deesse potest. Ipse ergo est summe et universaliter perfectus.

428. — **Prop. II.** *In Deo sunt omnium rerum perfectiones : perfectiones simpliciter simplices in eo sunt* FORMALITER *; perfectiones vero secundum quid,* EMINENTER. — Certa.

PROB. I PARS: *In Deo sunt perfectiones omnium rerum.*

I. **Ex Script. S.** S. Scriptura omnium rerum perfectiones Deo adscribit. Legimus (Sap. XIII, 3-5): *Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est... Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt. intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis.*— (Ps. XLIX, 11): *Pulchritudo agri mecum est.* — (Ps. XCIII, 9): *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* — (Prov. VIII, 14-18): *Meum est consilium, et æquitas; mea est prudentia, mea est fortitudo... Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia.*

II. **Ex Traditione.** « Quid enim, *ait S. August.*, cum illo non est? Cum illo ager, cum illo species terræ, cum illo species cœli, cum illo omnia volatilia, quia ipse omnia. » *(In Ps. XLIX)* — Et *S. Gregor. Naz.* canit:

> « In te omnia permanent, ad te confestim festinant omnia :
> Tu omnium finis, tu unus, et omnia, et nihil rerum,
> Cum neque unum sis, neque omnia, quem te appellem,
> Qui solus innominabilis, et omninomius? »[1].

III. **Ex Ratione.** 1. « Quidquid perfectionis est in effectu. *ait S. Th.*, oportet inveniri in causa effectiva vel secundum eamdem rationem, si sit agens univocum, ut homo generat hominem; vel eminentiori modo, si sit agens æquivocum, sicut in sole est similitudo eorum quæ generantur per virtutem solis. Manifestum est enim quod effectus præexistit virtute in causa agente..... Cum ergo Deus sit prima causa effectiva rerum, oportet omnium rerum perfectiones præexistere in Deo secundum eminentiorem modum. » *(Q. IV, a. 2).*

2. « Deus, *ait iterum S. Th.*, est ipsum esse per se subsistens; ex quo oportet quod totam perfectionem essendi in se contineat.... Omnium autem perfectiones pertinent ad per-

[1] Apud Less., *De perf. div.*, l. I, c. 1, n. 5.

fectionem essendi. Secundum hoc enim aliqua perfecta sunt quod aliquo modo esse habent. Unde sequitur quod nullius rei perfectio Deo desit.» (*Loc. cit.*).

Prob. II Pars: *Perfectiones simpliciter simplices in Deo sunt formaliter* [1].

I. **Ex Script. S.** In sacris litteris bonitas, veritas, justitia, intellectio, sapientia, multæque aliæ perfectiones simpliciter simplices de Deo prædicantur. Atqui, testibus Patribus et Concilio Rhemensi sub Eugenio III, ista non metaphorice, sed proprie, secundum conceptum suum formale, de Deo prædicantur. Ergo istæ perfectiones sunt in Deo formaliter: nam prædicari sequitur esse, et modus prædicandi sequitur modum essendi [2].

II. **Ex Ratione:** Deus est summe et infinite perfectus. Quidquid igitur nullam in se involvit imperfectionem, Deo est formaliter attribuendum. Sed hujusmodi sunt perfectiones simpliciter simplices. Ergo.

Scholium. Licet eæ perfectiones sint in Deo formaliter, in eo tamen altiori et eminentiori modo, quam in creaturis, inveniuntur. In creaturis enim sunt accidentia, et finitum atque limitatum essendi modum habent. In Deo vero sunt divina substantia, et modum habent essendi infinitum et illimitatum. «In Deo, *ait S. Thomas*, præeminenter existit quidquid perfectionis in creaturis est. Et hæc eminentia attenditur quantum ad tria: scilicet quantum ad universalitatem, quia in Deo sunt omnes perfectiones admatæ, quæ non congregantur in aliqua una creatura. Item quantum ad plenitudinem, quia est ibi sapientia sine omni defectu, et similiter de aliis attributis, quod non est in creaturis. Et iterum quantum ad unitatem, quæ enim in creaturis diversa sunt, in Deo sunt unum.» (*I Sent., D. II, q. II, a. 3*).

Prob. III Pars: *Perfectiones secundum quid sunt in Deo non formaliter, sed eminenter.*

Perfectiones *secundum quid* in suo conceptu formali inseparabiliter et necessario aliquam involvunt imperfectionem, sicut, v. gr., de rationalitate vel extensione constat. Cum autem, ex una parte, nulla imperfectio in Deo existere possit, et ex altera, in Eo, tanquam in causa, omnium rerum perfectiones

[1] Cf. Lessius, *De Perf. div.*, l. I, c. 4. — [2] Cf. Gonet, *Clyp.* De Deo, Dist IV, a. 2, § 2; et Isamb., q. IV, a. 3.

præexistant, ideireo fatendum est, eas perfectiones, quæ vel minimam includant imperfectionem, in Deo non formaliter, sed eminenter existere.

Præterea, aliqua res in alia eminenter existere dicitur, quando est in ea secundum formam aliquam propria sua forma nobiliorem, et quando continens omnes alterius rei effectus nobiliori modo causare potest. Sic, v. gr., anima sensitiva eminenter in anima rationali hominis contineri dicitur, quia ipsa est in homine secundum formam nobiliorem, et anima rationalis causat in homine omnes effectus, quos in brutis animalibus causat anima sensitiva. Atqui omnes et singulæ omnium creaturarum perfectiones *secundum quid* sunt in Deo per formam nobiliorem, quia sunt ipsa Dei essentia, quæ earum omnium effectus producere potest.

ARTICULUS III.

DE BONITATE DEI [1].

429. — Bonum dicitur tripliciter, videlicet: absolute seu fundamendaliter, respective, et moraliter.

Absolute bonum dicitur ens, cui nihil ex iis deest, quæ ad ejus perfectionem et integritatem requiruntur. « Unumquodque, *ait S. Th.*, dicitur bonum, in quantum est perfectum: sic enim est appetibile, » *(q. V, a. 5)*. Bonum absolute dicitur etiam bonum *fundamentaliter*, quia unumquodque, in quantum est perfectum, potest alia perficere, et ideo ab illis appetitur: « unumquodque appetitur secundum quod est perfectum », *inquit S. Th. (q. V, a. 1)*.

Bonum respective sumptum consistit in convenientia cum appetitu, ex qua oritur appetibilitas. « Ratio boni, *ait S. Th.*, consistit in hoc, quod aliquid sit appetibile. » *(q. V, a. 1)*. Et « bonum non addit aliquod supra ens nisi tantum rationem appetibilis. » *(Q. V, a. 3, ad 1)*.

[1] Cf. S. Th., I, q. VI; Gonet, *Clyp.*, disp. IV, a. 3. (p. 166); Gotti, q. IV, dub. 2, § 2; Aguirre, t. I, disp. 39.

Bonum moraliter sumptum in morali perfectione et rectitudine, seu in conformitate cum recta ratione, consistit.

Ad rationem boni illud etiam requiritur, ut videlicet sit sui diffusivum, necnon et alterius perfectivum, sive per modum causæ efficientis, communicando aliis esse et bonitatem, sive per modum causæ finalis, attrahendo appetitum eumque satiando et quietando.

430. — **Prop.** *Deus est summe bonus bonitate tum absoluta, tum respectiva, tum morali.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis: legimus (Ps. CV, 1): *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Et (Ps. LXXII, 1): *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde.* (Thren. III, 25): *Bonus est Dominus sperantibus in eum.* — (Exod. XV, 11), Deus dicitur: *magnificus in sanctitate.* (Is. VI, 3): *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.*

Prob. I Pars: 1. *Bonitas absoluta* in intrinseca rei perfectione consistit. Atqui Deus est summe et essentialiter perfectus. Ergo.

2. Illud est summe bonum bonitate absoluta, quod tam efficienter quam finaliter est suæ perfectionis summe diffusivum. Atqui Deus est cum efficienter tum finaliter sui boni summe diffusivus: *efficienter*, quidem, quia omnis creaturarum perfectio a Deo, tanquam a causa, procedit: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*, (Ps. CIII, 28): *finaliter* vero, quia Deus est finis, ad quem omnia tendunt, et in quo obtento omnia u'timatim quiescunt.

Prob. II Pars: *Bonitas respectiva* consistit in convenientia cum appetitu, ex qua resultant amabilitas et appetibilitas. Atqui Deus, utpote omnium causa et omnium finis, est bonum omnibus conveniens. Ergo Deus est bonus bonitate respectiva.

Prob. minor: « Bonum esse præcipue Deo convenit, *ait S. Th.* Bonum enim aliquid est secundum quod est appetibile; unumquodque autem appetit suam perfectionem; perfectio autem et forma effectus est quædam similitudo agentis, cum omne agens agat sibi simile: unde ipsum agens est ap-

petibile, et habet rationem boni: hoc enim est quod de ipso appetitur, ut ejus similitudo participetur. Cum ergo Deus sit prima causa effectiva omnium, manifestum est quod ei competit ratio boni et appetibilis. » *(Q. VI, a. 1).* — Præterea, *ut addit S. Doctor, (I, q. XLIV, a. 4, ad 3):* « Omnia appetunt Deum ut finem, appetendo quodcumque bonum.... quia nihil habet rationem boni et appetibilis, nisi secundum quod participat Dei similitudinem. »

Prob. III Pars: *Bonitas moralis* nihil aliud est, quam perfecta sanctitas; sed in Deo est sanctitas perfectissima; ergo et bonitas moralis.

Prob. minor: Sanctitas tria importat, nimirum: 1. perfectam ab omni peccato munditiam; unde et sanctitas communiter dicitur: *ab omni labe intemerata puritas;* 2. stabilem in bono firmitatem; sanctum enim dicitur quasi lege sancitum, ut violari nequeat; 3. summam conjunctionem et applicationem ad res divinas. *(Cf. S. Th. II. II. q. LXXXI. a. 8).* Atqui hæc tria in Deo eximie reperiuntur. Deus enim: 1. est purissimus actus immaterialis, et Spiritus mundissimus; 2. est in suis decretis firmissimus, et immutabilis in ratione boni; 3. est sibi addictissimus, et voluntati suæ, tanquam primæ totius sanctitatis regulæ, a qua nunquam deflectere potest, immobiliter adhærens. Ergo in Deo est perfecta bonitas moralis.

ARTICULUS IV.

DE INFINITATE DEI [1].

431. — « Infinitum dicitur aliquid ex eo quod non est finitum » *S. Th. (q. VII, a. 1):* seu ex eo quod terminis caret. Infinitum sequitur quantitatem: cum autem in Deo non alia, nisi spiritualis, agnoscenda sit quantitas, ideirco quærere an Deus sit infinitus, idem est ac quærere an tanta sint naturæ divinæ bonitas atque perfectio, ut nullus terminus ei assignari

[1] Cf. S. Th., *Cont. Gent.*, l. I, c. 43; *De Potent.*, q. I, a. 2; Aguirre, t. I, disp. 32.

possit: « In his enim, *ait S. August.*, quæ non mole magna sunt, idem est majus esse quam melius esse. » (*De Trinit.*, l. VI, c. 8).

432. — Prop. *Deus est infinitus.*

De fide, ex Later. IV, Cap. *Firmiter*, et ex Vatic., Const. *Dei Filius*, c. 1, « Deum esse intellectu, voluntate, omnique perfectione infinitum. »

Prob. I. **Ex Script. S.** De Deo legimus (Baruch, III, 25): *Magnus est, et non habet finem; excelsus, et immensus.* — (Ps. CXLIV, 3): *Magnus Dominus, et laudabilis nimis; et magnitudinis ejus non est finis.*

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Augustinus:* « Sicut corde credo ad justitiam, ita ore confiteor ad salutem, te unum Deum in magnitudine infinitum. » *(L. de Speculo, c. 33).* Et *S. Greg. Naz.* Deum appellat: « pelagus quoddam essentiæ immensum, et interminum. » *(Or. 2, in Pascha).*

III. **Ex Ratione.** 1. Omne quod terminis coarctatur, limitationem habet, aut a causa extrinseca effectrice, quæ majorem ei perfectionis gradum elargiri vel noluit, vel non potuit, sicut, v. gr., patet de perfectione alicujus statuæ; aut a causa intrinseca, scilicet quia forma recipitur in materia, quæ eam limitat. Atqui Deus utroque limitativo caret: Ipse enim est ens a se: ergo causam efficientem extrinsecam, quæ ejus perfectioni limites assignare potuerit, non habet; Ipse etiam est το esse subsistens et irreceptum; quamobrem limitativo etiam intrinseco caret. Ergo Deus est absque ullis terminis, seu est infinitus.

2. Virtus operativa infinita infinitam necessario præsupponit essentiam: operari enim sequitur esse. Atqui in Deo est virtus operativa infinita: Deus enim est totius universi Creator; ad creationem autem, quæ est totius entis productio ex nihilo, infinita requiritur potentia, cum inter esse et non esse infinita intercedat distantia. Ergo et essentia Dei infinita sit, necesse est.

433. — Coroll. I. Infinitas Deo non solum quantum ad Essentiam, sed etiam quantum ad quodlibet attributum, convenit: quodlibet enim

attributum cum divina essentia realiter identificatur. *Magnus Dominus*, inquit Psalmista, (Ps. CXLVI, 5), *et magna virtus ejus, et Sapientiæ ejus non est numerus.* (Cf. S. Th. *De Pot.*, q. I, a. 2).

II. *Nulla creatura potest esse infinita.* Illud enim implicat contradictionem, videlicet: creaturam esse a se, aut esse ipsum esse subsistens. Et re quidem vera, de essentia creaturæ est, ut habeat esse receptum ab alio et in alio, ac proinde finitum. Omnis enim forma, quæ recipitur, est limitata tum intrinsece vel ex subjecto in quo recipitur, vel in ordine ad illud; tum extrinsece a causa, a qua producitur. Et licet existent aliquæ formæ creatæ per se subsistentes (cujusmodi sunt Angeli), quæ per receptionem in materia non limitantur, et ex hac parte *secundum quid* infinitæ dici possint, attamen « quia forma creata sic subsistens habet esse, et non est suum esse, necesse est quod ipsum ejus esse sit receptum, et contractum ad terminatam naturam. Unde non potest esse infinitum, simpliciter. » S. Th. *(I. q. VII, a. 2).*

ARTICULUS V.

DE IMMENSITATE DEI [1].

434. — Definitio. — Infinitatem sequitur immensitas, etenim: « *infinito convenire videtur quod ubique et in omnibus sit.* » ut ait S. Th. *(q. VIII, prol.).*

Immensitas definiri potest: *Illimitata diffusio divinæ substantiæ et aptitudo coexistendi infinitis rebus, locis et spatiis; nec contineri illis vel concludi.* (Polm.). — Immensitas accurate distingui debet ab ubiquitate, quæ est *actualis præsentia Dei in omnibus rebus et locis.* — Immensitas se habet *per modum aptitudinis*, et est attributum Dei æternum, absolutum, et necessarium; ubiquitas seu omnipræsentia se habet per *modum actus*, et est attributum Dei liberum, temporaneum et relativum, consequens factum creationis.

435. - Errores. — Circa Dei immensitatem erraverunt Idololatræ et Anthropomorphitæ; erraverunt etiam quidam ex philosophis paganis, qui Deo primum cœlum, vel partem orientalem cœli, tanquam sedem assignarunt, teste Job, XXII, 14: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat.* — Erraverunt etiam

[1] Cf. S. Th. I, q. VIII; Gotti, q. IV, dub. 4; Lessius, *De perf. div.*, l. II; Knoll, *De Deo*, P. I, sect. I, c. 3, a. 2.

quidam ex rudioribus Judæis qui, *ut refert S. Hieron., cap. 66 in Isaiam*, Deum sic in templo Jerosolymitano adesse existimaverunt, ut ab aliis mundi partibus abesset.

Veritas catholica. — Veritas autem catholica Deum in omni loco, et in omnibus rebus intime præsentem esse docet.

Aliquid tripliciter in loco esse potest, nimirum: *Circumscriptive*, quando pars locati est in parte loci, et totum in toto loco, contactu molis: quo modo corpora dicuntur esse in loco. — *Definitive*, contactu virtutis, quando res tota est in toto loco, et tota simul in qualibet parte loci, ita tamen ut non sit extra locum determinatum. Hujusmodi est præsentia animæ in corpore, et angelorum in sphæra activitatis suæ. — *Repletive*, quando aliquid sic est totum in toto loco, et totum in qualibet parte loci, ut sit tamen etiam totum extra hunc locum, et omnia loca et spatia adimpleat. Hocce modo Deum ubique præsentem esse dicimus.

436. — **Prop.** *Deus est immensus et omnibus rebus intime præsens.*

De fide, ex Symb. S. Athanasii: « Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus. » Et ex Conc. Vatic. Constit. *Dei Filius*, c. 1, ubi legimus: « Sancta... Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum.... æternum, immensum. »

Prob. I Pars: *Deus est immensus.*

I. **Ex Scrip. S.** Legimus de Deo (Baruch. III, 25): *Magnus est.... excelsus et immensus.* — (III Reg. VIII, 28): *Si enim cælum et cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi.* — Cf. Job. XI, 8. — Quibus verbis Dei immensitas manifeste significatur.

II. **Ex Traditione.** *Hermas* de Deo ait: « Ipse capax universorum solus immensus est. » (*Pastor, l. II, mand. 1*). — Et *S. Greg. M.*: « Ipse manet intra omnia et extra omnia, ipse super omnia, et infra omnia: superior per potentiam et inferior per sustentationem; sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interius penetrans; nec alia parte superior, alia inferior; aut alia parte exterior, alia interior: sed unus et idem, totus ubique præsidendo sustinens, et susti-

nendo præsidens; circumdando penetrans, penetrando circumdans. » *(Mor. l. II, c. 12).*

III. **Ex Ratione.** 1. Deus in omni genere perfectionis est infinitus. Atqui vis seu aptitudo inexistendi omnibus rebus et spatiis, est perfectio simpliciter simplex. Ipsa ergo Deo, et quidem infinite, convenit.

2. In Deo aptitudo coexistendi rebus a se productis eisque intime assistendi non minor esse debet, quam virtus eas producendi. Sed virtus productiva in Deo est infinita; ergo et vis inexistendi in rebus est infinita. Deus igitur infinitis rebus et spatiis inexistere potest; ac proinde est immensus.

Prob. II Pars: *Deus omnibus rebus est intime præsens.*

I. Omnipræsentia sequitur immensitatem: Cum Deus infinitis rebus et spatiis, si existerent, inexistendi intrinsecam et necessariam habeat aptitudinem, idcirco, posita rerum creatione, Deus vi suæ immensitatis, omnibus rebus creatis præsens necessario adsit, prorsus necesse est. Probatur præterea:

II. **Ex Script. S.** Legimus (Jerem. XXIII, 24): *Numquid non cœlum et terram ego impleo?* — (Ps. 138, 7): *Quo ibo a Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Quibus verbis ubiquitas et omnipræsentia in aprico ponuntur.

III. **Ex Traditione.** « Deus, *inquit S. Hilarius*, ubique est, et totus ubique. » *(De Trinit. l. III).* — *S. Ambrosius:* Deus est « complectens omnia, nusquc ipse confusus; penetrans omnia, nusquc ipse penetrandus: ubique totus, eodem tempore vel in cœlo, vel in terra, vel in novissimo mari præsens. » *(De fide, c. 16).*

IV. **Ex Ratione.** Ubicumque aliquid operatur, ibi præsens adest, cum non detur actio in distans. Sed Deus in omnibus semper operatur, dans et conservans esse, quo omnia sunt. Ergo Deus in omnibus semper præsens adest.

Quod argumentum evolvit S. Th.: « Oportet, *inquit*, omne agens conjungi ei in quod immediate agit, et sua virtute illud contingere... Cum autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus ejus; sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum causat Deus in rebus, non solum

quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conservantur; sicut lumen causatur in aere a sole, quamdiu aer illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet esse, tamdiu oportet quod Deus adsit ei secundum modum quo esse habet. Esse autem est illud quod est magis intimum cuilibet, et quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium quæ in re sunt. Unde oportet quod Deus sit in omnibus rebus et intime.» *(Q. VIII, a. 1).*

437. — Scholium. *De modis, quibus Deus præsens adest in rebus.*—Cum quatuor ordines diversi, naturæ scilicet, gratiæ, gloriæ, et unionis hypostaticæ recenseantur, quadruplex etiam enumeratur Dei præsentia. In justis viatoribus Deus adest per gratiam; in beatis per gloriam; in Christo personaliter per unionem hypostaticam. Sed de his nunc non loquimur; quippe quum de solo ordine naturali sermo sit.

In rebus naturalibus Deus adest tripliciter, videlicet: *per potentiam, per præsentiam* et *per essentiam.* « Deus, *ait S. Gregor. M.*, communi modo omnibus rebus inest præsentia, potentia, et substantia.» *(In Cantic., l. I, d. 37).*

Quem triplicem divinæ præsentiæ modum Doctor Angelicus exemplis illustrat. « Rex, *inquit*, dicitur esse in toto regno, scilicet per suam potentiam, licet non sit ubique præsens. Per præsentiam vero suam dicitur aliquid esse in omnibus quæ in conspectu ipsius sunt... Secundum vero substantiam vel essentiam dicitur aliquid esse in loco, in quo ejus substantia habetur... Sic ergo (Deus) est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur; est per præsentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus; est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi.» *(Q. VIII, a. 3).*

Deum esse in omnibus rebus non solum per potentiam aut præsentiam, sed etiam per essentiam, exinde præcipue colligitur, quod Deus non per potentiam suæ essentiæ superadditam, sed per ipsam suam substantiam operatur: quippe ejus substantia est ejus potentia et ejus operatio. (n. 419 et 466). Si igitur Deus in omnibus operatur, in omnibus etiam per essentiam adsit, necesse est.

438. — Corollarium. Ratione immensitatis Deus per essentiam suam omnia pervadit, et nobis omnibus ubique et semper est intime præ-

sens: *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus,* ait Apostolus, (Act. XVII, 28). Possumus igitur et debemus Deum in omnibus, et omnia in Deo considerare, ut omnia ad Deum referamus. Debemus præsertim maxima cum reverentia in Dei præsentia ambulare: « Magna, *ait Boetius*, nobis indicta est necessitas bene vivendi, qui omnia agimus ante oculos judicis cuncta cernentis. » *(De consol. phil., l. 5).*

Hæc Dei ubique præsentis et cuncta cernentis cogitatio, egregius stimulus est, quo a peccato retrahimur, et ad virtutis exercitium impellimur. « Memoria Dei, *ait S. Hieronymus*, excludit cuncta flagitia. » *(In Ezech., c. 22).* Et *S. Thomas:* « Si Dominum præsentem, *inquit*, et omnia videntem semper cogitaremus, aut vix aut nunquam peccaremus. » *(Opusc. 58, c. 2)* [1].

ARTICULUS VI.

DE IMMUTABILITATE DEI [2].

439. — Immutabilitas est *modus essendi, quo Deus necessario in omni sua perfectione stabilis permanet.* — Opponitur mutationi, quæ est motus seu transitus ab uno in aliud.

Triplex datur mutatio, puta: quoad *esse*, quoad *formam*, et quoad *operationem*. Mutatio *quoad esse* est transitus a non esse ad esse, vel ab esse ad non esse, sicut fit in creatione, vel fieret in annihilatione. — Mutatio *quoad formam* est amissio vel acquisitio novæ formæ sive substantialis, sive accidentalis, ut, v. gr., in generatione. — Mutatio *quoad operationem* est transitus ab una actione ad alteram.

440. — **Prop.** *Deus est omnino immutabilis.*

De fide, ex Later. IV, cap. *Firmiter*, et ex Vatic., Const. *Dei Filius*, c. I, in quibus Deus *incommutabilis* vocatur.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Malach. III, 6): *Ego Dominus, et non mutor.* — (Numer. XXIII, 19): *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur.* — Et (Jacobi I, 17): *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

[1] Cf. S. Alph., *Vera Sponsa*, c. 16, § 3. — [2] Cf. S. Th., q. IX; Gonet, *Clyp.*, D. IV, a. 6; Aguirre, t. I, disp. 33 et 34.

II. **Ex Traditione.** Dei omnimodam immutabilitatem 88. Patres unanimiter celebrant. Unus audiatur *S. Augustinus:* « Immutabilis mutans omnia, inquit, nunquam novus, nunquam vetus... Semper agens, semper quietus; colligens et non egens; portans et implens et protegens: creans, et nutriens, et perficiens. Quæris cum nihil desit tibi; amas, nec æstuas: zelas, et securus es: pœnitet te, et non doles; irasceris et tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium, etc. » *(Conf. l. I, c. 4).*

III. **Ex Ratione.** 1. *Ex ratione actus puri.* Omne, quod quocumque modo movetur, est aliquo modo in potentia, ad id nimirum, ad quod movetur. Sed in Deo, utpote actu puro, nulla est potentialitas. Ergo et nulla mutatio.

2. *Ex ratione divinæ simplicitatis.* « Omne quod movetur, *ait S. Th.,* quantum ad aliquid manet, et quantum ad aliquid transit: sicut quod movetur de albedine in nigredinem, manet secundum substantiam. Et sic in omni eo quod movetur, attenditur aliqua compositio. Ostensum est autem supra (n. 418 et seq.) quod in Deo nulla est compositio, sed est omnino simplex. Unde manifestum est quod Deus moveri non potest. » *(Q. IX, a. 1).*

3. *Ex ratione infinitatis.* « Omne quod movetur, motu suo aliquid acquirit, et pertingit ad illud ad quod p ius non pertingebat. Deus autem cum sit infinitus, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis totius esse, non potest aliquid acquirere; nec extendere se in aliquid ad quod prius non pertingebat. Unde nullo modo sibi competit motus. » *(S. Th., loc. cit.).*

IV. **Inductione.** Quatuor mutationum genera in Deo excogitari possunt: *a) quoad esse;* sed Deus, utpote ens a se, vi suæ naturæ existens, esse non recepit, nec illud amittere potest. — *b) Quoad situm;* sed ratione immensitatis Deus omnia loca ita replet, ut de uno in alium migrare non possit. — *c) Quoad formas accidentales;* sed in Deo, utpote ente simplicissimo, nullum est accidens ab ejus substantia realiter distinctum; præterea, Deus, utpote infin tus et perfectissimus, omnes perfectiones possidet, ita ut nec aliquam amittere, nec

alteram acquirere valeat. — *d) Quoad operationes,* intellectus scilicet et voluntatis; sed ut infra dicetur (n. 466, IV et 491), in divinis operationibus nulla datur successio.

441. — **Scholium.** Hæc summa immutabilitas est Deo adeo propria, ut nulli creaturæ, quantumvis perfectæ, communicari possit. Sed creatura quælibet est mutabilis, vel *secundum esse substantiale,* sicut corpora terrestria, quæ novam formam substantialem acquirere possunt; vel *secundum ordinem ad finem,* cum nulla creatura sit sibi suus finis ultimus; vel *secundum applicationem ad diversa,* ut angeli, qui, cum limitatam habeant virtutem, locum aliquem, quem antea non attingebant, attingere possunt; vel *secundum varias perfectiones accidentales,* ut sunt omnia creata, quæ necessario sunt finita et imperfecta; vel saltem *quoad esse et non esse,* quia, cum nulla creatura sit suum esse, sed esse ab alio per creationem habeat, quælibet per illum, qui eam creavit, in nihilum redigi, et sic suum esse amittere potest.

442. — **NB.** Contra Dei immutabilitatem duo præsertim objici solent, scilicet: 1. *textus S. Scripturæ,* quibus Deo pœnitentia, ira, indignatio, aliæque passiones, quæ mutationem important, adscribuntur; — et, 2. *creatio mundi in tempore:* ex hoc enim quod Deus mundum in tempore produxit, necessario sequi videtur Deum fuisse mutatum, quippe qui ex non creante factus sit creans, ac proinde in creatione aliter, quam ante creationem, se habuerit.

Ad primum dicendum est: locutiones, quibus in Scripturis Deo ira, indignatio, etc., attribuuntur, intelligendas esse non sensu proprio et litterali, sed metaphorico; nec interiorem animi affectum, sed exteriorem effectum, seu sceleris ultionem a Deo irrogatam, demonstrare. «Pœna patientis, *ait S. Hilarius,* ira creditur esse decernentis. Atque ira irascitur Deus, cum per pœnæ dolorem iram decreti in se sentiant esse puniti.» *(In Ps. II).* Et *S. August.:* «Quoniam difficillimum est, ut homo aliquid vindicet sine ira, vindictam Dei, quæ sine perturbatione fit, iram tamen vocandam judicaverunt.» (*Enchirid.*, l. 83, q. 52)[1].

Ad secundum dicendum: creationem dupliciter considerari posse, videlicet: vel quoad actionem, qua Deus mundum produxit; vel quoad effectum, qui creatione productus est. Actio Dei est æterna et immutabilis, licet libera; sed effectus exterior, seu mundus, qui vi illius æternæ actionis factus est, tempore a Deo ab æternitate statuto productus est. Omnis igitur mutatio, quæ in creatione contigit, in mundo producto, non autem in Deo producente, facta est[2].

[1] Cf. Aguirre, t. I, disp. 33, sect. 4. — [2] Cf. *Magist., Sent.* II, dist. 1; et S. Th., P. I, q. XLVI, a. 1.

ARTICULUS VII.

DE ÆTERNITATE DEI.

443. — Æternitas sensu lato vel stricto accipi potest. Si *sensu lato* sumatur, æternitas dicitur vel de tempore longo, ut, v. gr., (Deuter. XXXIII, 15): *De pomis collium æternorum;* — vel de duratione rei, quæ initium quidem habuit, fine autem carebit: (Eccl. I, 4): *Terra enim in æternum stat;* — vel de operatione invariabili, qualis est visio beatifica: (Joan. XVII, 3): *Hæc est vita æterna: ut cognoscant te solum Deum verum.*

Si *sensu stricto* accipiatur, (quo sensu de ea loquimur), æternitas est duratio absque initio, absque fine, et absque successione: et communiter cum Boetio definitur: *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* (S. Th., q. X, a. 1).

Explicatur definitio. Æternitas dicitur: *possessio,* ad exprimendam æternitatis in sua uniformitate firmitatem et stabilitatem: quod enim possidetur, firmiter et quiete habetur. — *Tota simul et perfecta,* ad omnem successionem excludendam. — *Interminabilis,* ad removendum initium et finem. — *Vitæ,* ad indicandum æternitatem esse indivisibilem durationem non tantum divinæ existentiæ, sed et divinarum operationum.

Duo igitur elementa æternitatem essentialiter constituunt, nempe: duratio absque initio et fine, et carentia successionis in ea duratione. Quorum alterum si desit, tollitur ratio veræ æternitatis. — Ex dictis intelligitur hæc altera æternitatis definitio: *Æternitas est nunc semper stans.* Tempus vero *est nunc semper fluens.*

Æternitas cum immutabilitate realiter identificatur, teste *S. August.*: « Vera immortalitas, *inquit,* vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas ipsa est æternitas. » *(De Trinit., l. IV, c. 18).* Distinguuntur tamen ratione ratiocinata, et quidem ita sufficienter, ut una alterius ratio esse possit: immutabilitas enim dicit plenitudinem essendi nulli mutationi obnoxiam; æternitas vero infinitam et interminabilem durationem istius esse indicat.

444. — **Prop.** *Deus est æternus.*

De fide. ex Symbolo S. Athan.: « Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus. » Et ex Concil. Later. IV,

Cap. *Firmiter;* et Vatic., Const, *Dei Filius,* c. 1, in quibus Deum æternum esse prædicatur.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Genes. XXI, 33); *Abraham... invocavit ibi nomen Domini Dei æterni.* — (Deuter. XXXII, 40): *Vivo ego in æternum.* — (Dan. VI, 26): *Ipse est Deus vivens, et æternus in sæcula.*

II. **Ex Traditione.** *S. August.* in verba Ps. CI: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient,* scribit: « Anni Dei æternitas Dei est. Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit. Sed non est ibi, nisi est. Non est ibi fuit, et erit, quia et quod fuit, jam non est, et quod erit, nondum est; sed quidquid ibi est, nonnisi est. »

III. **Ex Ratione.** « Ratio æternitatis, *ait S. Th.,* consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum. Unde cum Deus sit maxime immutabilis, sibi maxime competit esse æternum. » *(Q. X, a. 2).*

445. — **Corollaria.** I. Æternitas, non secus ac cætera divina attributa, est ipsa Dei essentia, initio, fine, et successione carens. Deus, *inquit. S. Th.* « non solum est æternus, sed est sua æternitas... Æternitas non est aliud quam ipse Deus. » *(Q. X, a. 2).* — Quod quidem *Eugenius III* in Conc. Rhemensi expresse definivit: « Credimus (Deum) non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse. » — Et *S. August.:* « Non aliud anni Dei et aliud ipse Deus; sed anni Dei æternitas est: æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. » *(In Ps. CI, 25).*

II. Cum temporum mutationibus simus obnoxii, universumque mundum in tempore volvi videamus, ac proinde nec nosmetipsos nec aliam rem quamdam totaliter simul et perfecte, sed successive tantum et per partes possideamus, ideirco illius simultaneæ æternitatis, in qua nulla prorsus successio invenitur, et quæ in suo simplicissimo et uniformi *nunc* omnium temporum differentias simul complectitur, perfectam nobis ideam non possumus efformare.

III. Æternitas stricte sumpta est soli Deo propria, nec ulli creaturæ communicari potest: consequitur enim omnimo-

dam. quæ in uno Deo invenitur, immutabilitatem. Creaturæ tamen, cum divinam immutabilitatem plus minusve participare valeant, divinam etiam æternitatem plus minusve participare possunt. *(Q. X, a. 3).*

IV. Cum æternitas totum tempus ambiat, exinde sequitur omnes res creatas, præteritas, præsentes et futuras, esse Deo in æternitate physice præsentes: non quidem eo sensu quod creaturæ *existant in se ab æterno*, cum fide certum sit eas in tempore fuisse productas: sed quia Deus illis in indivisibili æternitatis puncto coexistit. Aliud enim est creaturas existere physice ab æterno, quod falsum est; et aliud illas Deo physice præsentes esse in æternitate: « Deus, *ait S. Th.*, videt omnia in sua æternitate, quæ cum sit simplex, toti tempori adest, et ipsum concludit. Et ideo unus Dei intuitus fertur in omnia quæ aguntur per totum tempus, sicut in præsentia: et videt omnia ut in seipsis sunt. » *(I, q. LVII, a. 3.; Cf. etiam q. XIV, a. 13).* — Idem docet *S. August.*[1] « Apud Deum jam natos esse homines, qui postea erunt. » — « Apud Deum præterita et futura stant »[2]. — « Apud Deum, nec præterita transeunt, et futura jam facta sunt »[3].

ARTICULUS VIII.

DE UNITATE DEI.

446. — Unitas dupliciter sumi potest, nimirum: *affirmative*, et *negative* seu *exclusive*. Ens dicitur unum *affirmative*, quod est indivisum in se, et divisum a quolibet alio. Sic considerata, unitas est proprietas trascendentalis, quæ cum ipso ente convertitur; inde axioma: *ens et unum convertuntur*. Hæc unitas alia entia e consortio ejusdem naturæ non excludit; sic, v. gr., quilibet homo est unus, sed tamen non unicus.

[1] *De Prædest. et Grat.*, c. V. — [2] *De Trinit.*, l. IV, c. 17. — [3] *Loc. cit.*, cap. ult.; Cf. Gibbon, tr. IV, disp. 29, dub. 3 (t. I, p. 309); Aguirre, t. I, disp., 44, (p. 784); Wenzl, *De Deo*, Controv. III, q. 4 (p. 242).

Quam unitatem Deo maxime convenire ex eo manifestum est, quod Deus est maxime ens, cum sit ipsum esse subsistens; et quod maxime est indivisus, cum sit simplicissimus, omnem excludens compositionem. *(Cf. S. Th., q. XI, a. 4).*

Ens dicitur unum *negative* seu *exclusive*, quod est *unicum*, et quodlibet aliud a consortio similis naturæ excludit; sic, v. gr., sol dicitur unus, id est, unicus. In præsenti, dum de Dei unitate sermo instituitur, unitas hoc secundo sensu est accipienda, et significat unicum tantum existere Deum.

Dei unitatem impugnaverunt Polytheistæ, qui plures Deos coluerunt; et Manichæi, qui duo suprema principia admiserunt, quorum unum, summe bonum, auctorem totius boni; alterum vero, summe malum, auctorem totius mali prædicaverunt.

447. — Prop. *Unus est Deus.*

De fide, ex Later. IV: « Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus. » — ex Vatic. c. I, « Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum. » Et ex diversis symbolis.

Prob. I. **Ex Scrip. S.** Innumera existunt Scripturæ testimonia, quibus Dei unitas probatur. Legimus (Deut. XXXII, 39): *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me.* — (Ps. LXXXV, 10): *Magnus es tu, et faciens mirabilia; tu es Deus solus.* — (1 Tim. II, 5): *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum.*

II. **Ex Traditione.** Dogma de unitate Dei tanquam primarius et fundamentalis articulus fidei constanter in Ecclesia agnitum fuit. Ideo *Tertullianus* dicit: « Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem. » *(De velandis Virg. c. 1).* Ea de causa SS. Patres constanter cum polytheismum ethnicorum, tum dualismum Manichæorum oppugnaverunt, unitatemque Dei prædicaverunt.

III. **Ex Ratione.** Unicum existere Deum, ipsa ratio naturalis adeo invicte probat, ut hæc veritas ne philosophos

quidem ethnicos latere potuerit [1]. Argumenta præcipua desumuntur:

1. *Ex notione entis supremi:* Deus est ens supremum. Sed de ratione entis supremi est, ut nullum habeat æquale, *teste Tertulliano:* « Summo magno nihil sinit æquari. » *(Adv. Marcion., l. I, c. 3).* Unicus igitur est Deus.

2. *Ex ratione entis perfectissimi.* Deus est ens perfectissimum. Sed si duo existerent dii, « oporteret eos in aliquo differre. Aliquod ergo conveniret uni quod non alteri. Si autem hoc esset, perfectio alteri eorum deesset. Et sic ille in quo esset privatio, non esset simpliciter perfectus. » *(S. Th., q. XI, a. 3).* Impossibile est ergo duos existere deos.

3. *Ex ratione entis infiniti.* Deus est infinitus; et infinita sunt ejus attributa. Sed plurium Deorum existentia hanc attributorum infinitatem tollit. Vel enim unus posset alterius opera destruere, vel non. Si non potest, non est omnipotens; si potest, alter non erit omnipotens. Impossibile est igitur plures omnipotentes existere, *teste S. Athanasio:* « Dicere plures Deos æqualiter potentes, est dicere plures æqualiter impotentes. » *(Lib. cont. gent.).* — *Item,* nullus foret omniscius; quilibet enim eorum, utpote independens, aliis, quod vellet, occultare posset; quo infinitas scientiæ et sapientiæ tollitur [2].

4. *Ex unitate mundi.* « Ordo ipse dispositionis et rerum omnium consentiens harmonia, *ait S. Athan.,* non plures, sed unum rectorem ipsius, ac ducem esse Dei Verbum ostendit. Non enim, si plures essent rerum creatarum principes, servaretur ejusmodi universitatis ordo: sed omnia confusa rursus ac perturbata forent, cum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, et cum altero depugnaret. » *(Lib. cont. Gent.: Cf. S. Th., q. XI; Cont. Gent. I, c. 42).*

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.,* P. III, c. II, n. 5 et seq. — [2] Cf. S. Alph. *loc. cit.,* n. 1-3.

CAPUT IV.

DE VISIONE DEI [1].

448. — « Quia in superioribus, *inquit Doctor Angelicus,* consideravimus qualiter Deus sit secundum seipsum, restat considerandum qualiter sit in cognitione nostra; id est quomodo cognoscatur a creaturis. » *(Q. XII, Prol.)* Verum, cum in clara Dei visione posita sit perfecta hominis beatitudo, de qua in tractatu *de finibus ultimis* erit disserendum, ideirco in hocce tractatu cum de possibilitate visionis divinæ essentiæ, tum de principiis ad hanc visionem concurrentibus, remissis aliis ad tractatum *de Novissimis*, unice disputabimus. Agemus igitur in art. I. de possibilitate visionis divinæ essentiæ; et in art. II. de principiis ad eam concurrentibus.

ARTICULUS I.

DE POSSIBILITATE VISIONIS DIVINÆ ESSENTIÆ.

449. — Visio intuitiva Dei est *notitia terminata ad Dei essentiam in se visam.* Differt visio a cognitione: *cognitio* dicitur quæcumque, etiam imperfecta, alicujus objecti notitia; *visio* autem est notitia perfecta, clara, de aliqua re præsente.

Errores. — De possibilitate intuitivæ visionis divinæ essentiæ duo olim inter se oppositi errores irrepserunt. Anomæi semetipsos, nativa sui intellectus virtute, in hac mortali vita Deum non tantum intuitive videre, sed etiam comprehendere posse, dictitabant. Cui errori postea subscripserunt Beguardi et Beguinæ. — Armeni vero asserebant intellectum creatum, etiam divinitus adjutum et elevatum, Dei essentiam

[1] Cf. S. Th., q. XII; Isambert, Gamachæus, Philipp. a SS. Trinit., *in q. XII D. Th.;* Tournely, quæst. X.

videre non posse, beatosque in cœlis non ipsam divinam essentiam, sed tantum excellentem quamdam lucem et claritatem a Deo emanantem intueri. Probandum est igitur: *a)* visionem Dei intuitivam intellectui creato ex propriis suis viribus esse impossibilem; *b)* eam vero cum divino adjutorio esse possibilem; *c)* denique, intellectum creatum, licet Deum intuitive videre possit, eum tamen nunquam comprehendere posse.

450. — Prop. I. *Nullus intellectus creatus ex solis naturæ viribus Deum intuitive videre potest.*

De fide, ex Conc. Viennensi, in quo hæc Beguardorum propositio damnata est: « Anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum. »

Prob. I. **Ex Script. S.** *a)* Ex textibus, quibus Deus invisibilis prædicatur. (I Tim. I, 17): *Regi sæculorum immortali, invisibili.* — (I Tim. VI, 16): *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* — (Joan. I, 18): *Deum nemo vidit unquam.* Hisce textibus, ut infra dicetur (n. 452), non excluditur visio ab intellectu lumine gloriæ confortato elicita; ergo excluditur cum visio corporalis, tum visio intellectualis ex **solius naturæ viribus.**

b) Ex textibus, quibus vita æterna gratuitum Dei donum esse asseritur. (Ps. 83, 12): *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* — (Rom. VI, 23): *Gratia Dei, vita æterna.* Jamvero, quod est gratuitum Dei donum, ex solius naturæ viribus acquiri non potest. Atqui vita æterna, quæ principaliter in intuitiva Dei visione consistit, est gratuitum Dei donum. Ergo ipsa, ac proinde et intuitiva Dei visio, ex solius naturæ viribus haberi nequit.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Epiphanius:* « Deum quidem videri præsertim ab humana natura non posse fatemur.... Sed idem tamen invisibilis Deus pro sua humanitate ac potentia, imbecillem aciem ita virtute sua corroborare dignatur, ut quod videri alioqui non potest, aspiciat. » *(Hær. 70, n. 7).*

III. **Ex Ratione.** 1. « Quod est superioris naturæ proprium, *inquit S. Th.*, non potest consequi natura inferior, nisi per actionem superioris naturæ cujus est proprium, si-

cut aqua non potest esse calida nisi per actionem ignis. Videre autem Deum per ipsam divinam essentiam est proprium naturæ divinæ... Nulla igitur intellectualis substantia potest videre Deum per ipsam divinam essentiam, nisi Deo hoc faciente.» *(Cont. Gent., l. III, c. 52).*

2. Natura intelligens, et objectum connaturaliter et quidditative apprehensum, in eodem gradu immaterialitatis convenire debent. «Cognitio enim, *ait S. Thomas,* contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ. Si igitur modus essendi alicujus rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis.» *(q. XII, a. 4).* — Atqui impossibile est aliquam creaturam et Deum in eodem gradu immaterialitatis convenire posse: Deus enim, utpote actus purus et ipsum esse subsistens, in summo gradu immaterialitatis existit; creatura vero, utpote habens esse participatum, aliquo modo est composita. Deus igitur est objectum facultatem cujusvis intellectus creati excedens, nec proinde ulla creatura ipsum intuitive ex solis naturæ viribus cognoscere potest.

451. — Scholium. Quæ in propositione dicta sunt, de præsenti rerum ordine atque de ordinaria Dei potentia sunt intelligenda. Si vero quæstio moveatur *an de potentia Dei absoluta dari possit creatura, cui connaturale sit videre Deum per essentiam,* tunc dissentiunt auctores. Affirmant nonnulli hujusmodi creaturam esse possibilem: communis tamen auctorum sententia docet, et recte quidem, eam esse impossibilem. Quantumvis enim creatura ponatur perfecta, ipsa nihilominus nunquam erit *suum esse,* nec unquam ab omni compositione expers esse potest, nec proinde unquam cum Deo in eodem gradu immaterialitatis constitui [1].

452. — Prop. II. *Intellectus creatus supernaturaliter adjutus Deum intuitive videre potest* [2].

De fide, ex Florent., in decreto unionis: «Definimus.... animas (debito modo purgatas) in cœlum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est.» — Et ex Constit. Benedicti XII, *Benedictus Deus:* «Auctoritate Apos-

[1] Cf. *Philipp. a SS. Trinit.* disp. I, dub. 4; Gonet, *Clyp.* Tr. II, disp. I, a. 1. § 3; Aguirre, t. I, disp. X. — [2] Cf. Wenzl, *De Deo,* Contr. IV, q. I.

tolica diffinimus, quod animæ sanctorum omnium... vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur. » *(Denz. n. 456).*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (I Cor. XIII, 12): *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Ex hisce verbis colligitur, Deum in altera vita cognosci cognitione immediata, clara et perfecta. Atqui talis cognitio est visio intuitiva.

(Matth. V, 8): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* — (Matth. XVIII, 10): *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* — (I Joan. III, 2): *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Sed *videre Deum, videre faciem Patris cœlestis, videre Deum sicuti est,* intuitivam Dei visionem denotant.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. August.:* « Si quæris, utrum possit Deus videri? Respondeo, potest. Si quæris unde sciam? ℟ Quia in veracissima Scriptura legitur: *Beati mundo corde* etc. Si quæris utrum, etiam sicuti est, possit aliquando videri? ℟: Filiis hoc esse promissum, de quibus dictum est: *Scimus, quia cum apparuerit...* etc. » *(Ep. 112, de videndo Deo, n. 14).*

III. **Ex Ratione.** Creatura intellectualis supernaturaliter adjuta beatitudinem suam, ad quam per Dei gratiam elevata est, assequi potest. Atqui creaturæ intellectualis beatitudo supernaturalis in clara Dei visione consistit, secundum illud (Joan. XVII, 3): *Hæc est vita æterna: ut cognoscant te solum Deum verum, etc.* Ergo creatura intellectualis supernaturaliter adjuta Deum intuitive videre potest.

Scholium. Quæ in divinis litteris de Dei invisibilitate leguntur, vel ad oculum mentis ex solius naturæ viribus, ut ex superiori prop. constat; vel ad oculum corporis, referenda sunt. Oculus enim corporeus, etsi glorificatus, essentiam Dei, utpote extra latitudinem objecti

oculi corporei existentem, videre nequit. Deus enim est summe immaterialis; objectum vero oculi corporei est essentialiter ens materiale et corporeum. *(Cf. S. Th., q. XII, a. 3).*

453. — Prop. III. *Nullus intellectus creatus Deum comprehendere potest.*

De fide, ex Later, IV, cap. *Firmiter*, et ex Vatic., Const. *Dei Filius*, c. I, in quo legimus: « Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum... incomprehensibilem. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Jer., XXXII, 19): *Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu.*

II. **Ex Traditione.** « Deus, *ait S. Dionys.*, est Spiritus segregatus ab omnibus, et super omnes cœlestes mentes incomprehensibili virtute collocatus. » *(De div. nom. c. 1).* — Et *S. Augustinus:* « De Deo loquimur, quid mirum si non comprehendis; si enim comprehendis, non est Deus: attingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo est: comprehendere autem, omnino impossibile. » *(Serm. 38, de verbis Dom.)*

III. **Ex Ratione.** Rem comprehendere, est ipsam cognoscere quantum est cognoscibilis. Sed nullus intellectus creatus potest Deum cognoscere quantum est cognoscibilis. « Unumquodque enim, *ait S. Thomas*, sic cognoscibile est secundum quod est ens actu. Deus igitur cujus esse est infinitum, infinite cognoscibilis est. Nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere. In tantum enim intellectus creatus divinam essentiam perfectius vel minus perfecte cognoscit, in quantum majori vel minori lumine gloriæ perfunditur. Cum igitur lumen gloriæ creatum in quocumque intellectu creato receptum non possit esse infinitum, impossibile est quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscat. Unde impossibile est quod Deum comprehendat. » *(Q. XII, a. 7).*

NB. « Non autem sic dicitur, *ait S. Th.*, quod divina substantia ab intellectu creato videtur, non tamen comprehenditur, quasi aliquid ejus videatur, et aliquid non videatur, quum divina substantia sit simplex omnino; sed quia non ita perfecte ab intellectu creato videtur sicut visibilis est. » *(Cont. Gent. l. III, c. 55).* — Igitur

«totam essentiam divinam sancti videbunt in patria, sed non totaliter» *(IV Sent. Dist. 49. q. II. a. 3. ad 3)*, quia vident modo finito quod de se est cognoscibile infinite.

454. — **Quæritur:** *Utrum aliquis in hac mortali vita Dei essentiam videre possit?*

Respondet Doctor Angelicus, *(P. I. q. XII. a. 11; II, II. q. CLXXV, a. 4)*, fieri non posse ut purus homo in hac vita degens, et corporeis sensibus utens, secundum providentiam ordinariam, Dei essentiam intuitive videat; fieri tamen posse, ut supernaturaliter et præter consuetum ordinem naturæ, Deus aliquibus facultatem transeunter suam essentiam clare videndi concedat. Quo in casu istis hominibus per modum passionis transeuntis lumen gloriæ communicatur, cujus ope actum visionis beatificæ eliciant.

Utrum autem aliqui in carne mortali viventes, Dei essentiam de facto viderint? Negant nonnulli, hisce verbis Apostoli imitentes: (1 Tim. VI, 16): *Lucem inhabitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* — S. Augustinus vero, cum S. Thoma, et communi Doctorum sententia, docet Moysen Deum per essentiam vidisse; dicitur enim de eo (Num. XII, 8): *Ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt.* Idem docent de S. Paulo «*qui raptus est in Paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*» (II Cor. XII, 4). — Idem theologi communiter de B. Virgine Maria affirmant [1].

ARTICULUS II.

DE PRINCIPIIS VISIONIS DEI.

455. — Ad cujuscumque objecti cognitionem duo requiruntur, nempe: unum ex parte objecti, ejus scilicet unio cum facultate cognoscitiva, juxta axioma: *cognitio fit secundum quod cognitum est in cognoscente;* alterum ex parte potentiæ cognoscitivæ, virtus scilicet proportionata ad objectum, quæ virtus etiam *lumen* nuncupatur. Si facultatis virtus naturalis est inferioris ordinis ac objectum, tunc facultas roboretur oportet, ut objectum attingere valeat; objectum vero, si per seipsum cum facultate immediate uniri non potest, tunc, ut ei mediante sui similitudine seu specie uniatur, necesse est.

[1] Cf. Wenzl, *De Deo*, Contr. IV, q. 4 et seq. (pag. 284).

Investigandum est igitur: 1. Utrum in visione beatifica divina essentia intellectui beato mediante aliqua specie uniatur; 2. Utrum ex parte intellectus, præter lumen intellectuale naturale, requiratur aliud lumen, quod lumen gloriæ vocatur.

§ 1. *Utrum in visione beatifica divina essentia intellectui mediante aliqua specie uniatur.*

456. — Duplex datur species intelligibilis, nimirum: *impressa* et *expressa*. Species *impressa* est forma quædam seu similitudo, quæ vice objecti in potentiam immittitur, ut ipsam quasi fœcundet atque determinet. Hæc species cognitionem antecedit, et est illius principium. — Species *expressa* est forma quædam seu imago, quam intellectus cognoscendo exprimit intra se, et in quo objectum contemplatur. Species expressa vocatur etiam *verbum*, quia intellectus cognoscendo *quasi dicit rem. (De his cf. philosophos scholasticos)*. — De utraque specie quæritur, an in visione beatifica inveniatur.

457. — Prop. I. *In visione beatifica, essentia divina intellectui non unitur per speciem impressam; sed ipsa essentia immediate per seipsam ei in ratione speciei impressæ unitur.*

Pars I. *communis* inter omnes; Pars II. communis *inter thomistas.*

Prob. I Pars: 1. *Ex speciei impressæ inutilitate.* Species impressa tunc requiritur, quando videlicet objectum vel non existit, vel non est per se intellectui præsens, vel non est sufficienter intelligibile propter suam materialitatem. Atqui nullum horum de Deo relate ad intellectum creatum dici potest. Ergo species impressa ad visionem beatificam non requiritur.

2. *Ex speciei impressæ impossibilitate.* Nulla species dari potest, quæ Deum, sicuti est in se, perfecte repræsentare queat. « Per nullam similitudinem creatam, *ait S. Th.*, Dei essentia videri potest. Primo quidem, quia, sicut dicit Dionysius *(De div. nom. c. 1): Per similitudines inferioris ordinis rerum, nullo modo superiora possunt cognosci;* sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ.

Multo igitur minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri. — Secundo, quia essentia Dei est ipsum esse ejus, quod nulli formæ creatæ competere potest. Non potest igitur aliqua forma creata esse similitudo repræsentans videnti Dei essentiam. » *(Q. XII, a. 2; cf. Cont. Gent. l. III, c. 49).*

Prob. II Pars: « Restat ergo ut illud, quo intellectus creatus Deum per essentiam videt, sit essentia divina. » *(De Verit. q. VIII, a. 1).* — Unde « ad hoc quod intellectus creatus videat Dei substantiam, oportet quod ipsa divina essentia copuletur intellectui ut forma intelligibilis. » *(Cont. Gent. III, 52).* Essentia enim divina intellectui non aliter quam per speciem, aut immediate per seipsam, uniri potest. Atqui uniri nequit per speciem, ut dictum est; ergo intellectui beato immediate per seipsam uniatur, necesse est. « Manifestum est igitur, quod essentia divina potest comparari ad intellectum creatum, ut species intelligibilis, qua intelligit. » *(Cont. Gent. l. III, 51).*

Notandum est tamen cum S. Th. *(De Verit. q. VIII, a. 1),* « quod non oportet quod ipsa divina essentia fiat forma intellectus ipsius (beati), sed quod se habeat ad ipsum ut forma. » Essentia siquidem divina, licet intellectui intime sit præsens, ipsum tamen non informat, sicut informat forma seu species; sed speciei impressæ munera gerit. Quemadmodum enim species impressa intellectum, ad videndam rem cujus est forma, determinat et actuat; ita divina essentia intellectum beatum ad claram sui visionem eliciendum, in qua ei in esse intelligibili unitur, immediate per se determinat et actuat.

458. — Prop. II. *Beati videntes Deum verbum non producunt* [1].

De hac propositione orta est in scholis controversia. Scotistæ, Patres S. J., necnon et alii, docent beatos, videndo Deum, verbum producere. Verbum enim, aiunt, est terminus intellectionis; intellectio autem absque suo termino dari nequit. Ergo etiam in intellectione, qua beati Deum cognoscunt, verbum adsit, necesse est.

[1] Cf. *Philipp. a SS. Trinit.,* Disp. II, dub. 7, (pag. 91).

Thomistæ vero in beatis speciem Dei expressam existere negant. Quorum opinio probabilior videtur. Prob. Species expressa, non secus ac impressa, est similitudo rei visæ. Sed, ut dictum est in superiori propositione, impossibile est dari similitudinem, quæ divinam essentiam perfecte repræsentet. Ergo impossibile est beatos de Deo speciem exprimere posse.

Quod autem ab auctoribus adversæ sententiæ objicitur, scilicet non posse dari intellectionem absque productione verbi, illud recte negari potest. De fide enim est, tres divinas personas esse intelligentes; et de fide est etiam solum, Patrem producere verbum, (cf. n. 582 et 583). Potest igitur dari intellectio absque dictione. Intellectio est simplex assecutio seu apprehensio objecti, absque ejus expressione; dictio vero est objecti assecuti expressio intellectualis: dicere enim est exprimere id, quod intelligitur. Beati ergo Deum intelligunt et intuitive vident; ipsum possident in esse intelligibili: eum autem verbo non exprimunt. Et ideirco Deus, sicut in terris, ita etiam in cœlis, est vere et omnino ineffabilis.

§ 2. *Utrum præter naturale intellectus lumen, requiratur lumen gloriæ*[1].

459. — Cum ex hactenus dictis manifestum sit, intellectum creatum ex solius naturæ viribus Deo intuitive videndo imparem existere, ideirco superiori adjumento, quod lumen gloriæ nuncupatur, indiget.

Lumen gloriæ definitur: *Virtus supernaturalis intellectui creato per modum habitus permanenter infusa, qua proxime habilis redditur ad Deum intuitive videndum.*

Necessitatem luminis gloriæ Beguardi inficiabantur. (cf. n. 449).

460. — **Prop.** *Ad Deum intuitive videndum, intellectus creatus lumine gloriæ necessario indiget.*

De fide, ex Concil. Viennensi, in quo damnata est propositio: « quod anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante, ad Deum videndum et eo beate fruendum. »

[1] Cf. Isamb., q. XII, disp. II et seq.; *Philipp. a SS. Trinit.*, disp. III.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Ps. XXXV, 10): *Apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen.* — (Apoc. XXII, 4 et 5): *Videbunt faciem ejus.... et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit eos.* Quæ verba S. Patres de lumine gloriæ interpretantur.

II. **Ex Ratione.** Ut facultas objectum, quod ipsius naturales vires supergreditur, attingat, necesse est ut nativis ipsius viribus altior virtus superaddatur. Atqui Deus, intuitive visus, est objectum, quod vires naturales cujuslibet intellectus creati superat (n. 450). Ut ergo intellectus creatus Deum intuitive videre possit, ideo ipsius nativis viribus virtus supernaturalis, quæ lumen gloriæ nuncupatur, superaddatur necesse est. *(Cf. S. Th. q. XX, a. 5).*

461. — Scholium. *De natura et muneribus luminis gloriæ.*

1. Lumen gloriæ non est ipsa Dei visio, sed aliquid prærequisitum, habilitans et elevans animam ad Deum videndum, ut dicitur in Concilio Viennensi [1].

2. Non est concursus Dei extrinsecus, quo Deus cum intellectu ad eliciendam visionem beatificam concurrit. Etenim lumen gloriæ est donum, quo intellectus, ut modo sibi connaturali Deum clare videre possit, elevatur. Sed concursus Dei extrinsecus non dat illam connaturalitatem, ad quam requiritur, ut facultas vim completivam et perfectam ex parte principii requisitam, in se habeat [2].

3. Nec est similitudo quædam, in qua Deus videatur; quandoquidem de Deo nulla datur species (n. 457 et 458).

4. Nec est ipsa Dei essentia munus gerens speciei impressæ: species enim objecti facultatem non elevat, sed potentiæ jam elevatæ, et habenti vires ad cognoscendum objectum, unitur: lumen vero gloriæ a Conc. Viennensi supponitur tanquam elevans intellectum [3].

5. Sed est *virtus creata, a Deo immediate infusa* (vel, ut aliis magis placet, a gratia consummata effluens), forma-

[1] Isamb. disp. II, a. 1, (pag. 97). — [2] Isamb., *loc. cit.*, — [3] Gotti, *De Deo,* q. IV, dub. I, § 1.

liter et permanenter intellectui per modum habitus seu dispositionis supernaturalis inhærens, ipsumque elevans, confortans, et ultimo disponens ad visionem Dei intuitivam connaturaliter eliciendam.

6. Lumen igitur gloriæ vires intellectus auget; non quidem per hoc quod naturales ipsius vires intendat, sed per hoc quod eidem vires supernaturales superaddat; et ita intellectus una cum lumine gloriæ fit unicum principium adæquatum ad videndum Deum [1].

[1] Isamb. disp. III.

PARS III.

DE OPERATIONIBUS DEI.

462. — « Post considerationem eorum quæ ad divinam substantiam pertinent, *inquit S. Th.*, restat considerandum de his quæ pertinent ad operationem ipsius. Et quia operatio quædam est quæ manet in operante, quædam vero quæ procedit in exteriorem effectum, primo agemus de scientia et voluntate, (nam intelligere in intelligente est, et velle in volente), et postmodum de potentia Dei, quæ consideratur ut principium operationis divinæ in effectum exteriorem procedentis. » *(Q. XIV, prol.)*. Et cum in Deo quædam ad voluntatem simul et intellectum pertineant, de his etiam sermo est instituendus.

In hac igitur tertia tractatus parte, quatuor ponuntur capita:

In I. sermo erit de scientia Dei;
In II. de voluntate Dei;
In III. de his quæ ad voluntatem simul et intellectum pertinent, seu de providentia et prædestinatione;
In IV. de potentia Dei.

CAPUT I.

DE SCIENTIA DEI.

Scientia divina est *omnis objecti scibilis clara, certa et perfecta cognitio.* (Polm.) Perfectissimam in Deo existere scientiam, non solum ex sacris Litteris, sed ex ipsius etiam rationis naturali lumine tanta evidentia colligitur, ut ea non solum a Patribus Ecclesiæ, sed ab ipsis ethnicis, summis laudibus celebretur. Non est igitur quod in ea de Deo asserenda immoremur.

Quæ de scientia Dei dicenda occurrunt, quinque articulis absolventur. In art. I. disseretur de objecto scientiæ Dei; in II. de proprietatibus scientiæ Dei; in III. de divisione scientiæ Dei; in IV. de medio scientiæ Dei; in IV. de ideis divinis.

ARTICULUS I.

DE OBJECTO DIVINÆ SCIENTIÆ.

463. — Objectum scientiæ dicitur illud, quod a scientia attingitur. — Divinæ scientiæ duplex datur objectum, videlicet: *primarium* et *secundarium*. *Objectum primarium* est illud, quod primo et per se attingitur, et ratione cujus cætera attinguntur; *objectum secundarium* est illud, quod non ratione sui, sed ratione objecti primarii, cognoscitur. — Objectum primarium divinæ scientiæ est ipse Deus: objectum secundarium sunt omnia alia, quæ quocumque modo habent esse.

464. — **Prop. I.** *Deus seipsum intelligit, et quidem cognitione comprehensiva.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (I Cor. II. 10): *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et (ibid. II. 11): *Quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Quæ verba Deum seipsum cognoscere, et quidem perfectissime, perspicue demonstrant.

II. **Ex Ratione.** 1. Deus, utpote in summo gradu immaterialitatis existens, est ens maxime intelligibile. « Sed omne intelligibile, *ait S. Th.*, intelligitur secundum quod est unum actu cum intelligente: ipse autem Deus intelligens est. Igitur quum sit immaterialis omnino et maxime sibiipsi sit unum, maxime seipsum intelligit. » *(Cont. Gent. l. I. c. 47).*

2. Præterea, cognitionem, quam Deus habet de seipso, esse *comprehensivam*, manifestum est. Etenim: rem comprehendere, est ipsam cognoscere quantum est cognoscibilis; sed virtus Dei cognoscitiva, cum sit infinita, adæquat ejus cogno-

scibilitatem. Seipsum ergo perfecte comprehendit. *(Cf. S. Th. q. XIV, a. 3).*

465. — Prop. II. *Deus cognoscit alia a se, scilicet omnem creaturam.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis.

I. Prob. prop. *in genere.*

1. **Ex Script. S.** (Ps. CXXXVIII, 5): *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima, et antiqua.* — (Hebr. IV, 13): *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* — (Eccli., XXXIX, 24): *Non est quidquam absconditum ab oculis ejus.*

2. **Ex Ratione.** Deus « seipsum perfecte intelligit, *ait S. Th.* Si autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est quod virtus ejus perfecte cognoscatur. Virtus autem alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea ad quæ virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium, necesse est quod Deus alia a se cognoscat. » *(Q. XIV, a. 10).*

II. Prob. prop. *discurrendo per singula entium genera.*

Quæ a Deo sunt distincta, sunt vel res actu existentes, vel res possibiles, vel mala, vel futura cum absoluta tum conditionata. Hæc autem omnia cognoscit Deus:

1. *Creaturas actu existentes*, etiam cogitationes cordium, cognoscit: (Job. XXVIII, 24): *Ipse fines mundi intuetur, et omnia quæ sub cælo sunt respicit.* — (I Paral. XXVIII, 9): *Omnia corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit.* — (Job. XLII, 2): *Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.*

2. *Cognoscit omnia possibilia*, etiam *non entia.* (Rom. IV, 17): *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.*

« Deus scit omnia quæcumque sunt quocumque modo, *ait S. Th.* Nihil autem prohibet ea quæ non sunt simpliciter, aliquo modo esse. Simpliciter enim sunt, quæ actu sunt. Ea vero quæ non sunt actu, sunt in potentia, vel ipsius Dei, vel creaturæ; sive in potentia activa, sive in passiva; sive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo significandi. Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, et etiam quæcumque ipse facere potest,

omnia cognoscit Deus, etiamsi actu non sint. Et pro tanto dici potest, quod habet etiam non entium scientiam. » (*Q. XIV, a. 9*).

3. *Cognoscit mala.* Mala trifariam dividuntur: in malum scilicet naturæ, in malum pœnæ, et in malum culpæ. Hæc cognoscit Deus. *a)* Malum naturæ, (Sap. VIII, 8): *Signa et monstra scit antequam fiant. — b)* Malum pœnæ, (Eccli., XI, 14): *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt.* Si autem a Domino sunt, ab ipso utique cognoscuntur. *c)* Malum culpæ, (Ps. LXVIII, 6): *Deus, tu scis insipientiam meam; et delicta mea a te non sunt abscondita.*

Quomodo autem Deus mala cognoscat, *explicat S. Th.*: « Quicumque perfecte cognoscit aliquid, oportet quod cognoscat omnia quæ possunt illi accidere. Sunt autem quædam bona, quibus accidere potest ut per mala corrumpantur. Unde Deus non perfecte cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. Sic autem est cognoscibile unumquodque, secundum quod est. Unde cum hoc sit esse mali quod est privatio boni; per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala; sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. » (*Q. XIV, a. 10*).

4. *Cognoscit omnia futura*, tum absoluta, tum conditionata. — Futura absoluta ea dicuntur, quæ nondum sunt actu, sed quæ erunt actu in aliqua temporis differentia. Futurorum plura existunt genera: alia a causis necessariis dependent; ut, v. gr., quod sol eras orietur, vel quod in tali die eclipsis eveniet. Vocantur *futura necessaria.* — Alia, etsi a causis naturalibus procedant, non necessariam tamen, sed contingentem cum sua causa habent connexionem; ut, v. g., quod talis homo cæcus nascetur, vel quod tali die pluvia cadet. Vocantur *futura contingentia.* — Alia demum sunt, quæ a causis liberis procedunt, quales sunt omnes actiones liberæ hominis. Vocantur *futura contingentia libera.*

Futura conditionata *stricte sumpta* ea sunt, quæ nunquam de facto existent; existerent autem aliquando, si aliqua conditio poneretur; v. g., conversio Tyriorum, et Sydoniorum, si apud eos facta fuissent prodigia, quæ facta sunt apud Corosaitas, ut legitur Matth. XI. — Vocantur etiam *futuribilia.*

Hæc omnia futura cognoscit Deus:

A. Cognoscit *futura necessaria et contingentia:* (Sap. VIII, 8): *Scit præterita, de futuris æstimat... Signa et monstra scit*

antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum. — (Eccli. XXIII, 29): *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita.* — (Dan. XIII, 42): *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.*

B. Cognoscit *futura libera:* (Ps. CXXXVIII, 3): *Intellexisti cogitationes meas de longe.* — (Is. XLVIII, 8): *Scio quia prævaricans prævaricaberis, et transgressorem ex utero vocavi te.* In his autem agitur de liberis hominum actionibus. — *Suffragatur ratio:* Si Deus non ab æterno, sed tunc solum quando eveniunt, futuras hominis actiones liberas cognosceret, actum esset de ejus infinita perfectione, cum quædam ipsi deessent; actum esset de ejus immutabilitate, cum ipsius scientiæ accessio fieret: actum esset de providentiæ ac prædestinationis certitudine, cum hæc omnium futurorum certam prævisionem expostulet.

C. Cognoscit *conditionate futura*, et quidem certo et infallibiliter, neque solum conjecturaliter.

Prob. Deus, quæ prædicit, ea certo et infallibiliter cognoscit: prædictio enim Dei falli nequit. Sed Deus conditionate futura prædixit. V. gr., cum David Ceilam fuisset ingressus, ut narratur I. Reg. XXIII, et Saul urbem obsidere statuisset, David Dominum de duobus interrogat (v. 11): *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus? et si descendet Saul, sicut audit servus tuus... Et ait Dominus: Descendet... tradent.* Ergo Deus adventum Saul, et traditionem Davidis, quæ tamen locum non habuerunt, et ideo erant futura conditionata, certo et infallibiliter cognovit. *(Cf. etiam Matth. XI, 21-23 de conditionata Tyriorum conversione).*

ARTICULUS II.

DE DIVINÆ SCIENTIÆ PROPRIETATIBUS.

466. — Scientia Dei altioris, quam scientia creata, est ordinis, et eximiis præ ea gaudet proprietatibus.

I. *Scientia Dei non est accidens, sed est ipsa Dei substantia.* — « In divinæ naturæ simplicitate mirabili, *ait S. Au-*

gust., non est aliud sapere, aliud esse; sed quod est sapere, hoc est et esse. » *(De Trinit., l. XV, c. 13).* Et ratio est quia, *ut ait S. Th. (Cont. Gent., l. I, c. 45)* « Intelligere est actus intelligentis. Si igitur Deus est intelligens et non sit suum intelligere, oportet quod comparetur ad ipsum, sicut potentia ad actum. Et ita potentia erit in Deo et actus, quod est impossibile. » Intelligere Dei est igitur ipsa ejus essentia. Et ideo « in Deo intellectus, intelligens, et id quod intelligitur, et species intelligibilis, et ipsum intelligere, sunt omnino unum et idem. » *(S. Th., q. XIV, a. 4).*

467. — II. *Scientia Dei a rebus creatis est omnino independens*[1]. — Deus creaturas intelligit non in seipsis, scilicet per species ipsis proprias et adæquatas, sed in seipso, in sua scilicet essentia, in qua omnia videt. « Neque enim ea quæ sunt, *ait S. Dionys.*, ex iis quæ sunt discens, novit divina mens; sed ex se, et in se, per causam, rerum omnium cognitionem et scientiam habet. » *(De div. nom., c. 7).* — Et *S. Th. (q. XIV, a. 5):* Deus, inquit, « alia a se videt, non in ipsis, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. »

Idem suadet ratio: Si Deus cognitionem a rebus acciperet, ab ipsis perficeretur; quod repugnat. — *Præterea*, si in Deo species quædam præter ipsam essentiam existeret, species illa esset aliquid accidentale. In Deo autem nullum accidens inesse potest.

468. — **Scholia.** I. Illud quærenti, nimirum quomodo fiat, ut Deus in seipso omnia cognoscat, S. Thomas et S. Dionysius duplicem rationem afferunt: *a)* Quia essentia Dei eminenter « continet similitudinem aliorum ab ipso, » in qua essentia « species omnium rerum comprehenduntur. » (Q. XIV, a. 5). — *b)* Quia Deus cognoscit omnia in sua essentia, tanquam in causa omnium: « Ipse Deus est perfecta causa omnium, quæ ab ipso sunt, cum nihil possit accipi, quod ab ipso non sit: Et ideo ipse per essentiam suam omnia perfecte cognoscit. » *(S. Th., I. Sent. dist. 35, a. 3, ad 2).*

II. Quando dicitur Deum alia a se non in seipsis, sed in seipso cognoscere, hoc non ita accipiendum est, quasi Deus cognoscat res tantum secundum illud esse, quod habent in essentia divina.

[1] Cf. S. Th., q. XIV, a. 5, et Sylvius, in hunc art.

et non secundum ipsissimam realitatem, quam ad extra in propriis suis naturis habent. Sed sic est intelligendum, quod res non sint *objectum motivum* scientiæ Dei, quia Deus res cognoscit in sua essentia, et omnino independenter ab eis, nec per species ab eis acceptas aut ipsis adæquatas. Res tamen sunt *objectum terminativum* scientiæ Dei, quia Deus unamquamque rem secundum illud esse, quod quælibet in se ipsa habet, cognoscit. Dicitur enim (Gen. I, 31): *Viditque Deus cuncta quæ fecerat; et erant valde bona.* — (Ps. XXXII, 13): *De cælo respexit Dominus; vidit omnes filios hominum.* Quæ quidem verba non de alia, quam de cognitione terminata objecto extra Deum posito, intelligi possunt.

469. — III. *Deus de omnibus rebus propriam habet cognitionem.* — « Habere cognitionem propriam de rebus, est cognoscere res non solum in communi, sed secundum quod sunt ab invicem distinctæ. » *(S. Th., q. XIV, a. 6).* Sed Deus in seipso res, secundum quod sunt ab invicem distinctæ, cognoscit. « Propria enim natura uniuscujusque consistit secundum quod per aliquem modum divinam perfectionem participat. Non autem Deus perfecte seipsum cognosceret, nisi cognosceret quomodocumque participabilis est ab aliis sua perfectio. Nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi. Unde manifestum est quod Deus cognoscit omnes res propria cognitione, secundum quod ab aliis distinguuntur. » *(S. Th., loc. cit.).*

470. — IV. *Scientia Dei est simultanea et intuitiva; est invariabilis et absque discursu; semper actualis, nunquam vero habitualis.*

1. *Est simultanea et intuitiva.* « Deus, *ait S. August.*, ita omnia cognoscit, ut nec ea quæ dicuntur præterita, sibi prætereant, nec ea quæ dicuntur futura, quasi desint exspectentur ut veniant; sed et præterita et futura cum præsentibus sint cuncta præsentia. » *(De Trinit., l. XV, c. 7).* — *S. Thomas:* « Cum intelligere Dei, *inquit*, quod est ejus esse, æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur in totum tempus, et in omnia quæ sunt in quocumque tempore, sicut in subjecta sibi præsentialiter. » *(Q. XIV, a. 9 — Cf. Cont. Gent., l. I, c. 55).*

2. *Est invariabilis:* « Novit Deus omnia, *inquit S. August.*, et cum decidant ac succedant tempora, non decidit aliquid, vel succedit scientiæ Dei. » *(De Trinit., l. VI, c. 10).* — Et *S. Th.:* « Cum scientia Dei sit ejus substantia; sicut substantia ejus est omnino immutabilis, ita oportet scientiam ejus omnino invariabilem esse. » *(Q. XIV, a. 15).*

3. *Est absque discursu.* Duplex datur discursus, nempe: unus secundum successionem tantum; v. gr., cum unum post aliud intelligimus; hunc in Deo non adesse, ex eo manifestum est, quod Deus unico intuitu omnia simul intelligat. — Alter secundum causalitatem; v. gr., quando ex principiis in cognitionem conclusionum devenimus. Hunc a Deo abesse constat: *a*) ex eo quod supponat discursum secundum successionem; hic autem in Deo non adest; *b*) ex eo quod discursus secundum causalitatem est procedentis de notis ad ignota; Deo autem nihil est ignotum. *(S. Th., q. XIV, a. 7. — Cont. Gent. I, c. 57 et 58).*

4. Est semper *actualis,* nunquam vero *habitualis:* sequitur ex dictis.

471. — V. *Scientia Dei est causa rerum.* Scientiam Dei esse modo aliquo causam rerum, fide certum est, secundum illud (Ps. CIII, 24): *Omnia in sapientia fecisti.* (Prov. III, 19): *Dominus sapientia fundavit terram.* At vero scientia divina, quæ causa rerum dicitur, non est scientia nude considerata, quia, *ut ait S. Th.,* « scientia secundum rationem scientiæ non dicit aliquam causalitatem, alias omnis scientia causa esset. » *(I Sent., D. 38, q. 1, a. 1)*; sed est scientia cum voluntate conjuncta; Deus enim, ut dicitur (Ephes. I, 11): *Omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.* Res igitur a scientia Dei per voluntatem procedunt; « unde necesse est, *addit S. Th.,* quod sua scientia sit causa rerum secundum quod habet voluntatem conjunctam. » (Q. XIV, a. 8).

472. — **Scholium.** Circa causalitatem divinæ scientiæ disputant auctores [1]: Utrum scilicet scientia Dei ita sit causa rerum, ut res eve-

[1] Cf. Duhamel, *Theol. Specul.*, Tract. 1, l. IV, c. 4 et 5; Thomassin, *De Deo*, l. VIII, præsertim c. 17 et 19 (pag. 441 et 448).

niant quia Deus scit; vel an Deus sciat, quia res eveniunt? Qui præmotionem physicam admittunt, hanc sententiam strenue tuentur, nimirum, omnia evenire, etiam actus liberos hominum, quia Deus scit. Hi suam sententiam Patrum auctoritate fulcire conantur. — Qui præmotionem physicam respuunt, docent actus hominum liberos non evenire, quia Deus scit; sed Deum scire, quia eveniunt. Hi suam sententiam Patrum testimoniis etiam roborant.

Quam ultimam amplectimur sententiam, si sermo est de actibus liberis ordinis naturalis, vel de actibus supernaturalibus, qui sub motione gratiæ sufficientis ab homine ponuntur; si vero agitur de actibus, qui sub motione gratiæ suapte natura et ab intrinseco efficacis ponuntur, primæ adstipulamur sententiæ. Sed de his infra.

ARTICULUS III.

DE DIVISIONE SCIENTIÆ DEI.

473. — Scientia Dei formaliter et in se spectata, *unica est ac simplicissima:* siquidem est ipsa Dei essentia, quæ unico intuitu omnia perfectissime ac immutabiliter in se contemplatur. Doctores tamen, ut in tractationibus theologicis divinam scientiam humano captui accommodarent, eam pro varietate objectorum, ad quæ sese extendit, distinguere consueverunt. Nostro igitur modo concipiendi, Scientia Dei distinguitur:

1. In Scientiam *necessariam* et *liberam*. Scientia *necessaria* est cognitio objecti independentis a libera Dei voluntate: ut est ipse Deus, et omne ens possibile. — Scientia *libera* est cognitio objecti pendentis a libera Dei voluntate, cujusmodi sunt omnia creata, tam existentia, quam futura.

2. In Scientiam *speculativam* et *practicam*. *Speculativa* ea dicitur, quæ res solum contemplatur, non autem efficit; talis est ea, quam Deus habet vel de seipso, vel de rebus possibilibus, quæ existentiam actu nunquam sortientur. — *Practica* ea dicitur, quæ suum objectum non solum cognoscit, sed etiam efficit.

3. In Scientiam *approbationis* et *improbationis*. Scientia *approbationis* ea dicitur, quæ circa bona versatur, eaque approbat. — Scientia *improbationis* ea est, quæ circa mala versatur, eaque improbat.

4. In Scientiam *simplicis intelligentiæ* et *scientiam visionis:* quæ divisio est omnium celeberrima. Scientia *simplicis intelligentiæ* est cognitio rerum possibilium, *qua talium,* abstrahendo ab earum existentia in quacumque differentia temporis præteriti, præsentis et futuri. *(Polm.).* Hæc scientia Deo est omnino necessaria, nec potest non haberi, utpote quæ in Deo visionem divinæ Essentiæ consequatur. — Scientia *visionis* ea est, qua Deus cognoscit res quæ fuerunt, sunt, vel erunt.

474. — De Scientia Media. — Præter scientiam simplicis intelligentiæ et scientiam visionis, theologi S. J. necnon pauci extranei, tertiam admittunt scientiam, scientiam scilicet *conditionatorum,* quam etiam *scientiam mediam* nuncupant. Objectum hujus scientiæ dicunt esse futurum liberum conditionatum, quod scilicet dependet a conditione, sive conditio ponenda sit, sive non. Si ponetur conditio, futurum conditionatum accedit ad futurum absolutum, et scientiæ visionis etiam subjacet; si vero conditio non ponetur, erit *pure* conditionatum, quod vocatur etiam *futuribile.*

Hæc scientia vocatur *media,* quia media est inter scientiam visionis et scientiam simplicis intelligentiæ: objectum enim ejus est *medium* inter objectum scientiæ simplicis intelligentiæ, et objectum scientiæ visionis: quandoquidem, quod est futurum dependenter a quadam conditione, illud est plus quam simplex possibile, et minus quam realiter existens.

475. — Propugnatores scientiæ mediæ eam ad duo necessariam esse autumant: scilicet, primum, ut Deus in decretis suis absolutis circa hominum salutem formandis dirigatur; deinde, ut humana libertas cum efficacia divinæ gratiæ conciliari possit. Enimvero, aiunt, antequam Deus circa homines aliquid absolute statuat, explorat quid in hoc vel in illo ordine, si hæc vel illa gratia ipsi concedatur, voluntas creata sit factura; qua exploratione præeunte, decernit Deus decreto absoluto dare hoc illudve auxilium, quod scientia media agnovit fore efficax propter consensum voluntatis, vel inefficax propter ejusdem voluntatis dissensum. Ex quo liquet, voluntatis electionem sub influxu divinæ gratiæ quantumvis efficacis semper perfecte liberam remanere:

476. — Scientiam mediam rejicit S. Alphonsus, ut ex ejus litteris ad Remondini, die 9 decembris 1769, constat: « Scias atque hoc omnibus dico, *inquit S. Doctor*, me in meo libro Concilii Tridentini, doctrinis scholasticis Patrum Societatis non favere; ipsi enim mordicus defendunt scientiam mediam; ego vero ipsam ex proposito oppugno. » — Ipsam rejiciunt quotquot gratiam ab intrinseco efficacem admittunt: et quidem merito. Etenim scientia media:

a) Superflua est ad finem, ob quem fuit excogitata. Excogitata est ad efficaciam gratiæ cum libertate creata conciliandam: sed ad hanc conciliationem nullo modo necessaria est scientia media, ut in tractatu de gratia fuse explicabitur. — Et si in hac conciliatione, qualis ab aliis statuitur, quædam superest difficultas, hæc nec cum scientia media evanescit, ut sapienter monet *Schultzer*[1]: « Si quæ difficultas est in concilianda hominis libertate cum efficacia gratiæ, tunc eamdem etiam patiuntur Molinistæ: si enim, ut ipsi falso supponunt, id necessario sequitur, quod ex præscientia sequitur, tunc præviso per scientiam mediam hominis consensu gratiæ versatili præstando, homo in tempore operans non potest dissentire illi gratiæ, quia secus Scientiam Dei redderet fallacem: ergo necessario operatur: ergo Molinistæ non salvant istam concordiam. »

b) Caret objecto. Inter objectum scientiæ simplicis intelligentiæ et objectum scientiæ visionis non datur objectum medium. Atqui si non est objectum medium, neque datur scientia media.

Prob. major. Objectum scientiæ simplicis intelligentiæ est ens possibile: objectum scientiæ visionis est ens existens in aliqua temporis differentia. Sed inter esse et non esse, non est medium. Ergo.

c) Non caret nota novitatis: quod autem in Ecclesia est novum, eo ipso suspicioni est obnoxium.

Probare quidem conantur Suarez aliique recentiores[2], Sanctum Augustinum, aliosque Ecclesiæ Patres, necnon antiquiores theologos

[1] *De Deo*, c. IV, § 3. (pag. 113. -- [2] Cf. Daniel S. J., Litt. IX.

eam scientiam, licet tacito nomine, cognovisse, atque ea usos esse. Priores vero ejusdem scientiæ defensores hoc negant, Molinamque hujus scientiæ inventorem celebrant; imo ipse Molina gloriatur se primum esse, qui illam scientiam ad efficaciam gratiæ cum libertate creata conciliandam in medium protulerit, neque ullum alium ante seipsum hanc scientiam cognovisse. En ipsius verba[1]: « Nos pro nostra tenuitate rationem totam conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia, et prædestinatione.... tradidimus; quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta; neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia, et prædestinatione cohærere non posse; neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent. » Et Paulo post, addit Molina[2]: « Neque vero dubito, quin ab Augustino et cæteris Patribus unanimi consensu comprabata fuisset hæc nostra de prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia, et prædestinatione, si eis proposita fuisset. » Denique concludit: « Hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione, a nemine, quem viderim, huc usque tradita est. »

Et *Typhanius S. J.*[3], « nullum alium Theologum ante Molinam, ne per somnium quidem, de scientia media cogitasse, nec illam ullibi, vel supposuisse, vel adhibuisse. »

Ex his, aliorumque Patrum S. J. testimoniis[4], liquido apparet hanc scientam ante Molinam fuisse incognitam, ac proinde novitatis notam effugere non posse.

ARTICULUS IV.

DE MEDIO SCIENTIÆ DEI.

477. — Deus res creatas non in seipsis, sed in sua propria essentia, in qua omnium rerum similitudines præexistunt, cognoscit. Cum vero divina essentia omnia, tam possibilia quam existentia, per se æqualiter repræsentet, ideo necesse est ut, nostro modo concipiendi, præter divinam essentiam aliquid aliud assignetur, in quo tanquam in ratione

[1] *Concord.*, q. XXIII, a. 4 et 5 (edit. Lethielleux, 1876, pag. 548). — [2] *Loc. cit.*, p. 550. — [3] *De ordine, deque priori et posteriori*, C. 24 (apud Wenzl, p. 530). — [4] Cf. Billuart, D. VI, a. 6, § 7 et Dummermuth. *S. Thomas et doct. de præmot. phys.*, p. 750, et *Defensio Doctr. S. Th.*, p. 429.

prius cognita, diversæ res a Deo videantur. Et præcise illud in quo, tanquam ratione prius cognita, Deus res a se distinctas videt, *medium in quo* divinæ scientiæ nuncupatur.

Inter omnes doctores convenit, Deum seipsum immediate absque ullo medio cognoscere. — Communis doctorum sententia etiam tenet, Deum possibilia videre in sua essentia ut imitabili, et in sua omnipotentia; futura vero necessaria a solo Deo dependentia, necnon et contingentia a causis naturalibus dependentia, Deum videre in decretis suis absolute prædeterminantibus.

Si vero de futuris actibus liberis quæstio moveatur, magna inter doctos fervet controversia.

478. — 1. **Antiquiores Thomistæ** [1] docent, Deum omnia futura contingentia cognoscere, quippe quia intuitus Dei, qui mensuratur æternitate, fertur ab æterno super omnia, prout sunt ei physice præsentia. (cf. n. 445, IV).

Sed hæc solutio difficultatem non solvit: quantumvis enim res sint Deo physice præsentes in æternitate, illud tamen adhuc restat, ut declaretur, quæ sit ratio pro divino intellectu, qua futurum in sua præsentialitate positum, attingat.

2. **Juniores thomistæ,** post Bannez, docent, Deum actus futuros liberos ordinis cum naturalis tum supernaturalis cognoscere in decretis suis absolutis physice prædeterminantibus: — peccata vero præcognoscere, sive in eisdem decretis absolutis prædeterminantibus ad entitatem physicam actus, cui a prava hominis voluntate accedit malitia, ut dicunt rigidiores thomistæ; sive *in decreto permissivo*, quod est « actus voluntatis divinæ, quo Deus vult aliquibus denegare tale auxilium, cum quo consentirent » [2], ut dicunt alii.

Plura in hac thomistarum explicatione displicent: a) fundatur in prædeterminatione physica, quacum libertas creata non videtur salvari; *b)* hoc affirmare, scilicet: quod Deus ad entitatem physicam actus peccaminosi prædeterminet, illud Deo plane indignum videtur; *c)* hoc dicere, nempe: quod in tentatione Deus quibusdam concedat solam gratiam sufficientem, sumptam in sensu thomistarum, illud videtur Dei bonitati atque seriæ ejus voluntati salvandi omnes homines repugnare; *d)* denique neque concedendum est, hominem, absque gratia ab intrinseco efficaci, ne levissimam quidem tentationem vincere posse. *(De quibus cf. tract. de Gratia, P. I, c. IV, a. 3).*

[1] Cf. Cajetan. q. XIV, a. 13; Capreolus, I Sent., D. 26; Marsilius ab Inghem, I Sent., q. 40 (fol. 168); S. Th., q. XIV, a. 13. — [2] Gavardi, q. III, a. 7 (T. 2, p. 91).

3. **Major pars scotistarum** docet, Deum futura libera cognoscere in suo decreto concomitante seu condeterminante, vi cujus Deus, una cum voluntate humana, ad eumdem actum concurrit.

Sed contra est: Inter concursum Dei simultaneum et determinationem voluntatis creatæ, quædam requiritur connexio. Ergo vel concursus Dei est causa determinationis humanæ : et sic redeunt decreta antecedentia thomistarum, quæ scotistæ rejiciunt; vel determinatio humanæ voluntatis, tanquam prius a Deo cognita, est occasio concursus: et sic redit quæstio: quonam in medio Deus videat determinationem voluntatis humanæ, quæ ponitur ut occasio concursus. — Si vero nulla admittitur connexio, Deus cæco modo et sine ratione sufficienti hoc potius quam aliud poneret decretum: quod est Deo indignum.

4. **Ex iis, qui scientiam mediam admittunt,** alii dicunt cum Molina, Deum omnia futura libera cognoscere in voluntate humana, quam supercomprehendit; alii vero docent cum Suarez, Deum illa futura cognoscere per suam essentiam in earum veritate objectiva. Quia, ut dicunt, essentia divina, in qua omnium futurorum ideæ præexistunt, ex se determinata est ad cognoscendum omne verum; cum autem actus contingentes sint determinate veri, ipsi sunt immediate terminus divinæ cognitionis, non quidem ut causæ moventes, sed ut conditiones divinæ intuitionis.

Sed nec hæc explicatio valet: a) non supercomprehensio voluntatis. « Quantumcumque enim, *ait Kleutgen* [1], et voluntas ipsa et res adjunctæ omnes comprehendantur, non potest in iis videri, quod in iis non est. Atqui nec in voluntate nec in rebus cæteris sive singulis sive universis est, quod voluntatem, si quidem vere libera sit, determinet. Dum autem non cognoscitur id, quod voluntatem determinet, nec quam partem sit electura prævidetur. » — *b)* Non rerum objectiva veritas. Verum quidem est, divinam essentiam omnia repræsentare : sed per se tam possibilia quam reapse futura repræsentat. Porro, in præfata explicatione non explicatur quid sit illud, quod divinam essentiam determinat ad repræsentandum futurum, ut realiter exstiturum, et non solum ut possibile. Quocirca hæc explicatio quæsito non respondet [2].

5. **Rigidiores Augustiniani** docent, Deum omnia futura ordinis supernaturalis, pro statu naturæ lapsæ, videre in decreto absoluto dandi gratiam ex se efficacem, quæ hominem infallibiliter ad bonum efficiendum adducit; futura vero ordinis naturalis, necnon et actus supernaturales pro statu naturæ innocentis, Deum cognoscere, quia sunt Deo physice præsentia in sua æternitate.

[1] *De Deo,* l. I, q. III, c. 2, art. 17 (p. 324). — [2] Cf. Kleutg., *loc. cit.,* pag. 321.

Sed contra: a) Per hoc quod actus naturales, aut actus supernaturales pro statu innocentiæ, sint Deo physice præsentes in sua æternitate, modus non explicatur, quo Deus eos attingat, ut supra contra thomistas antiquiores notatum est. — *b)* Ad actus supernaturales status naturæ lapsæ quod attinet, optima foret solutio si certo constaret, nullum actum salutarem, quantumvis parvum, ab homine poni posse, nisi sub motione gratiæ suapte natura et ab intriseco efficacis. Sed, ut dicetur in tractatu de gratia, absque gratia ab intrinseco efficaci, sed cum sola gratia sufficiente seu versatili, quæ cum effectu infallibilem causalitatis connexionem non habet, homo quædam faciliora opera salutaria reapse elicere potest. Quare integra remanet difficultas: quonam in medio Deus videat actus salutares, qui ab homine sub motione solius gratiæ sufficientis ponuntur?

479. — **Conclusio.** — Qua in quæstione intricatissima, utpote cum tanta vigeat opinionum diversitas, quid verius sit, cognitu est perdifficile. Quod tamen hac in re probabilius videtur, ex sequenti explanatione patebit.

1. Ea opera supernaturalia, quæ sub motione gratiæ suapte natura efficacis ponuntur, sive hæc moveat motione physica, ut contendunt thomistæ, sive moveat motione morali, ut rectius dicunt augustiniani, a Deo prævidentur certitudinaliter in decreto dandi gratiam ex se efficacem. Cum enim, posita tali gratia, voluntas infallibiliter et ineluctabiliter ad actum determinetur, ideirco decretum dandi talem gratiam, est, nostro modo concipiendi, ratio sufficiens pro Deo videndi effectum cum omnimoda certitudine.

2. Si agitur de contingentibus ordinis naturalis, vel de actibus ordinis supernaturalis sub motione gratiæ sufficientis, quæ cum consensu voluntatis infallibilem non habet connexionem, tunc modus, quo Deus ea cognoscit, incomprehensibilis **nobis est atque inexplicabilis.**

Prob. I. **Ex Ratione.** Quæ de Deo cognoscimus, ea vel per rationem naturalem, vel per revelationem habemus. Atqui ex neutro fonte modus, quo Deus prædicta contingentia cognoscat, nobis manifestatur.

a) Non ex ratione naturali: Cum modus cognoscendi sequatur modum essendi, ideo, ut modum quo Deus cognoscit naturaliter cognoscere possemus, modum, quo existit, per-

fecte cognoscere deberemus. Sed perfecta notio de modo essendi Dei est nobis naturaliter impervia. Ergo et ejus modus cognoscendi.

b) Non ex revelatione: perfectissimam in Deo existere scientiam, divina revelatio nobis manifestat; de modo autem quo, seu de medio in quo Deus cognoscit, prorsus silet; nec ulla etiam suppeditat principia, ex quibus modum, quo Deus prædicta futura contingentia cognoscat, deducere possimus; nullum siquidem tale principium in medium unquam adferri potuit.

II. **Ex Auctoritate.** 1. « Non audeamus dicere, *inquit S. Augustinus,* quomodo novit Deus? Ne forte hoc a me, fratres, exspectetis ut explicem vobis quomodo cognoscat Deus: hoc solum dico: non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut angelus; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum. *(In Ps. 49).*

2. De *medio in quo* scientiæ Dei, nullibi locutus est S. Thomas; sed unice affirmat Deum omnia videre, quia æternus ejus intuitus fertur in omnia sicut in subjecta sibi præsentialiter, quin modum indicet, quo æternus Dei intuitus subjecta sibi præsentialiter attingat. *(Cf. q. XIV, a. 3.)*

3. Qua de quæstione ait *Bellarminus* [1]: « Res est omnino difficilis et fortasse in hac vita incomprehensibilis, qua ratione Deus futura prænoscat. Et hoc videtur indicasse David in Ps. 138, cum ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam.* Illud enim *ex me* hebraica phrasi significat *præ me,* sive *super me,* ut sensus sit: Mirabilior est modus scientiæ tuæ, quam ut ego comprehendere possim. »

4. Hanc quæstionem non pauci ex antiquioribus theologis insolubilem judicarunt, *teste Greg. Arim.*[2]: « Dico ergo, *inquit,* conformiter intentioni Augustini, Damasceni atque Boetii, necnon etiam plurium doctorum magnorum modernorum, quod modus iste, quo Dei sapientia cuncta futura certe prænoscit, incomprehensibilis et inexplicabilis nobis est. » —

[1] *De Grat,* l. IV, c. 15. — [2] I Sent., D. 38, a. 2.

Et *Guill. Okam*[1] : « Indubitanter est tenendum quod Deus certitudinaliter et evidenter scit omnia futura contingentia ; sed hoc evidenter declarare, et modum quo scit omnia futura contingentia exprimere, est impossibile omni intellectui pro statu isto. » — Et *Petrus ab Alliaco*[2] : « Ideo aliter dicunt aliqui quod modus ille, quo Deus cuncta futura certitudinaliter præcognoscit, non est nobis clare intelligibilis nec a nobis perfecte explicabilis pro statu viæ. »

5. Ex recentioribus jam plures iterum affirmant hanc quæstionem esse nobis insolubilem, ut Kleutgen [3], Egger [4], Lambrecht [5], Dalponte [6], de Regnon [7]. — In hac igitur quæstione satius est dicere cum Okam *(loc. cit.)* « quod Deus evidenter cognoscit omnia futura contingentia, sed modum exprimere nescio. »

ARTICULUS V.

DE IDEIS DIVINIS.

480. — « Quia omne cognitum in cognoscente est, *ait S. Th.*, rationes autem rerum secundum quod sunt in Deo cognoscente, ideæ vocantur, cum consideratione scientiæ erit etiam adjungenda consideratio de ideis. » *(Q. XIV, prol.)*.

I. *Idea*, vox græca, latine idem significat ac *forma*, seu *species*, et *similitudo*. « Unde per ideas, *ait S. Th.*, intelliguntur formæ aliquarum rerum præter ipsas res existentes. Forma autem alicujus rei præter ipsam existens, ad duo esse potest : vel ut sit exemplar ejus cujus dicitur forma, vel ut sit principium cognitionis ipsius, secundum quod formæ cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente. » *(Q. XIV, a. 1)*.

Si idea intelligatur prout est principium cognitionis, tunc sumitur *communiter*, et ad scientiam etiam speculativam pertinere potest ; si vero idea stricto sensu et secundum propriam nominis rationem intelligatur, tunc exemplar, ad cujus imitationem aliquid fit vel fieri potest, semper significat ; atque ad scientiam practicam unice pertinet.

[1] I Sent., D. 38, q. I. — [2] In I Sent. q. XI, in fine puncti 2. — [3] *De Deo*, l. I, q. III, c. 2, a. 17 (p. 325). — [4] *Enchirid.*, Tr. I, Sect. III, c. 1, § 2. — [5] *De Deo*, P. II, c. IV, § 1 (p. 174). — [6] *Compend. theol.*, De Deo, c. IV, a. 3 (p. 86). — [7] *Bannez et Molina*, p. 113 et seq.

481. — Sumpta secundum propriam nominis rationem, idea ex S. Thoma definitur: *forma intelligibilis intra ipsum artificem existens, ad quam respiciens ipse artifex operatur.*

Tria ad rationem ideæ requiruntur, videlicet: 1. ut sit forma, quam aliquid imitatur; siquidem idea est exemplar rei exemplatæ; 2. ut ista imitatio fiat ex intentione agentis, et non fortuito; 3. ut tale agens finem sibi libere determinet, et non agat ex necessitate. Quartam conditionem ex prioribus fluentem addunt nonnulli, ut scilicet illa forma sit ratio cognoscendi illud, quod ab operante per ideam producitur.

II. Ideas in Deo existere, certum est omnino. « Omne agens per intellectum, *ait S. Th.*, habet rationem sui operis apud se, nisi ignoret quid agat. » *(De Verit. q. III, a. 1)*. Sed Deus est agens per intellectum; apud eum ergo sunt rationes seu ideæ omnium rerum. Unde canit Boetius *(De consol. l. III)*.

« Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique imagine formans. »

III. In Deo unica simul et multiplex est idea. Deus in sua essentia omnia præcognoscit; divina igitur essentia est idea omnium, non quidem prout essentia est, sed prout est essentia cognita ut similitudo et exemplar, ad cujus inspectionem creaturæ producuntur vel sunt producibiles. Dicendum est igitur, ex parte ipsius Dei unicam esse ideam, divinam scilicet essentiam, quæ est similitudo omnium; respectu vero creaturarum, quæ divinam essentiam diversimode imitantur, multiplices esse ideas. *(S. Th. De Verit. q. III, a. 2)*.

CAPUT II.

DE VOLUNTATE DEI.

482. — Voluntas est *appetitus seu inclinatio in bonum intellectu apprehensum.*

Voluntatem esse in Deo, *de fide* est, ex sacris Litteris; legimus, v. gr., (Rom. XII, 2): *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta;* — et in oratione dominica dicimus: *Fiat voluntas tua.* — Probatur etiam ratione: Voluntas necessario sequitur intellectum. Cum enim quælibet

res appetitum suæ naturæ proportionatum habeat, sicut docent philosophi, ideo necesse est ut in omni habente intellectum adsit proportionata inclinatio in bonum intellectu apprehensum, tendendo in illud si non habetur; quiescendo in illo si possidetur. Atqui in Deo est perfectissime intellectus. Ergo et voluntas. *(S. Th. q. XIX, a. 1).*

Ex illis quæ de Dei simplicitate dicta sunt, (n. 417 et seq.), sequitur voluntatem in Deo non esse potentiam ab essentia divina distinctam, nec ipsum divinum velle esse actum ab eadem essentia diversum. Sed quemadmodum Deus est suus intellectus, et suum intelligere, ita ipse est etiam sua voluntas et suum velle. Ex quo etiam sequitur, divinum velle, sicut divinam essentiam, esse unum, æternum, necessarium, infinitum et immutabile.

Divisio hujusce capitis. — De voluntate divina quinque investiganda occurrunt, videlicet: I. Objectum voluntatis divinæ: II. Ejus libertas: III. Ipsius divisio; IV. Ipsius efficacia; V. Ipsius proprietates seu affectiones et virtutes.

ARTICULUS I.

DE OBJECTO VOLUNTATIS DIVINÆ.

483. — Voluntatis objectum formale in genere est bonum: quæritur ergo de voluntate divina, quodnam sit bonum, ad quod fertur. — Objectum voluntatis potest esse duplex, principale scilicet et secundarium. *Objectum principale* est illud, quod per se et ratione sui voluntatem movet, atque ab ea attingitur, et quod est illi causa volendi alia; volitum igitur principale est *motivum et terminativum* voluntatis. — *Volitum secundarium* est illud, quod ordinatur ad volitum primarium tanquam ad finem, et quod proinde non ratione sui, sed ratione primi voliti a voluntate attingitur; cujusmodi v. gr., est volitio medicinæ propter sanitatem.

484. — Prop. I. *Objectum primarium divinæ voluntatis est sola Dei bonitas.*

Ad fidem pertinet, secundum illud (Prov. XVI, 4): *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.*

Prob. **Ex Ratione.** 1. Objectum primarium voluntatis illud est, quod ei perfecte respondet, eamque perfecte satiat. Atqui sola bonitas divina voluntati divinæ perfecte respondet, eamque perfecte quietat: nam infinito solum respondet infinitum. Ergo sola bonitas divina est objectum primarium voluntatis divinæ.

2. « Principale volitum, *ait S. Th.*, unicuique volenti est causa volendi.... Si igitur Deus aliud velit principaliter quam seipsum, sequitur quod aliquid aliud sit ei causa volendi. Sed suum velle est suum esse. Ergo aliquid aliud erit ei causa essendi: quod est contra rationem primi entis. » *(Cont. Gent. I, 74).*

485. — Prop. II. *Objectum secundarium divinæ voluntatis sunt omnia creata.*

Ad fidem pertinet ex apertis Scripturæ testimoniis.

In propositione duo affirmantur, videlicet: 1. omnia creata sunt objectum divinæ voluntatis: 2. sed sunt objectum secundarium.

Prob. I Pars: I. **Ex Script. S.** Legimus (Sap. XI, 25): *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti.* — (Joan. III, 16): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* — (I Joan. IV, 19): *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*

II. **Ex Ratione:** Deus per intellectum et voluntatem operatur. Quod ergo Deus operatur, hoc vult. Sed Deus operatus est creaturas, largiendo eis esse. Vult ergo creaturas. Creaturæ igitur sunt objectum divinæ voluntatis.

II Pars propositionis fluit ex dictis in prop. præcedenti; et ulterius declarabitur ex dicendis de fine creationis, ubi probabitur omnia propter Deum esse creata. (cf. n. 650 et seq.).

486. — Prop. III. *Voluntas divina nullum malum directe et per se velle potest; malum physicum et malum pœnæ potest velle per accidens; malum vero culpæ nec per se nec per accidens velle potest, illud tamen potest permittere.*

Certa quoad I. II. et IV partem; *de fide* quoad tertiam, contra Calvinum [1], ex Trid., sess. VI, can. 6: « Si quis dixerit... mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive tantum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit. »

Prob. I Pars: *Deus nullum malum directe et per se velle potest.* Voluntas per se et directe nihil appetere potest, nisi quod rationem boni habeat. Atqui malum, in quantum malum, rationem boni non habet. Ergo nulla voluntas directe et per se malum appetere potest. Ergo nec voluntas divina. (S. Th. q. XIX, a. 9).

Prob. II Pars: *Per accidens Deus potest velle malum physicum et malum pœnæ.* Legimus (Eccli. XI, 14): *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt.* — (Is. XLV, 6, 7 : *Ego Dominus... faciens pacem et creans malum.* — Atqui si a Deo creantur mala, si mors est a Deo, ipsa sunt divinæ voluntatis objectum; sed non directe et per se; ergo indirecte et per accidens.

Suffragatur ratio: Voluntas intendit malum per accidens, quando aliquod bonum, quocum conjungitur malum, prosequitur; sicut, v. gr., judex, qui vult ordinem justitiæ, vult homicidam occidi. Deus autem vult directe conservationem ordinis universi, necnon et ordinis justitiæ conservationem. Sed conservatio ordinis universi malum naturæ pro aliquibus exigit; ordo vero justitiæ pro aliquibus malum pœnæ importat. Hæc igitur mala sunt per accidens objectum divinæ volitionis.

Prob. III Pars: *Malum culpæ nec per se nec per accidens Deus velle potest.* Deum peccatum *per se* velle non posse, non est quare probetur: quod enim suæ bonitati directe est oppositum, cujusmodi est peccatum, Deus per se velle nequit.

Deum nec *per accidens* posse peccatum velle, probatur:

a) **Ex Script. S.** Legimus (Ps. V, 5). *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* — (Sap. XIV, 9): *Odio sunt*

[1] Cf. S. Alph. *Hist. hær.*, Confut. XI, art. 6.

Deo impius et impietas ejus. Ex his aliisque permultis Scripturæ verbis perspicuum est, Deum nullo modo peccatum intendere posse.

b) **Ex Ratione.** Malum per accidens est privatio alicujus boni, quæ cum altero bono, quod prosequitur aliquis, conjungitur. « Nunquam igitur, *ait S. Th.*, appeteretur malum, nec etiam per accidens, nisi bonum cui conjungitur malum, magis appeteretur, quam bonum quod privatur per malum. Nullum autem bonum Deus magis vult quam suam bonitatem... unde malum culpæ, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult. » *(Q. XIX, a. 9).*

Prob. IV Pars: *Deus malum culpæ permittere potest.* Peccati permissio nulli divino attributo adversatur: *non sanctitati;* quia peccati permissio ejus approbationem non implicat: sed permittendo, Deus illud detestatur et reprobat. — *Non bonitati;* hæc non exigit ut Deus libertatem creatam, quæ ex natura sua defectibilis est, impeccabilem reddat: præterea, Deus ex bonitate sua omnibus sufficientia elargitur auxilia, quibus vel peccatum vitare, vel ex eo resurgere possint, dummodo velint. — *Non sapientiæ;* quia divina sapientia mala ad bonum ordinat: « decor divinæ sapientiæ, *ait S. Th.*, apparet in permissione malorum et ordinatione. » *(I Sent., D. 46, a. 4, ad 7).* — *Non denique cuidam alii attributo;* peccator enim volens nolens Deum glorificat, sive accipiendo misericorditer veniam, sive juste luendo pœnam peccatis promeritam.

ARTICULUS II.

DE LIBERTATE DIVINÆ VOLUNTATIS.

487. — Libertas est proprietas, qua voluntas in actibus suis exerendis, est a necessitate immunis; — seu brevius: est *facultas eligendi.*

Libertas multifarie dividitur: alia est *libertas a coactione,* quæ consistit in immunitate a violentia ab extrinseco illata: quam in Deo inesse libertatem, per se evidens est. — Alia est *libertas a necessitate,* quæ consistit in immunitate ab intrinseca propensione, qua agens vi propriæ suæ naturæ ad aliquid prosequendum necessario impelli-

tur. — Alia est *libertas exercitii*, qua aliquis actum quemdam ponere, vel ab eo abstinere potest. — Alia est *libertas specificationis*, qua aliquis potest speciem actus, hoc scilicet vel illud, eligere.

488. — Prop. I. *Deus quoad propriam suam bonitatem non habet libertatem a necessitate, sed seipsum tum quoad exercitium, tum quoad specificationem, necessario amat.*

De fide, ex doctrina de processione Spiritus Sancti.

Prob. 1. Spiritus Sanctus procedit ex amore, quo Pater et Filius se mutuo diligunt: atqui de fide est Spiritum Sanctum necessario, omnimoda necessitate, procedere (cf. n. 557, 3). Amor igitur Dei de seipso est omnino necessarius.

2. Illud a quolibet volente, tum quoad specificationem, tum quoad exercitium, necessario amatur, quod ei ab intellectu tanquam bonum adæquatum et ultimus finis, perfecte satians appetitum, proponitur. Atqui divina bonitas a divino intellectu Deo proponitur ut bonum adæquatum et ultimus finis, perfecte satians divinam voluntatem. Non potest igitur Deus suam bonitatem, tum quoad specificationem tum quoad exercitium, non amare.

489. — Prop. II. *In Deo relate ad creaturas est perfecta libertas tam exercitii quam specificationis.*

De fide, contra Calvinum, Hermetem, Guntherum: ex Conc. Vatic., *Const. Dei Filius*, can. 5: « Si quis... Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum, A. S. » — Et ab Innocentio II damnata est hæc Abælardi propositio: « Quod ea solummodo possit Deus facere vel dimittere vel eo modo tantum, vel eo tempore, quo facit, et non alio. » *(Denz. n. 316)*.

Prob. I. **Ex Script. S.** Testatur sæpius Scriptura Deum, vel libere ex consilio voluntatis suæ et ex propria electione agere; vel omnia quæcumque voluerit, fecisse. Legimus (Ps. XCIII, 1): *Deus ultionum libere egit.* — (Ephes. I, 11): *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* — (I Cor. I, 27): *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* — (P. CXXXIV, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra.*

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Ambrosius:* « Apostolus quoque dicit, quia omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult, id est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. » *(De fide, l. II, c. 6. n. 48).*

III. **Ex Ratione.** Qui aliquam rem vult unice tanquam medium ad finem, eam necessario vult, si absque ea finis obtineri nequeat; sed eam libere vult, si absque ea finis obtineri possit. Atqui, ex una parte, Deus creaturas vult unice in quantum ordinantur ad suam bonitatem; et ex altera, divina bonitas est in se perfecta, et potest esse absque creaturis, ex quibus nihil perfectionis ei accrescit. Si ergo Deus vult creaturas, eas vult libera voluntate. *(S. Th. q. XIX. a. 3).*

490. — Coroll. Ex dictis sequitur, voluntatem Dei esse etiam causam rerum. « Opus determinatum, ait S. Th., non progreditur nisi a determinato agente... Potentia autem Dei cum sit infinita, non magis determinatur ad hoc quam ad illud... Unde oportet quod supra rationem potentiæ sit aliquid aliud per quod opus determinetur. Hoc autem fit per scientiam, quæ propriam rationem rei cognoscit. Sed quia scientia se habet ad opposita, est enim bonorum et malorum, ideo oportet aliquid adhuc addere in quo perficiatur ratio causæ; et hoc est voluntas. » *(I Sent., D. XLV, a. 3).*

491. Scholium. *De conciliatione libertatis Dei cum ejus immutabilitate* [1].

De fide est, et Deum esse prorsus immutabilem, et Deum libera voluntate mundum creasse, quem potuisset non creare. Stat igitur perfecta Dei libertas cum perfecta ejus immutabilitate.

Exinde non parva enascitur difficultas: quomodo scilicet libertas Dei cum perfecta ejus immutabilitate stare possit. Etenim: Libertas consistit in indifferentia ad agendum; quod autem indifferenter se habet, potest esse et non esse, adeoque est contingens, potentiale, mutabile. Si igitur, ut dictum est, Deus creaturas potest velle et non velle, a potentia ad actum transire potest, vel saltem potuit; ac proinde nec est actus purus, nec ens necessarium; quod falsum est. In Deo igitur nulla eligendi libertas subsistere posse videtur.

Hac difficultate moti, non pauci philosophi Deum creaturas non libere, sed necessario produxisse, statuerunt. Eamdem difficultatem nonnulli theologi insolubilem putant; aliquo modo tamen ejus solutio dari potest.

[1] Cf. Gibbon, Tr. V, disp. 35, dub. 1 (p. 401).

1. In actu voluntatis duo sunt distinguenda, videlicet: entitas actus, et ejus terminus. Entitas actus quo Deus vult creaturam, est eadem quam actus quo vult seipsum; ac proinde, quoad substantiam actus, nulla datur in Deo libertas. « Divinum velle, *ait S. Th.*, necessitatem habere ex parte ipsius volentis et actus, indubitabiliter verum est: nam actio Dei est ejus essentia, quam constat esse æternam. » *(De Verit., q. XXIII, a. 4)*. Ille actus, necessarius et immutabilis quoad substantiam, est liber *terminative* quoad creaturas, quas Deus potest velle vel non velle, velle hoc vel illo modo, hac vel illa mensura.

2. Ad propositam igitur difficultatem respondendum est: libertatem omnem, ac proinde etiam divinam, aliquam exigere indifferentiam; sed non requiritur, ut hæc indifferentia sit indifferentia potentiæ ad actum, quæ mutationem involvit; sed sufficit indifferentia actus ad objectum ponendum vel non ponendum. Per hanc autem terminationem divina voluntas in se non mutatur; sed novam duntaxat relationem externam ad objectum accipit, quæ relatio ex parte creaturarum est realis, in Deo autem est tantum relatio rationis.

3. Nec mutationem voluntatis Dei arguunt illæ mutationes, quæ successive fiunt in rebus. Etenim « aliud est mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis eadem voluntate immutabiliter permanente, velle quod nunc fiat hoc, et postea fiat contrarium. » *(S. Th., q. XIX, a. 7)*. Deus igitur unico actu substantialiter immobili, vult operum suorum multifariam illam mutationem, quæ decursu temporis contingit. « Opera mutas, *ait S. August.*, nec mutas consilium. » *(Conf. l. I, c. 4)*.

4. Posito autem quod Deus semel aliquid libere voluerit, aut noluerit, non potest amplius quoad illa volita mutari; non potest incipere velle, quod antea noluerit; aut nolle, quod antea voluerit. Ad talem enim mutationem prærequiritur mutatio ex parte ipsius volentis, qui vel propter sui mutationem, vel propter majorem cognitionem, aliquid sibi conveniens judicat, quod antea disconveniens judicabat, vel vice versa. Jamvero Deus est in se omnino immutabilis, nec ejus scientia, utpote infinita, novas rationes, quæ consilii mutationem inducere valeant, invenire potest.

ARTICULUS III.

DE DIVISIONE DIVINÆ VOLUNTATIS.

492. — Sicut scientia divina in se una et simplicissima, multifariam pro diversitate objectorum dividitur, ita etiam divina voluntas, in se una et simplicissima, multis modis pro

volitorum varietate distinguitur. Ratione igitur diversorum volitorum, nostro modo concipiendi, insunt in Deo:

1. Voluntas *necessaria*, et voluntas *libera*. Voluntas *necessaria* est ea, qua Deus bonitatem suam amat, quam non potest non amare; — voluntas *libera* est ea, qua vult creaturas ad bonitatem suam ordinatas.

2. Voluntas *antecedens* et voluntas *consequens*. *Voluntas antecedens* ea est, quæ circa bonum absolute et secundum se consideratum versatur; — voluntas *consequens* ea est, quæ circa bonum, omnibus ejus circumstantiis consideratis, versatur. Sicut, v. gr., justus judex antecedenter vult quemlibet hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi.

Hæc divinæ voluntatis divisio in antecedentem et consequentem, desumpta ex S. Damasceno, *(De fide orth., l. II, c. 29)*, est maximi momenti, propter infra dicenda de voluntate divina circa salutem hominum (n. 515).

3. Voluntas *absoluta* et voluntas *conditionata*. Voluntas *absoluta* ea est, quæ circa aliquam rem, spectatis omnibus ejus circumstantiis, versatur; sic, v. gr., Deus voluntate absoluta vult eos, qui in gratia decedunt, salvari; — voluntas *conditionata* ea est, qua Deus vult aliquod objectum dependenter a conditione: (Matth. XXIII, 37): *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos, et noluisti.*

Hæc divisio partim competit cum præcedente, partim ab ea distinguitur. Voluntas consequens est semper absoluta; sed antecedens non est semper conditionata; sicuti manifestum est de voluntate, qua Deus cum gratiam vocantem, tum alia dona, quæ liberam nostram cooperationem præveniunt, nobis elargiri decrevit: quæ voluntas est antecedens, ut omnes theologi cum S. Thoma fatentur. *(I Sent., D. XLVI, c. 1).*

4. Voluntas *beneplaciti* et voluntas *signi*. *Voluntas beneplaciti* est ipsa actualis volitio Dei, v. gr., volitio dandi gloriam prædestinatis. Hæc est formaliter et proprie in Deo, et non metaphorice tantum. Ipsa, *teste S. Th.* « per antecedentem et consequentem distinguitur. » *(De Verit., q. XXIII, a. 3).*

Voluntas signi nihil est aliud, quam externa divinæ voluntatis manifestatio, et *metaphorice* tantum, non vero proprie, voluntas nuncupatur; sicut, v. gr., etiam in nobis signum voluntatis quandoque voluntas dicitur. Quinque signa, quibus Deus suam voluntatem nobis manifestat, enumerantur, scilicet: præceptum, prohibitio, permissio, consilium et operatio, quæ omnia hoc versu continentur:

Præcipit ac prohibet, permittit, consulit, implet.

ARTICULUS IV.

DE EFFICACIA DIVINÆ VOLUNTATIS.

493. — Prop. I. *Voluntas Dei absoluta seu consequens semper impletur.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis. — Versatur hæc propositio tum in iis, quæ a solo Deo absque libera creaturæ cooperatione fiunt; tum in actibus, qui a creaturis libere ponuntur.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Is. XLVI, 10): *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* — (Ps. CXIII, 3): *Deus noster in cælo, omnia quæcumque voluit, fecit.* — (Dan. IV, 32). *Juxta voluntatem suam facit tam in virtutibus cæli quam in habitatoribus terræ: et non est qui resistat manui ejus.*

II. **Ex Traditione.** « Nihil omnino, *ait S. Epiphanius*, ejus voluntati refragatur, ut non possit agere quod vult, ubi divinitatem suam decet. » *(Hær. 70).* — Et *S. August:* « Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult, potest, nec voluntate cujusvis creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. » (*Enchirid.*, c. 96).

III. **Ex Ratione;** *ex Dei scilicet omnipotentia:* « Nulla causa, *ait S. Th.*, impeditur nisi ab aliquo fortiori agente. Sed nihil est fortius divina voluntate. Ergo impediri non potest. » *(I Sent., D. XLVII, a. 1).*

494. — **Prop. II.** *Voluntas Dei antecedens non semper impletur.*

De fide, ut supra.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Prov. I, 24): *Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret.* — (Ezech. XXIV, 13); *Mundare te volui, et non es mundata.* — (Matth. XXIII, 37): *Quoties volui congregare filios tuos... et noluisti.*

II. **Ex Traditione.** « Deus, *inquit S. August.*, vult homines liberare, si sibi ipsi non sunt inimici, et non resistunt misericordiæ creatoris sui. » *(De catech. rud. c. 26).* Sed multi sunt sibi inimici; unde non liberantur.

III. **Ex Ratione.** Voluntas antecedens non est voluntas simpliciter, sed conditionata. Sed creatura, utpote libera, a conditione ponenda abstinere potest; ergo impedire potest, ne voluntas Dei antecedens suum consequatur effectum.

495. — **Scholium.** Quamvis homo voluntatem Dei antecedentem suo effectu frustrare possit, non potest tamen sic agendo omnem Dei voluntatem effugere. Etenim, *ut ait S. August.* « De his qui faciunt quod non vult, facit ipse quod vult. » *(De corrept. et grat. c. 14).* — Et *S. Th.*, « Cum voluntas Dei, *inquit*, sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum ordinem unum, relabitur in ipsam secundum alium: sicut peccator, qui, quantum in se est, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur. » *(Q. XIX, a. 6).*

496. — **NB.** Occasionem hujusce quæstionis nacti, auctores inquirere solent, an ad omnes et singulos actus humanos decretum Dei de se efficax requiratur; et undenam derivetur, præsertim in ordine gratiæ, efficacia divinæ prædefinitionis, ejusque infallibilis connexio cum libero effectu voluntatis creatæ.

Sed cum harum quæstionum solutiones pendeant ex dicendis, sive de concursu Dei cum actione creaturarum, de quo sermo erit in tractatu *de Deo Creatore,* (n. 835 et seq.), sive de natura gratiæ efficacis, de qua in tractatu *de Gratia* agetur, idcirco, ad prædicta loca istæ quæstiones rectius remittuntur.

ARTICULUS V.

DE AFFECTIONIBUS ET VIRTUTIBUS AFFECTIVIS VOLUNTATIS DIVINÆ [1].

497. — *Affectiones* dicuntur actus partis appetitivæ, qui in nobis insunt, ut, v. gr., amor, gaudium, desiderium, ira, etc.; *virtutes vero affectivæ* dicuntur habitus virtutum moralium, qui in voluntate sedem habent, ut justitia, misericordia, liberalitas, etc. De istis igitur quæritur utrum in Deo adsint.

§ 1. *De affectionibus divinæ voluntatis.*

498. — Affectiones similes nostris affectionibus, ut amorem, gaudium, desiderium, etc., Scripturæ Sacræ Deo attribuunt. Ad dignoscendum quænam ex eis Deo proprie, quænam vero metaphorice tantum conveniant, hæc statui potest generalis regula: *Omnis affectio, quæ in suo conceptu formali aliquam involvit imperfectionem*, ut v. gr., desiderium, dolor, etc., *Deo non proprie, sed metaphorice tantum, scilicet ratione effectus, convenire potest: — omnis affectio, quæ in suo conceptu formali nullam involvit imperfectionem, Deo proprie et formaliter attribuitur*, ut amor, gaudium.

Notandum tamen est, istas affectiones perfectiori modo esse in Deo quam in homine; in homine enim semper cum aliqua imperfectione connectuntur, v. gr., cum aliqua corporali transmutatione, et inter se et a subjecto realiter distinguuntur; in Deo autem insunt absque omni imperfectione, sunt ipsa Dei essentia, et a se invicem non realiter, sed virtualiter tantum, ratione scilicet effectus, distinguuntur.

Ex his deducere licet:

497. — I. *Amorem proprie et formaliter in Deo inesse.*

Prob. 1. **Ex Script. S.** Legimus (I Joan. IV, 16): *Deus caritas est.* — (Joan. III, 16): *Sic Deus dilexit mundum*, etc. —

[1] Cf. Billuart, *De Deo*, diss. VIII, a. 6.

(Sap. XI, 25): *Diligis omnia quæ sunt.* Ex quibus perspicuum est amorem vere et formaliter in Deo inesse.

2. **Ex Ratione.** *a)* Amor nullam involvit imperfectionem. Ergo in Deo proprie et formaliter inest.

b) « Amor, *ait S. Th.,* respicit bonum in communi, sive sit habitum, sive non habitum. Unde amor naturaliter est primus actus voluntatis et appetitus. Et propter hoc omnes alii motus appetitivi præsupponunt amorem, quasi primam radicem. Nullus enim desiderat aliquid nisi bonum amatum; neque aliquis gaudet nisi de bono amato... Unde in quocumque est voluntas vel appetitus, oportet esse amorem. Remoto enim primo, removentur alia. Ostensum est autem in Deo esse voluntatem. Unde necesse est in eo ponere amorem. » *(Q. XX, a. 2).*

II. *Gaudium et delectationem proprie et formaliter in Deo inesse.*

Gaudium est quies in bono amato jam possesso. Hujusmodi quies nullam imperfectionem importat, et Deo, utpote suam bonitatem plene possidenti, et in ea perfecte quiescenti, maxime propria est.

III. *Zelum proprie in Deo inesse.* Zelus est amor intensus omne sibi contrarium fortiter repellens. Divinus autem amor, propriæ bonitatis amantissimus, peccatum, quod ei contrarium est, summe detestatur et persequitur.

IV. *Desiderium et spem non proprie, sed metaphorice tantum, in Deo inesse.* Desiderium et spes imperfectionem quamdam involvunt; enimvero: desiderium est de bono absente; sed a Deo, quippe qui omnia vel formaliter vel eminenter possideat, nullum bonum est absens; — spes vero est de bono futuro et arduo: sed pro Deo nihil est futurum aut arduum.

V. *Timorem, tristitiam, pœnitentiam et iram non proprie sed metaphorice tantum, in Deo inesse;* hæc enim quamdam imperfectionem includunt. Timor respicit malum imminens; tristitia de malo jam illato affligitur; pœnitentia est retractatio alicujus propositi non satis prudenter initi; ira est appetitus vindictæ ex tristitia propter offensam illatam: quæ omnia in Deum proprie cadere nequeunt.

VI. *Odium abominationis inesse probabiliter in Deo formaliter et proprie; odium vero inimicitiæ metaphorice tantum.*

In Deo odium abominationis est displicentia et detestatio peccati, ut suæ sanctitati adversantis; exinde in Deo efficax peccatori malum inferendi voluntas oritur. Quod odium esse proprie in Deo, Scripturæ testantur. Legimus (Sap. XIV, 9): *Odio sunt Deo impius et impietas ejus.* — (Prov. VIII, 13): *Arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor.* — Præterea, tale odium nullam importat imperfectionem.

Odium inimicitiæ est displicentia de aliqua persona existente, cui voluntas vult malum ut ipsi malum, sine majoris alicujus boni intuitu. Odium inimicitiæ terminatur igitur ad personam, quam quis detestatur et aversatur; odium vero hujusmodi proprie in Deo non inest, quippe *qui non lætatur in perditione vivorum* (Sap. I, 13), et *nihil odit eorum quæ fecit* (Sap. XI, 25). « Deus, *ait S. Th.*, peccatores in quantum sunt naturæ quædam, amat: sic enim et sunt, et ab ipso sunt. In quantum vero peccatores sunt, non sunt, sed ab esse deficiunt: et hoc in eis a Deo non est. Unde secundum hoc, ab ipso odio habentur. » *(Q. XX, a. 2, ad 4).*

§ 2. *De Virtutibus in divina voluntate.*

500. — Ad discernendum quænam virtutes sint proprie et formaliter in Deo, eadem adhibenda est regula, quæ supra (n. 498) posita est: illæ scilicet Deo proprie competunt virtutes, quæ nullam in suo conceptu formali imperfectionem involvunt; quæ vero vel minimam involvunt imperfectionem, a Deo removendæ sunt.

Ex quo deduces: Virtutes, quæ sunt ad alterum ut superiorem aut æqualem, v. gr., religionem, pietatem, observantiam, etc.; aut virtutes, quæ circa passiones moderandas versantur, ut fortitudinem, temperantiam, etc., in Deo formaliter non inesse. — Solum igitur superest, ut de justitia et misericordia quæstio agitetur.

I. DE JUSTITIA DIVINÆ VOLUNTATIS [1].

501. — Justitiam in Deo existere, salva fide negari non potest, quippe quæ in sacris litteris diserte affirmetur. Legimus (Ps. CXVIII, 137): *Justus es Domine, et rectum judicium tuum.* — (II Tim. IV, 8): *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

Difficultas in eo solum versatur, ut ea assignetur justitia, quæ in Deo *proprie* inest.

Justitia est virtus ad alterum. Definitur: *virtus inclinans voluntatem ad reddendum cuique suum.*

Unius ad alterum triplex potest fieri comparatio, ac proinde triplex datur species justitiæ, videlicet: 1. Comparatio partis ad totum; et sic *justitia est legalis*, quæ firmat voluntatem privati, ad tribuendum reipublicæ debitum ad æqualitatem (Polm.). — 2. Comparatio partis ad partem; et sic *justitia est commutativa*, quæ est virtus tribuens unicuique quod suum est, servata æqualitate rei ad rem (Polm.). — 3. Comparatio totius ad partem, vel superioris ad inferiorem: et sic *justitia est distributiva*, quæ servat æqualitatem proportionis ad proportionem, in distributione bonorum, onerumve communium. — Ad justitiam distributivam revocatur *justitia vindicativa*, quæ malefactori pœnam pro culpa commissa debitam reddit.

502. — Quibus notatis sint hæ assertiones:

I. *Justitia legalis non est in Deo:* sicut per se evidens est.

II. *Justitia commutativa proprie et stricte sumpta, non est formaliter in Deo.* Ratio: Quia justitia commutativa consistit in mutua datione et acceptione ad æqualitatem. Sed nihil habemus ex nobis, quod Deo dare possimus, secundum illud (Rom. XI, 35): *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?*

[1] Cf. S. Th., q. XXI, art. 1 et 2; IV *Sent.*, D. 46, q. I; Lessius, *De Perfect. div.*, l. XII et XIII.

III. *Justitia distributiva formaliter et proprie est in Deo:* siquidem nullam involvit imperfectionem. Quæ justitia in eo sita est ut Deus, sive in ordine naturæ sive in ordine gratiæ, quod ratio suæ sapientiæ dictat, illud unicuique largiatur. «Alia (justitia) consistit in distribuendo, *ait S. Th.*, et dicitur distributiva justitia secundum quam aliquis gubernator vel dispensator dat unicuique secundum suam dignitatem. Sicut igitur ordo congruus familiæ vel cujuscumque multitudinis gubernatæ, demonstrat hujusmodi justitiam in gubernante: ita ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus quam in rebus voluntariis, demonstrat Dei justitiam.» *(Q. XXI, a. 1).*

Justitia Dei distributiva fundatur non in jure creaturæ, sed in libera Dei voluntate, quæ pro qualibet creatura determinatam bonitatis et perfectionum mensuram prædefinivit, secundum quam mensuram bonitatem divinam participare et repræsentare debet. «Quod Deus, *ait S. Th.*, talem creaturam producat qualem voluerit, indifferens est ad rationem justitiæ; sed quod, aliqua natura producta, ei attribuatur quod illi naturæ competit, hoc ad ejus justitiam pertinet, et contrarium ejus justitiæ repugnaret. Et similiter indifferens est quantum ad justitiam ejus ut det gratiam vel non det, cum donum gratiæ non sit naturæ debitum; sed postquam gratiam contulit, quæ est merendi principium, ad justitiam ejus pertinet ut pro meritis præmia reddat.» *(IV Sent., D. XLVI, q. II, sol. 1, ad 2).*

Objicitur. Sine debito non datur justitia. Sed Deus nulli est debitor. Ergo in Deo non est justitia.

Resp. Deus nulli creaturæ est debitor, *concedo:* non est sibi ipsi debitor, *nego.* «Quia actio nostra, *ait S. Th.*, non habet rationem meriti nisi ex præsuppositione divinæ ordinationis, non sequitur quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur.» *(I. II, q. CXIV, a. 1, ad 3).* — Idem dicendum est de bono, quod creaturæ in ordine naturæ convenit; et ideo «Deus seipsum negaret, si creaturæ non conferret quod ei debetur secundum suam dispositionem. Sic enim veritatem non servaret in operum conditione vel gubernatione.» *(S. Th., IV Sent., D. XLVI, q. I, a. 2, sol. 2, ad 1).*

IV. *Justitia vindicativa est formaliter et proprie in Deo;* quandoquidem hæc nullam involvit imperfectionem.

Justitiam vindicativam in Deo existere, Deus ipse testatur. Legimus enim (Rom. XII, 19): *Mihi vindicta, ego retribuam.* — (Deut., XXXII, 41): *Si arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.* — Et innumeris in locis sacræ paginæ iram Dei vindicativam celebrant. (Jer. XLVI, 10): *Dies ille Domini, ... dies ultionis, ut sumat vindictam de inimicis suis.* — (Eccli. V, 9): *Subito veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* — Quocirca et dies judicii, in quo omnibus pro meritis retribuetur, dies vindictæ appellatur. (Eccli., XII, 4).

Convenientissimam esse justitiam Dei vindicativam, ipsa ratione commonstratur:

a) Deus omnia propter semetipsum, ad suam scilicet gloriam exterius manifestandam, operatus est (cf. n. 654). Communicando igitur creaturis similitudinem suam, sive in ordine naturæ sive in ordine gratiæ, Deus in universo hunc primarium ordinem instituit, scilicet ut quælibet creatura, juxta conditiones naturæ suæ, gloriam Dei celebret, et suo proprio bono in laudem et gloriam Dei fruatur.

Jam vero creatura libera per peccatum hunc ordinem universi perturbat, seipsam atque creaturas Deo anteponit, gloriam Dei conculcat, Deoque summam irrogat injuriam. Porro Dei majestatem maxime decet hunc primarium ordinem universi restaurari, et suam sanctissimam ordinationem fine suo non frustrari: quæ ordinis restauratio fit per pœnarum inflictionem, qua evenit, ut qui Dei gloriam per liberam ejus beneficiorum acceptationem manifestare noluerit, eamdem per involuntariam suppliciorum tolerationem celebret.

b) Finis secundarius, quem Deus sibi in creatione proposuit, est æterna salus hominum. Jamvero cum major pars hominum virtutis amore vel spe præmii non adeo efficaciter a vitiis retrahatur et ad bonum incitetur, ideirco, nisi in Deo justitia peccatorum vindex inesset, pauci admodum virtutem colerent, Deum amarent, et ad æternam beatitudinem pervenirent; plerique autem vitiis pessimis se volutarent, nec

ullus fere salvus fieret. Et ideo justitiæ Dei vindicis cogitatio hominibus maxime est salutaris: *Ipse* (Deus) *terror vester, et erit vobis in sanctificationem* (Is. VIII, 13). — *Timor Domini expellit peccatum* (Eccli. I, 27). — Et sic ex parte ipsius hominis convenientissimum est adesse in Deo justitiam vindicativam. (*Cf. S. Alph., Ver. fid., P. II, c. 17, n. 13; et Orat. I. pro temp. calam. t. 18, p. 42).*

II. DE MISERICORDIA DIVINÆ VOLUNTATIS.

503. — Deum esse misericordem, omnes sacræ paginæ testantur: (Ps. CXLIV, 8): *Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors... Miserationes ejus super omnia opera ejus.* — (Thren. III, 22): *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.*

Misericordia est *virtus inclinans voluntatem ad alienæ miseriæ sublevationem.* (Polm.). — Duplex in misericordia inest elementum, *materiale* scilicet et *formale. Materiale* est tristitia et cordis compassio, qua aliquis ex miseria alterius, ac si esset ejus propria miseria, afficitur. — *Formale* est voluntas depellendi miseriam alterius sicut propriam miseriam. « Tristari ergo de miseria alterius non competit Deo, sed repellere miseriam alterius hoc maxime ei competit. » *(S. Th. q. XXI, a. 3).* « Sicut homo enim in repellendo miseriam alicujus considerat hominis utilitatem cujus repellit miseriam, ita et Deus per sua beneficia repellens nostram miseriam, non ordinat hoc ad suam utilitatem, sed ad nostram; unde in quantum nostra miseria est quasi sua secundum reputationem quamdam ipsius qui eam repellit, sic dicitur misericors, et misereri; et propter hoc communiter dicitur, quod non est in eo misericordia secundum passionem, sed secundum effectum: qui tamen effectus ex affectu voluntatis procedit. » *(S. Th. IV. Sent. D. XLVI, q. II, a. 1, sol. 1).*

Misericordia Dei ad removendos omnes defectus sese extendit; etenim, ut *ait S. Th.*, misericordia Dei sumitur « alio modo *communiter*, secundum quod sine debito tollitur quicumque defectus; et sic in opere creationis est misericordia:

quia maximum defectum Deus creando removet, scilicet non esse; et hoc ex gratuita voluntate fecit, non aliquo debito constrictus. » *(loc. cit. q. II, a. 2, q. 2).* Sed « misericordia *proprie loquendo* pertinet ad providentiam divinam, qua bona sua communicat creaturis rationalibus tantum; respicit enim miseriam, quæ cum sit contraria felicitati, non potest esse nisi rationalium creaturarum, quarum est felices esse. » *(loc. cit., q. II, a. 1, q. 2).*

504. — *Ex dictis sequitur:*

I. *In omnibus operibus Dei misericordiam inesse et justitiam.* — Legimus (Ps. XXIV, 10): *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas.* Quidquid enim boni, sive naturalis sive gratuiti, in operibus Dei inest, hoc totum ex ejus liberali misericordia expellente creaturæ defectus procedit; dummodo misericordia pro remotione cujuscumque defectus accipiatur. — Similiter inest justitia, tum in retributione meritorum, tum in elargitione eorum bonorum naturalium, quæ ex lege divinæ sapientiæ unicuique creaturæ destinantur.

II. « *Opus autem divinæ justitiæ semper præsupponit opus misericordiæ, et in eo fundatur.* Creaturæ enim non debetur aliquid, nisi propter aliquid in ea præexistens, vel præconsideratum. Et rursus, si illud creaturæ debetur, hoc erit propter aliquid prius. Et cum non sit procedere in infinitum, oportet devenire ad aliquid quod ex sola bonitate divinæ voluntatis dependeat, quæ est ultimus finis. Utpote si dicamus quod habere manus debitum est homini propter animam rationalem; animam vero rationalem habere, ad hoc quod sit homo; hominem vero esse propter divinam bonitatem. Et sic in quolibet opere Dei apparet misericordia quantum ad primam radicem ejus. Cujus virtus salvatur in omnibus consequentibus, et etiam vehementius in eis operatur; sicut *causa primaria vehementius influit quam causa secunda.* Et propter hoc etiam ea quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia suæ bonitatis largius dispensat quam exigat proportio rei. Minus enim est quod sufficeret ad conservandum ordinem justitiæ, quam quod divina bonitas confert, quæ omnem proportionem creaturæ excedit. » *(S. Th., q. XXI, a. 4).*

CAPUT III.

DE PERTINENTIBUS AD INTELLECTUM SIMUL ET VOLUNTATEM DEI.

505. — « Consideratis his, *ait S. Th.*, quæ ad voluntatem absolute pertinent, procedendum est ad ea quæ respiciunt simul intellectum et voluntatem. Hujusmodi autem est providentia quidem respectu omnium; prædestinatio vero, et reprobatio, et quæ ad hæc consequuntur, respectu hominum; specialiter in ordine ad æternam salutem. » *(Q. XXII, prol.)*.

In hoc III capite agendum est igitur: I. De Divina Providentia; II. De Prædestinatione.

ARTICULUS I.

DE PROVIDENTIA [1].

506. — **Definitio.** — Providentia a S. Thoma definitur « *Ratio ordinis rerum in finem in mente divina existens.* » *(Q. XXII, a. 1)*. Describi potest: *Actus divini intellectus et voluntatis, quo Deus ab æterno præordinavit et in tempore dirigit res creatas per apta media, tum ad fines suos particulares, tum præsertim in finem omnium ultimum, qui est ipse Deus.*

Duo in providentia includuntur, videlicet: 1. *ipsa conceptio ordinis* rerum in finem per apta media; quæ conceptio proprie providentia vocatur; — 2. *hujus conceptionis executio* in tempore, quæ vocatur etiam *gubernatio*. Primum horum est æternum; aliud temporale, quippe cum actualem mundi creationem supponat. — In hocce igitur tractatu de sola providentia, quæ est ordinis conceptio, disserendum est; de gubernatione in tractatu de creatione sermo occurret.

507. — **Errores.** — Divinam providentiam impugnaverunt antiquiores quidam philosophi, quorum « quidam totaliter providentiam

[1] Cf. S. Th. I, q. XXII; *De Verit.*, q. V; S. Alph. *Ver. fid.* p. II, c. 17; Petrocorenses, l. III, c. 3.

negaverunt sicut Democritus et Epicuræi, ponentes mundum factum esse casu. Quidam vero posuerunt incorruptibilia tantum providentiæ subjacere: corruptibilia vero non secundum individua, sed secundum species; sic enim incorruptibilia sunt. Ex quorum persona dicitur (Job. XXII, 14): *Nubes latibulum ejus, et circa cardines cœli perambulat, neque nostra considerat.» (S. Th., q. XXII, a. 2).*

Quorum errores recentiores deistæ amplexi sunt; et quotquot Dei existentiam negant, providentiam etiam negare coacti sunt.

508. — Prop. I. *Admittenda est in Deo providentia.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis: et ex Vatic., Const. *Dei Filius*, c. I: « Universa, quæ condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Sap. XIV, 3): *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* — (Eccl. V, 5): *Neque dicas coram angelo: non est providentia: ne forte iratus Deus...* — (Sap. VIII, 1): *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*

II. **Ex Traditione.** « Solus Deus, *ait S. Joan. Damascenus*, natura bonus est et sapiens. Igitur quatenus est bonus, providet, qui enim non providet, non est bonus... Quatenus autem sapiens est, optime rebus prospicit. » *(De fide orth., l. II, c. 29).*

III. **Ex Ratione.** 1. *Ex sapientia Dei.* Sapientis est opus suum in finem, propter quem ipsum produxit, ordinare. Atqui Deus, summe sapiens, creaturarum universalitatem ad gloriæ suæ manifestationem produxit. Ejus ergo sapientia expostulat, ut creaturas in hunc finem ordinet: quæ ordinatio providentia dicitur.

2. *Ex bonitate Dei.* Factoris bonitas exigit ut opus, quod ad finem destinavit, aptis mediis provideat, eique invigilet, ut finem assequi valeat. — « Quis operator, *ait S. Ambrosius*, negligat operis sui curam? Quis deserat et destituat quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse? cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia. » *(De officiis, l. III, c. 13).*

3. *Ex ordine mundi.* « Si providentia nulla est, *inquit Lactantius*, quomodo tam ordinate, tam disposite mundus effectus est? Si providentia nulla est, quomodo animalium corpora tam providenter ordinata sunt, ut singula quæque membra mirabili ratione disposita, sua officia conservent? etc. » *(Instit., l. III, c. 17).*

4. *Ex sensu naturæ.* Difficultatibus præsertim repentinis oppressus, nemo motu quodam naturali ad Deum non confugit. « In repentinis perturbationibus, *ait Nemesius*, sine electione et deliberatione Dei nomen invocamus, velut natura nos sine doctrina ad Dei opem perducente. » *(De nat. hom., c. 41).* Ex hoc autem naturæ sensu liquido apparet, ita cuique persuasum esse res omnes divina providentia ordinari.

5. *Ex absurdis.* Qui divinam negat providentiam, ille, tum totius religionis fundamentum convellit, tum omnibus facinoribus viam aperit. « Si Dei providentia, *inquit S. Augst.*, non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. » *(De utilit. cred., c. 16).* Et *Lactantius:* « Si Deus nihil unquam boni tribuit, si colentium obsequio nullam gratiam refert, quid tam vanum, tam stultum, quam templa ædificare, sacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil assequamur? » *(De ira Dei, c. 8).*

509. — *Prop. II. Divinæ providentiæ omnia subjecta sunt.* — Certa.

Prop. I. Ratione generali: « Cum omne agens agat propter finem, *ait S. Th.*, tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis.... Causalitas autem Dei, qui est primum agens, se extendit usque ad omnia entia, non solum quantum ad principia speciei, sed etiam quantum ad individualia principia, non solum incorruptibilium, sed etiam corruptibilium. Unde necesse est omnia quæ habent quocumque modo esse, ordinata esse a Deo in finem. » *(Q. XXII, a. 2).*

II. Probatur in specie: 1. *Creata naturalia singularia*, etiam vilissima quæque, divinæ providentiæ subjecta sunt: (Matth. X, 29): *Nonne duo passeres asse veneunt et unus ex*

illis non cadet super terram sine Patre vestro. — (Ibid. VI, 26): *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt,.... et Pater vester cœlestis pascit illa.* — Ait *S. August.* « Deus non solum cœlum et terram, nec solum hominem et angelum, sed nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia derelinquit. » *(De Civit. Dei, l. V, c. 11).*

2. *Temporalia,* quæ ad ipsum hominem spectant: (Matth. X, 30 et 31)... *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.* — (I Petr. V, 7): *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

3. *Actus liberi hominis:* (Prov. XVI, 9): *Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus ejus.* — (Ibid. XX, 24): *A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam?*

4. *Peccata* etiam providentiæ subduntur: *a) Ne committantur;* Deus enim auxilia, quibus vitari possint, suppeditat. — *b) Ut commissa puniantur* (n. 502, 4). — *c) Ut eorum occasione majora eveniant bona.* (Gen. L. 20): *Vos cogitastis de me malum,* ait Joseph ad fratres suos, *sed Dominus vertit illud in bonum.* « Deus, *ait S. August.,* nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo. » *(Enchirid.)*

5. *Quæ casu et fortuito obtingere videntur:* (Prov. XVI, 33): *Sortes mittuntur in sinum; sed a Domino temperantur.*

510. — Quæritur. *Utrum divina providentia semper impleatur?*

Resp. Duplex est finis providentiæ, nimirum: alter est finis specialis cuilibet rei provisæ proprius, v. gr., salus æterna pro homine; — alter est finis generalis, qui non est alius nisi divinæ gloriæ manifestatio.

Providentiæ finis specialis non semper obtinetur, sicuti constat de hominibus, qui, etsi a divina providentia in salutem ordinantur, aptisque instruuntur mediis, quibus salutem consequantur æternam, attamen omnes non salvantur. — Finis autem generalis, qui est gloriæ Dei manifestatio, semper obtinetur: cum enim divina providentia sit causa universalis, quæ ad omnia sese extendit, idcirco eam nihil potest effugere; et quod a voluntate divina secundum unum ordinem recedere videtur, secundum alium in ipsam relabitur. « Mali, *ait S. Th.,*

dum ab uno ordine providentiæ exeunt, ut scilicet Dei voluntatem non faciant, in alium ordinem dilabuntur, ut scilicet de eis divina voluntas fiat.» *(De Verit., q. V, a. 7)*,

511. — **Scholium.** Ex consideratione divinæ providentiæ maxima in nobis excrescere debet fiducia in Deum Patrem nostrum benignissimum, cui cura est de omnibus, et specialiter de nobis; quique secreta et sapientissima providentiæ ordinatione ita omnia disponit, ut omnia utilitati nostræ et tandem ipsius supremi provisoris gloriæ inserviant.

ARTICULUS II.

DE PRÆDESTINATIONE[1].

512. — De mysterio prædestinationis disserturi, illud studiosum lectorem monitum volumus, scilicet, hoc mysterium unum esse de arcanis Divinitatis, quæ Deus sibi reservavit, et quæ homini scrutari non licet. De hocce arcano loquens Apostolus, in hanc erupit exclamationem: (Rom. XI, 33, 34): *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis ejus consiliarius fuit?*

Pertinet illud mysterium ad ea, de quibus dixit Ecclesiasticus, (III, 22): *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcipit tibi Deus illa cogita semper; et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis.* — Et Ecclesiastes, VIII, 17: *Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole; et quanto plus laborarerit ad quærendum, tanto minus inveniat; etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.*

Ne ergo in hac materia tanto minus inveniamus, quanto ad altiora nobis quærendum, et fortiora nobis scrutandum magis laboraverimus, idcirco, nec rationem mysterii scrutari, nec curiosius hoc absconditum reperire, satagamus oportet.

513. — **Divisio hujusce articuli.** — Quoniam voluntas Dei salvifica cum mysterio prædestinationis intimam habet connexionem, et veluti lucerna in hac caliginosa materia præfulget, ideo quæstionem de voluntate Dei circa salutem hominum in præsenti statu divinæ providentiæ, ut præambulam

[1] Cf. S. Th., q. XXIII; Isambert et Gamach. In q. XXIII; Sfondratus, *Nodus prædestinationis.*

ad doctrinam de prædestinatione, præmittendam esse censuimus. Tractabimus proinde:

In § 1. De salvifica Dei voluntate; in 2, de definitione prædestinationis; in 3, de iis, quæ circa hoc mysterium sunt de fide; in 4, de iis, quæ liberæ sunt discussionis; in 5, quædam quæsita ad uberiorem doctrinæ expositionem adjicientur.

514. — Errores. — Circa prædestinationem plures prodierunt errores. *Prædestinatiani* sæculo V et IX docuerunt: Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed tantum eos, qui salvantur; et consequenter, Deum alios ad vitam æternam, alios ad mortem æternam, decreto absoluto prædestinasse, et Christum non pro omnium salute et redemptione, sed tantum pro his, qui salvantur, mortuum esse [1]. — Veterum prædestinatianorum errores renovarunt tum *Calvinus*, qui docet: « Nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, homines in æternam mortem prædestinari [2]; » — tum *Jansenius*, cujus prop. V condemnata sic sonat: « Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. » Præterea in prop. II docet Deum in præsenti statu unice concedere gratias efficaces et irresistibiles, ex quo sequitur Deum illorum tantum, quibus hujuscemodi gratias concedit, velle salutem.

§ 1. *De voluntate Dei salvifica.*

Voluntas Dei salvifica est voluntas Dei de salute hominum.

515. — Prop. *In statu naturæ lapsæ Deus vera et sincera sed antecedente voluntate vult omnes et singulos homines salvos fieri* [3].

Explicatur propositio: dicitur, *in statu naturæ lapsæ*, ac proinde supposito peccato originali; *voluntate vera et sincera*, non solum voluntate complacentiæ, sed voluntate operatrice, quæ media ad salutem necessaria reapse confert; *sed antecedente*, quia hæc voluntas Dei cooperationi humanæ voluntatis, quæ deficere potest et sæpe deficit, subordinatur; *omnes et singulos homines*, sive fideles sint, sive infideles, sive adulti, sive infantes ante usum rationis.

Prop. est *fidei proxima.*

Prob. 1. **Ex Script. S.** 1. Ex textibus, qui id expressis verbis affirmant: Legimus (1 Tim., II, 4): *Qui omnes homines*

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, c. V, art. 2. — [2] *Institut.*, l. III, c. 23, n. 2; Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, c. XI, a. 3, § 3. — [3] Cf. S. Alph., *Refut. hær.*, refut. XI, a. 7; et: *De magno precationis adjum.*, P. II, c. 1.

vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. — (Ezech. XXXIII, 11): *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii: sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* — (II Petr. 3. 9): *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

2. Ex textibus, in quibus declaratur Christum pro omnibus mortuum esse, atque omnium esse Redemptorem. (I Tim., II, 6): *Christus Jesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* — (I Tim., IV, 10): *Speramus in Deum virum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* — (I Joan., II, 2): *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Jamvero, omnes, pro quibus Christus mortuus est, Deus vult salvare; ergo cum Christus pro omnibus sit mortuus, Deus omnes vult salvare.

II. **Ex Traditione.** In Concilio Arelatensi, anno 475, Patres doctrinam Prædestinatianorum condemnarunt *(Anath. 6)*: « Anathema illi qui dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit. » — « Sincerissime credendum atque profitendum est, *ait S. Prosper*, Deum velle ut omnes homines salvi fiant; siquidem Apostolus, cujus ista sententia est. (I Tim. II, 4), sollicitissime præcipit ut Deo pro omnibus supplicetur. » *(Resp. ad 2 obj. Vincent.)* Et *S. Joan. Damasc.*: « Hoc itidem nosse oportet, Deum primaria et antecedente voluntate velle omnes homines salvos esse et regni sui compotes fieri. Non enim nos ut puniret, condidit: sed quia bonus est, ad hoc ut bonitatis suæ participes essemus. Peccantes vero puniri vult, quia justus est. » *(De fide orth., l. II, c. 29).*

III. **Ex Ratione.** Omnes homines vitam æternam et auxilia ad eam conducentia sperare tenentur. Atqui fundamentum spei vitæ æternæ et auxiliorum ad eam conducentium, est sincera Dei voluntas de salute omnium hominum. Ergo.

Vult igitur Deus voluntate seria ac sincera, sed *antecedente*, omnium hominum salutem; voluntate autem *consequente* non vult eorum salutem, qui gratiis resistunt, et divinis mandatis obtemperare renuunt. « Cur igitur, *inquit S. Joan. Chrysost.*, non omnes salvi fiunt, si vult Deus omnes salvos esse?

Quoniam non omnium voluntas illius voluntatem sequitur; porro ipse neminem cogit. » *(De mut. nom., hom. 3).*

« Si in homine, *ait S. Th.,* tantum natura ipsius consideretur, æqualiter bonum est omnem hominem salvari; quia omnes conveniunt in natura humana. Et cum omne bonum sit volitum a Deo, hoc etiam Deus vult, et hoc vocatur voluntas antecedens, qua omnes homines salvos fieri vult, secundum Damascenum. Et hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, et promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia quam gratuita, sicut potentiæ naturales et præcepta legis, et hujusmodi. Consideratis autem omnibus circumstantis personæ, sic non invenitur de omnibus bonum esse quod salventur; bonum est enim eum, qui se præparat et consentit, salvari per largitatem gratiæ divinæ; nolentem vero et resistentem non est bonum salvari, quia injustum est. Et quia hoc modo se habet aliquid ad hoc quod sit volitum a Deo, sicut se habet ad hoc quod sit bonum; ideo istum hominem, sub illis conditionibus consideratum, non vult Deus salvari, sed tantum istum qui est volens et consentiens; et hoc dicitur voluntas consequens, eo quod præsupponit præscientiam operum non tanquam causam voluntatis, sed quasi rationem voliti. » *(I Sent., D. 46, a. 1; Cf. De Verit., q. XXIII, a. 2).*

§ 2. *De definitione prædestinationis.*

516. — Prædestinatio est ea specialis pars providentiæ, quæ creaturas rationales ad finem supernaturalem per media supernaturalia ordinat. A S. Thoma definitur: *Ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* (Q. XXIII, a. 1).

Dicitur *ratio,* scilicet, conceptio et decretum « ordinis aliquorum in salutem æternam in mente divina existens » *(q. XXIII, a. 2).* — *Transmissionis,* cum creatura propriis viribus in vitam æternam tendere non possit, ideireo, ut ab alio adjuvetur et quasi transmittatur necesse est. Cum autem hæc transmissio fiat per gratiam tanquam per medium, ad gloriam tanquam ad terminum, prædestinatio a S. Th. etiam definitur: *præparatio gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro;* et a S. August.: « præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur » *(De don. persev., c. 14).*

Ex quibus sequitur prædestinationem ex parte Dei includere tum actum intellectus dirigentis, tum actum volun-

tatis decernentis prædictam creaturæ rationalis transmissionem in finem vitæ æternæ.

II. Prædestinatio *adæquate* vel *inadæquate* considerari potest. *Adæquate* sumpta, prædestinatio est *præparatio gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro.* — *Inadæquate* considerata, prædestinatio dicitur vel *sola præparatio gratiæ et beneficiorum*, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur: hæc vocatur *prædestinatio radicalis;* — vel *sola præparatio gloriæ*, et hæc vocatur *prædestinatio formalis.*

Prædestinatio formalis duplici sub respectu considerari potest: vel prout est *in intentione Dei*, vel prout est *in executione.*

NB. Apud recentiores theologos hæc vox *prædestinatio* sumitur generatim pro præparatione gloriæ prout est in intentione Dei; antiquiores vero scholastici prædestinationem generatim intelligunt præparationem *gratiæ et gloriæ* [1]. « Prædestinatio, *ait Scotus* [2], est electio creaturæ intellectualis ad gratiam et gloriam. » — Et *S. Th.:* « Prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam et gloriam. » *(Q. XXIII, a. 3).* Eodem sensu S. Patres adversus pelagianos et semipelagianos prædestinationis gratuitatem defendebant. Qua animadversione plurima S. Patrum et antiquorum theologorum elidunt testimonia, quæ pro prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita afferri solent.

§ 3. *De iis, quæ sunt de fide.*

517. — Circa prædestinationem plura credere tenemur tanquam fidei dogmata, nec de his proinde ulla inter catholicos disputatio institui potest. Credendum est, scilicet: tum dari ex parte Dei veram prædestinationem, hancque certam esse et immutabilem; tum neminem citra specialem revelationem infallibiliter scire posse se esse e numero prædestinatorum; tum admittendam esse ex parte Dei veram aliquorum reprobationem positivam, hanc vero malorum meritorum

[1] Cf. Duplessis d'Argentré, *Commentum hist. de prædestin.*, c. IX et X; (inter opera Grandin, t. II); Hurter, *De Deo*, n. 129. — [2] I *Sent.* D. XL.

prævisionem semper præsupponere. — Sint igitur sequentes propositiones.

518. — Prop. I. *Datur ex parte Dei vera prædestinatio.*

De fide ex apertis Scripturæ testimoniis, et constanti Ecclesiæ doctrina, speciatim ex sententiis S. Augustini ab Ecclesia approbatis.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Matth. XXV, 34): *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Regnum, in quod justi admittuntur, a Deo Patre præparatum dicitur. Atqui illa præparatio est idem ac prædestinatio. Ergo. — (Rom. VIII, 29): *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui... Quos autem prædestinavit, hos et vocavit.*

II. **Ex Ratione.** Quidquid a Deo fit in tempore, hoc totum ab eo præordinatum fuit ab æterno. Atqui in tempore aliqui a Deo per gratiam in vitam æternam transmittuntur. Ergo etiam ratio illius transmissionis in Deo præexistit; quæ nihil aliud est nisi prædestinatio.

519. — Prop. II. *Prædestinatio in suo effectu, tum quoad numerum prædestinatorum, tum quoad eorum personas, est omnino certa et immutabilis.*

De fide, ut prop. I.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Joan. X, 27, 28): *Oves mea vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* — (Joan. XVII, 24): *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam.* Hæc autem Christi Domini verba, electorum prædestinationem certam esse atque immutabilem, invicte probant.

II. **Ex Traditione.** *S. August.:* « Novit Dominus qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam: novit in area sua triticum, novit paleam, novit segetem, novit zizania. » *(In Joan., tr. XII).* Et: « Certus est prædestinatorum numerus, qui nec augeri potest, neque minui. » *(De corrept. et*

grat., c. 13). — *S. Fulgentius:* « Firmissime tene, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum; nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla ratione posse salvari. » *(De fide, c. 55).*

III. **Ex Ratione.** Causa prædestinationis ad gloriam est: vel sola voluntas Dei, qua absolute vult aliquos salvari; vel præscientia meritorum, quibus ab æterno prævisis, decretum de aliquorum salute a Deo absolute fertur. Porro, in utraque positione, sive ob perfectam et ineluctabilem divinæ voluntatis efficaciam, sive ob omnimodam divinæ præscientiæ infallibilitatem, certa omnino et immutabilis redditur prædestinatio, tum quoad numerum salvandorum, tum quoad personas, quæ salutem sunt consecuturæ.

520. — Scholium. *De numero prædestinatorum.* Quisnam sit salvandorum numerus, nullus homo definire potest. « De numero autem prædestinatorum hominum quis sit, *ait S. Th.*, dicunt quidam quod tot ex hominibus salvabuntur, quot angeli ceciderunt; quidam vero, quod tot salvabuntur, quot angeli remanserunt; quidam vero, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot angeli ceciderunt, et insuper tot quot fuerunt angeli creati. Sed melius dicitur quod « soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus, » ut habet collecta pro vivis ac defunctis. » (*Q. XXIII, a. 7*).

521. Prop. III. *Nemo absque speciali revelatione de sua prædestinatione absolute certus esse potest.*

De fide, contra protestantes, ex Trident., sess. VI, cap. XII, et can. 15 et 16. « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit. » (*Can. 16*).

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Eccle. IX, 1): *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* — (I Cor. X, 12): *Qui se existimat stare, videat ne cadat* — (Philipp. II, 12): *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Jamvero ex his manifeste colligitur, neminem absque revelatione certo scire posse se esse de electorum numero.

II. **Ex Traditione.** *Ait S. August.:* « Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in nu-

mero prædestinatorum se esse præsumat? » (*De corr. et gr., c. 13*).

III. **Ex Ratione.** 1. Quæ a libera Dei voluntate pendent, ea certo ac infallibiliter cognosci non possunt, nisi Deus ea revelare voluerit. Prædestinatio autem a libera Dei voluntate pendet. Ergo nullus absque speciali revelatione de ea absolute certus esse potest.

2. *Suffragatur ratio convenientiæ:* « Si aliquibus ex speciali privilegio sua prædestinatio reveletur, *ait S. Th.*, non tamen convenit ut reveletur omnibus; quia sic illi qui non sunt prædestinati, desperarent, et securitas in prædestinatis negligentiam pareret. » (*Q. XXII, a. 1, ad 4*).

522. — Scholium. *De signis conjecturalibus prædestinationis* [1]. Quamvis homo absque speciali revelatione, se esse de electorum numero, certitudinaliter scire non possit, hoc tamen ex quibusdam signis *conjecturaliter* noscere potest: *ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* (Rom. VIII, 16).

Præcipua signa conjecturalia prædestinationis hæc a Doctoribus recensentur, videlicet:

1. Singularis ac tenera devotio ergo B. V. Mariam. (Prov. VIII, 35): *Qui me invenerit inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino* [2]. « Quid nobis prodest, *ait S. Alph.*, si animo angamur quæstionibus inter doctos de prædestinatione agitatis! Si veri Mariæ servi sumus, et ejus protectione tegimur, procul dubio ex numero electorum sumus. » (*Glor. Mar. c. 8, § 3*).

2. Affectus ad orationem et frequens recursus ad Deum [3].

3. Devota et frequens sacramentorum, speciatim SS. Eucharistiæ, susceptio.

4. Studium constans puritatis conscientiæ, (I Joan. III, 21): *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

5. Voluntatis conformitas cum voluntate divina, præsertim in adversitatibus atque hujus vitæ tribulationibus, (Rom. VIII, 29): *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.*

6. Frequens memoria passionis Christi.

7. Amor verbi Dei et lectionis spiritualis, (Joan. VIII, 47): *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

8. Humilitas.

9. Caritas erga proximum.

[1] Recupitus, *De signis prædest.* — [2] Cf. Recupit. *l. c.*, c. ult. (p. 342). [3] Cf. S. Alph. *De magn. precat. adj.*, passim.

10. Amor rerum omnium, quæ ad Deum pertinent, ut sunt religio, cultus, etc.

11. Pro religiosis, perfecta regularum observantia atque finalis perseverantia in suo ordine.

523. — **Prop. IV.** *Admittenda est ex parte Dei aliquorum reprobatio.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis.

Notandum: Reprobatio est idem ac *rejectio*, et a Magistro Sentent. *(I. D. 2)*, definitur « *Præscientia iniquitatis quorumdam, et præparatio damnationis eorumdem.* » — Duplex ab aliquibus statuitur reprobatio, videlicet: *negativa*, et *positiva; negativa* est simplex exclusio a gloria, seu mera negatio electionis ad gloriam, de qua infra dicetur (n. 526); — *positiva*, est decretum æternæ damnationis in gehennam. De sola positiva verificatur definitio, et procedit propositio.

Prob. I. **Ex Script. S.** In die ultimi judicii judex « *dicet his, qui a sinistris erunt: discedite a me, maledicti, in ignem æternum.... Et ibunt hi in supplicium æternum.* (Matth. XXV). Atvero, quæ fiunt in tempore, ea fuerunt ab æterno a Deo prævisa et præordinata. Ergo supplicium æternum quorumdam fuit a Deo ab æterno prævisum et præordinatum: in quo præcise consistit reprobatio positiva.

II. **Ex Ratione.** « Prædestinatio, *ait S. Th.*, est pars providentiæ. Ad providentiam autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus quæ providentiæ subduntur. Unde cum per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam ut permittat aliquos ab isto fine deficere, et hoc dicitur reprobare. » *(Q. XXIII, a. 3)*.

524. — **Prop. V.** *Impium est asserere Deum, ex solo suo beneplacito, aliquos homines positive reprobasse; atque antecedenter ad prævii peccati et finalis impœnitentiæ prævisionem, æternis suppliciis destinasse*[1].

Prob. Impia, imo hæretica reputanda est propositio, quæ Scripturæ Sacræ, Traditioni et unanimi sensui fidelium aperte

[1] Cf. S. Alph. *Refut. hær.* c. XI, a. 7.

contradicit. Atqui istiusmodi est sententia prædestinatianorum et Calvini, qui docent Deum multos condidisse homines, quos sine demeritorum præscientia ad gehennam positive prædestinavit. Ergo.

Prob. minor. 1. Calvini sententia *contradicit Scripturæ.* Testatur Scriptura, Deum vera et sincera voluntate velle omnium hominum salutem. (n. 515). Atqui positiva destinatio ad gehennam ante prævisa demerita cum sincera Dei voluntate omnes salvandi stare nequit.

Præterea, legimus (Sap. I, 13): *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* — (Ezech. XXXIII, 11): *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii,* etc. — (II Petr. III, 9): *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire.* Sed si quos Deus, eos ut damnaret, positive creasset, tunc Deus, et ipse mortem fecisset, et mortem impiorum positive vellet, et lætaretur in perditione vivorum, et, cum dicat se nolle aliquos perire, mendax probaretur.

2. *Contradicit Traditioni.* Legimus in Concil. Arausicano II, can. 25: « Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. » — Et *S. August.* ait: « Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quempiam sine malis meritis damnare, quia justus est. » *(Lib. III, cont. Jul.)*

3. *Contradicit unanimi sensui fidelium.* Omnes, quotquot sunt fideles, persuasissimum habent, tum semetipsos cum gratia Dei, dummodo serio velint, posse salvari; tum perditorum damnationem ipsis solis esse adscribendam; tum neminem unquam ante prævisa demerita ad gehennam a Deo positive fuisse destinatum.

§ 4. *De iis quæ sunt liberæ discussionis.*

525. — Nulla inter doctores catholicos existit controversia, nec de prædestinatione inadæquata ad gratiam, nec de prædestinatione formali ad gloriam in sua executione, nec

de prædestinatione adæquate sumpta. Convenit enim inter eos: *a)* prædestinationem *inadæquatam ad gratiam* esse omnino gratuitam, et ante prævisa quæcumque merita: siquidem de fide est primam gratiam vocantem nullo prorsus merito mereri posse: — *b)* prædestinationem *formalem ad gloriam*, prout est in executione, esse *post* et *propter* merita; consistit enim in actuali collatione gloriæ; — *c)* prædestinationem *adæquate sumptam*, prout dicit præparationem gratiæ et gloriæ, esse pure gratuitam et ante prævisa merita; licet enim homo per bonum usum præcedentium gratiarum, et gratias subsequentes, et finalem perseverantiam merito precationis obtinere possit, ita ut electio efficax ad gloriam in ejus potestate constituatur (n. 531), attamen, cum prædestinatio adæquata primam etiam gratiam vocantem, quæ non datur ex meritis, complectatur, absolute dicendum est prædestinationem adæquatam ad gratiam et gloriam esse ante prævisa merita.

Sed *circa prædestinationem formalem ad gloriam, prout est in intentione Dei*, docti magnopere dissentiunt. Controvertitur scilicet utrum Deus prædestinatis gloriam *ante* an *post* prævisa ipsorum merita dare efficaciter decreverit; vel, aliis verbis, utrum volitio efficax dandi gloriam sit pro Deo ratio dandi gratiam: vel contra, an prævisio boni effectus gratiæ sit pro Deo ratio dandi gloriam.

Duæ hac de re referuntur sententiæ: prior docet prædestinationem ad gloriam esse ante prævisa merita; posterior, eam esse post prævisa merita.

526. — **Prima Sententia** est thomistarum et augustinianorum rigidiorum. Deus, aiunt, ab æterno et independenter ab hominum meritis, ac proinde ante quæcumque prævisa merita, ex massa generis humani (augustiniani addunt: ex massa generis humani per peccatum originale corrupti), et prorsus gratuita sua voluntate, quosdam eligit ad gloriam, et cuilibet electo determinatum gradum gloriæ præfigit. His ita gratuito electis Deus gratias ad gradum gloriæ proportionatas, præsertim gratiam finalis perseverantiæ, conferre statuit. Quæ gratiæ, ab intrinseco efficaces, physice (augusti-

niani dicunt: moraliter) præmovendo voluntatem ad operandum, hominem ad quantitatem meriti proportionatam gloriæ præfixæ infallibiliter adducunt; quæ gloria, in executione, cuilibet electo post et propter merita reapse acquisita confertur. Et sic homo, qui ab æterno ad gloriam ante prævisa merita prædestinatus fuit, eam post et propter merita, consequitur in tempore.

Qui vero ex massa generis humani ad gloriam non eliguntur, sed relinquuntur, vocantur *reprobi reprobatione negativa*. Quæ reprobatio negativa non est positiva destinatio ad gehennam, sed est vel simplex exclusio a gloria alias indebita, per decretum Dei positivum, ut aiunt antiquiores bannesiani, vel simplex non electio ad gloriam, quin ullum interveniat decretum, ut docent recentiores thomistæ [1].

Hæc negativa reprobatio ex parte hominis nullam habet causam meritoriam; sed ejus causa, secundum augustinianos, est prævisio peccati originalis; secundum thomistas vero, est voluntas Dei, qui ad ostensionem suæ justitiæ et ad ornatum atque pulchritudinem mundi, vult aliquos ad gloriam non eligere.

Hæc est rigida et severa thomistarum et augustinianorum doctrina, cui subscribunt Suarez, Bellarminus, necnon alii congruistæ, qui tamen juxta suam doctrinam de modo operandi gratiæ, rem aliter explicant, ut in tractatu *de gratia* dicetur.

527. — Secunda sententia docet prædestinationem formalem ad gloriam, prout est in intentione Dei, fieri post prævisa prædestinati merita; ita ut Deus neminem ad gloriam eligat, nisi prævisis meritis bonis; nec quemquam, nisi præviso abusu gratiarum et finali impœnitentia, a gloria excludat.

In hoc systemate, prædestinatio formalis ad gloriam, seu voluntas efficax dandi gloriam, non est pro Deo ratio dandi gratiam, sed potius est effectus gratiæ: Deus non dat gratiam uni præ alio, quia uni præ alio vult dare gloriam; sed

[1] Cf. Billuart, D. IX, a. 9, § 2.

e converso, vult dare gloriam uni præ alio, quia unum gratiis cooperaturum, alium vero iisdem non cooperaturum prævidet.

Hanc sententiam sequuntur augustiniani molliores, doctores sorbonici, molinistæ plurimi; ipsi subscribunt S. Alphonsus et S. Franciscus Salesius, aliique multi.

528. — **NB.** Inter ambas citatas sententias media procedit sententia quorumdam opinantium duplicem dari salvandorum ordinem: unum scilicet insigniorum Sanctorum, B. Virginis scilicet, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, et aliorum paucorum, quorum prædestinationem dicunt esse ante prævisa eorumdem merita; alterum vero cæterorum electorum, quorum electionem factam esse dicunt ex prævisis meritis. Ita *Isambert* [1], *Gamachæus* [2], *Catharinus* [3].

529. — **Quæritur.** *Quænam sit eligenda sententia.*

Resp. I. Admitti potest sententia Isamberti; imo quod ad B. V. Mariam spectat, quam Deus speciali modo dilexit, Patres atque theologi docent eam ante omnia prævisa merita fuisse electam. — Possibile est etiam, alios quosdam eximiæ sanctitatis viros specialiter dilectos, ante prævisa merita fuisse prædestinatos. An autem præter B. V. Mariam aliqui de facto sic electi fuerint, non constat, cum ad tale factum stabiliendum sufficientia non adsint argumenta.

II. Admitti etiam potest sententia thomistarum, præcipue ob auctoritatem theologorum, qui eidem adhærent.

III. Nos autem eam admittimus sententiam, quæ docet adultorum prædestinationem, (exceptis forsan excipiendis, juxta sententiam Isamberti), factam esse post prævisa merita, nec ullum hominem, nisi propter prævisa demerita, a gloria excludi.

« Hæc sententia, *ait S. Franciscus Salesius* [4], antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissima de prædestinatione ad gloriam, post prævisa opera, sane mihi

[1] In q. XXIII, Disp. 3, a. 4 (p. 258). — [2] In q. XXIII, cap. V, VII, VIII (t. I, p. 171, 181, 185). — [3] Cf. Pesantius, q. XXIII, a. 5, disp. 4, (p. 137), et Gamach. p. 190. — [4] Ep. ad Lessium, die 27 Aug. 1618.

gratissima fuit; qui nimirum eam semper ut Dei misericordiæ ac gratiæ magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem existimavi. »

Hæc nostra sententia 1. *est Scripturæ Sacræ convenientior;* imo, *ut ait S. Alphonsus,* reprobatio negativa cum S. Scriptura conciliari posse non videtur.

« Et revera, *ait S. Doctor,* ad me quod spectat, nunquam mihi persuadere potero, talem positivam exclusionem e vita æterna cum Scripturis conciliari posse. » — Et relatis textibus de seria voluntate Dei salvandi omnes, pergit: « Postquam igitur Dominus tot in locis, se omnium, etiam impiorum salutem velle declaravit, quomodo dici potest eum decreto positivo multos a gloria excludere non propter ipsorum demerita, sed unice propter suum beneplacitum: eo magis quod hujuscemodi positiva exclusio necessario, saltem necessitate consequentiæ, eorum positivam damnationem implicet? Etenim, secundum ordinem ab eo statutum, inter exclusionem e vita æterna atque destinationem ad mortem æternam, nullum medium intercedit. » *(Hist. hær. conf. XI, a. 7, § 2).*

2. *Est altera antiquior.* Patres Græci prædestinationem post prævisa merita unanimiter amplectuntur [1]; magna pars Patrum Latinorum eam etiam docet; nec contradicit S. Augustinus [2]. Plerique theologorum, teste S. Alphonso [3], reprobationem negativam rejiciunt. Quod vero spectat ad S. Thomam, pro utraque sententia citatur.

Enimvero, etiamsi S. Doctor in *Summa, (q. XXIII, a. 3 et 5),* sententiam thomistarum doceat, (quod tamen nonnulli negant [4]), aliis tamen in locis oppositam sententiam expressis verbis docet. In Epist. ad Rom. VIII, lect. 6, scribit: « Circa ordinem autem præscientiæ et prædestinationis dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum et malorum est ratio prædestinationis et reprobationis, ut scilicet intelligatur quod Deus prædestinet aliquos, quia præscit eos bene operaturos et in Christum credituros.... Et hoc quidem *rationabiliter diceretur,* si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis. Sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno præparatum, etc. » — Et (I *Sent.* D. 46, a. 1, c.) ait: « Ideo istum hominem, sub illis conditionibus consideratum, non vult Deus salvari, sed tantum istum qui est volens

[1] Cf. Duplessis, *Opera Grandin,* t. VI, p. 378. — [2] Cf. Lessius, *De prædest.* sect. II, n. 22. — [3] *Loco cit.* n. 68; cf. Toletus, In q. XXIII, a. 5. — [4] Cf. Grandin, t. I, p. 335.

et consentiens: et hoc dicitur voluntas consequens, eo quod præsupponit præscientiam operum non tanquam causam volendi, sed quasi rationem voliti.» *Cf. etiam: De Verit., q. XXII, a. 2, ad 2; et q. VI, a. 2. — I Sent. D. 41, q. I, a. 3, ad 2*[1].

3. *Est Deo honorabilior.* Sententia de reprobatione negativa non videtur conciliari posse:

a) Neque cum seria voluntate Dei salvandi omnes homines. «Non intelligo, *ait S. Alphonsus*, quomodo affirmari possit. Deum velle omnes homines salvari atque suæ gloriæ participes effici, si majorem eorum partem independenter ab ipsorum demeritis ab eadem gloria exclusisset.» *(Magn. prec. adjum. P. II, c. I, § 1).*

b) Neque cum bonitate Dei. Amare pro Deo est velle bonum; sicut odio habere est velle malum. Maximum autem hominis bonum est adeptio finis, æternæ scilicet beatitudinis; et maximum malum est exclusio ab æterna beatitudine. Si igitur Deus aliquos homines independenter ab eorum demeritis ab æterna beatitudine excluderet, istis summum vellet malum, et summo odio eos prosequeretur. Hoc autem cum Dei bonitate stare nequit *(Cf. S. Alph. loc. cit.).*

c) Neque cum justitia Dei, qui peccatum punire videtur, quod reprobi vitare nequeunt, quippe qui gratia efficaci priventur, ad quam obtinendam nullum eis a Deo medium suppeditatur.

d) Neque cum divina veracitate. Deus omnibus hominibus grave imponit mandatum sperandi vitam æternam, hancque omnibus, qui mandata voluerint servare, pollicetur. Quomodo autem possit Deus, quin falsitatis nota ipsi inuratur, reprobis vitam æternam polliceri, eosque ad eam certo sperandam obligare, si eos ante omne prævisum demeritum a gloria irremediabiliter exclusisset?[2]

4. *Est sensui catholico convenientior.* Si sententia thomistica populo explicaretur, et diligenter expenderetur, pro-

[1] Cf. Franzelin, thes, 64; Effinger, *Concordia thomistica*, P. II, Diss. 3, § 1, p. 782; Campanella, *De prædest. et elect.* passim.; Lesserteur, *La prédestination.* — [2] Cf. Isamb., q. XXIII, disp. IV, a. 5.

fecto scandalum pareret; omnes enim catholici sentiunt de Domino in bonitate, non vero in tanta severitate erga suas creaturas [2].

5. *Est fidelibus utilior:* primum quia spem roborat, dum docet omnes posse salvari, nec ullum a priori esse a gloria exclusum; deinde quia ad bona opera excitat, dum dependenter ab eis prædestinationem factam esse perhibet, et eo ipso sollicitudinem plebis fovet; tum quia ministrorum zelum inflammat, dum sibi persuasum habent aliquos ope suæ prædicationis atque laboris posse salvari, qui sine ipsis salutem nunquam fuissent consecuti: quæ omnia nedum in opposita præstentur sententia, in ea impediuntur.

§ 5. *Quæsita.*

530. — Quæritur I. *Quinam sunt effectus prædestinationis* [2].

NB. 1. Ut aliquid effectus prædestinationis dici possit, duo requiruntur, nimirum: *a)* ut sit a Deo tanquam a causa prædestinante; *b)* ut cum gloria cœlesti connexionem habeat, ad eamque vel directe vel indirecte ducat.

2. Prædestinatio, in eo a communi providentia differt, quod providentia non necessario ordinem dicit ad effectum, prædestinatio vero efficacem ipsius effectus voluntatem semper includit; quamobrem eadem gratia, v. gr., gratia santificans, in reprobo est effectus providentiæ; in electo, effectus prædestinationis.

Hisce notatis respondeo:

I. Secundum thomistas, effectus prædestinationis formalis ad gloriam, prout est in intentione Dei, plures enumerantur, videlicet: *vocatio, justificatio* et *glorificatio actualis*, et omnia alia bona, quæ hominem ad salutem conducunt; si quidem juxta ipsos hæc omnia conceduntur, quia Deus prius vult finem, id est beatitudinem, et ex intentione finis ad conferenda media fini proportionata movetur. Quo in sensu explicant illud Apostoli (Rom. VIII, 30): *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit.*

II. Nos autem oppositam sequentes sententiam, affirmamus, nullum esse effectum prædestinationis formalis ad gloriam, prout est in intentione Dei, utpote cum hanc post prævisa merita esse arbitremur;

[1] Cf. Lessius, *loc. cit.* n. 21. — [2] Cf. Isamb. q. XXIII, Disp. 5; Gamach. q. XXIII, c. 3.

ac proinde eam non causam, sed effectum gratiæ et aliorum donorum esse contendimus.

Dicimus autem prædestinationem adæquate sumptam tanquam effectus habere:

1. *Dilectionem.* Diligere est velle bonum. Deus omnes homines diligit, quos omnes vult salvos fieri, et quibus omnibus gratiam sufficientem elargitur: hæc autem dilectio ad communem providentiam, qua omnes in finem ordinantur, pertinet. Quos Deus gratia sufficiente bene usuros prævidet, eis gratiam specialem cum salute efficaciter connexam elargitur: quod nihil aliud est nisi illos dilectione speciali diligere, quæ ponitur effectus prædestinationis.

2. *Vocationem*, quæ consistit tum in internis Spiritus Sancti inspirationibus, tum in signis quibusdam externis, ut prædicatione, miraculis, etc. Deus autem omnes ad salutem vocat: *Multi enim sunt vocati* (Matth. XX, 16), id est, omnes; quia omnibus gratias ad salutem sufficientes elargitur; sed *pauci electi*, quia non omnes audiunt, nec sequuntur. Quocirca vocatio, quæ ponitur effectus prædestinationis, est efficax vocatio, cui homo ad ultimum usque vitæ momentum fideliter assentiatur, et quam Apostolus vocat *vocationem secundum Dei propositum.*

3. *Electionem.* Quos Deus supernæ vocationi, præsertim gratiæ orationis, consensuros prævidet, eos præ cæteris diligit, et diligendo gratiam specialem confert, eosque præ aliis assumit: quod est ipsos eligere. Quare prædestinati vocantur *electi: Elegit nos in ipso* (Eph. I, 4).

4. *Justificationem*, quæ fit per gratiæ sanctificantis infusionem. Sed ea sola justificatio, quæ cum glorificatione connexa est, effectus prædestinationis dicitur: eorum vero justificatio qui, gratia per peccatum amissa, reprobantur, non prædestinationis, sed communis providentiæ effectus dicitur.

5. *Perseverantiam*, quæ cum salute immediate connexa est: (Matth. XXIV, 13): *Qui perseverarerit usque in finem, hic salvus erit.* Etsi perseverantia sit magnum donum omnino gratuitum, ipsa tamen est plerumque donum conditionatum, quod Deus illis, qui ad finem usque vitæ in oratione et bonis operibus perseverant, elargitur [1].

6. *Glorificationem:* quæ est effectus simul et finis prædestinationis.

7. *Bona temporalia.* Bona temporalia, in sua substantia et prout a causis naturalibus producuntur, considerata, effectus prædestinationis dici nequeunt. Si vero spectantur prout a Deo summo moderatore electis distribuuntur, qui eis adjuventur ad salutem, tunc effectus sunt prædestinationis: ut, v. gr., parentes pii, nativitas in loco christiano, indoles bona, moderatæ divitiæ, etc.: *Scimus*, ait Apost. (Rom.

[1] Cf. S. Alph., *Magn. precat. adj.*, P. I, c. III, § 4; Joseph ab Exspectatione, Systema theol., *De Prædest.*, art. I., resol. 4, pag. 208.

VIII, 28), *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

8. *Pœnalitates præsentis vitæ.* Pœnalitates, ut infirmitates corporales, præmatura mors, etc., possunt esse effectus prædestinationis; (Sap. IV): *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* — Irrogatio pœnæ temporalis post commissum peccatum plerumque effectus est prædestinationis, in quantum scilicet homines per pœnam, ut a peccato resipiscant, vel in bono acrius et cautius perseverent, excitantur [1].

9. *Permissionem peccati.* Hæc per se effectus prædestinationis esse non potest; effectus enim prædestinationis est favor homini ex meritis Christi collatus; talis autem esse nequit peccati permissio. Per accidens tamen, in quantum scilicet ex hujusmodi permissione prædestinati humiliores et ferventiores redduntur, peccati permissio prædestinationis effectus esse potest.

10. *Peccatum* vero, quippe quod saluti opponitur nec ad eam ordinari valet, effectus prædestinationis nullatenus dici potest.

531. — Quæritur II. *Utrum prædestinatio efficax ad gloriam sit in potestate hominis.*

Resp. Prædestinatio, prout dicit efficacem electionem ad gloriam, est in potestate ipsius prædestinati. Deus enim, ut dictum est (n. 529), neminem ante prævisa demerita excludit a gloria, sicut etiam neminem, saltem ordinarie loquendo, ante prævisa merita ad gloriam eligit. Cum igitur Deus omnibus gratiam sufficientem ad bene operandum, et ad perseverandum, præsertim vero gratiam orationis, elargiatur, qua mediante gratias efficaces et ipsam actualem perseverantiam omnes obtinere valeant, idcirco dicere possumus et debemus prædestinationem efficacem ad gloriam in potestate prædestinati sitam esse.

Hæc opinio sensui intimo fidelium omnino est consentanea, utpote cum omnes persuasum habeant penes se esse, vel in libro vitæ inscribi, vel ex eo deleri; quæ persuasio eos ad opera bona et ad orationem excitat, atque ad vitam Deo vero placentem instituendam provocat.

Hæc opinio suadetur precibus Ecclesiæ, quæ in canone Missæ sic orat: *ab æterna damnatione nos eripi, atque in electorum tuorum jubeas grege numerari:* — et insinuatur in Scripturis: (I Cor IX, 24-27): *Sic currite ut comprehendatis... Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et (II Petr. I, 10): *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* — (Jacobi V, 16): *Orate pro invicem ut salvemini.* — Exinde illud effatum S. Augustini: *Si non traheris, fac ut traharis;* et verba Domini (Apoc. III, 11): *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

[1] Cf. S. Alph., *Orat.* VII, pro temp. calam. (T. 8, p. 109).

532. — Quæritur III. *An plures dentur reprobi quam electi* [1].

Resp. Numerum reproborum numero electorum esse majorem, secundum illud (Matth. XXII, 14): *Multi vocati, pauci vero electi.* — Et (Matth. VII, 13, 14): *Lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!*

Et re quidem vera, homines qui in infidelitate, ut paganismo, mahumetismo, versantur, et quorum longe major pars reprobatur, eos, qui christianam profitentur religionem, numero superant. — Ex christianis, multi labuntur in hæresim, vel fiunt schismatici, et pereunt. — Ex ipsis etiam catholicis multi inveniuntur, qui in peccato moriuntur, et in gehennam detruduntur; imo, juxta communiorem sententiam, major pars fidelium damnatur [2].

533. — Quæritur IV. *Quid dicendum de parvulis* [3].

Resp. Parvuli, qui post susceptum baptismum ante usum rationis de vita migrant, absque ulla propriorum meritorum prævisione, quippè quorum erant incapaces, a Deo fuerunt prædestinati. Prædestinati sunt igitur gratuita Dei voluntate, qui ipsis merita Christi, cui per baptismum incorporantur, applicat. — Non est tamen improbabile, nonnullos eorum fuisse prædestinatos ex meritis de congruo parentum vel amicorum, quos Deus ab æterno prævidit pro parvulis oraturos, eleemosynas elargituros, etc.

Quod vero ad parvulos spectat, qui ante susceptum baptismum moriuntur, non alia, quam peccatum originale, ob quod solum gloria privantur, causa reprobationis assignari potest.

534. — Quæritur V. *Quid est liber vitæ* (S. Th., q. XIV).

Resp. Liber vitæ dicitur ipsa notitia, qua Deus eos, quos ad gloriam efficaciter elegit, firmiter retinet. Hæc notitia vocatur *liber* metaphorice, tum quia apud homines, si qui aliquid firmiter retinere peroptant, illud, ne oblivione deleatur, in libro inscribunt; tum etiam quia apud homines, si qui ad aliquod officium eliguntur, in libro seu catalogo inscribi solent.

Liber vitæ *re* idem est ac prædestinatio, et ab ea *ratione* tantum differt; prædestinatio enim est actus tum intellectus ordinantis, tum voluntatis efficaciter decernentis, aliquos esse salvandos; liber vero vitæ est notitia seu catalogus omnium salvandorum, prout in mente Dei existit, secundum illud (II Tim. II, 19): *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt ejus.*

Aliquis in libro vitæ dupliciter inscribi potest, videlicet: 1. *simpliciter;* et sic illi inscribuntur, quos Deus reapse salvandos esse

[1] Cf. S. Alph., *Præp. ad mort.*, Cons. XVII, P. I; Recupitus: *De signis prædest.*, Tr. 2. — [2] Cf. S. Alph., *Mor.*, l. III, tr. 2, n. 130. — [3] Cf. Gamach. In q. XXIII, c. 9.

prænoscit; — 2. *secundum quid*; et sic illi inscribuntur, qui secundum præsentem justitiam, quam habent ad tempus, vita æterna digni existunt; quam tamen fore ut de facto non obtineant, a Deo prævidentur, utpote cum sanctificantem gratiam per culpam læthalem sint amissuri, et in finali impœnitentia decessuri.

Qui *simpliciter* et *absolute* in libro vitæ scripti sunt, de eo deleri non possunt (Dan. XII, 1): *Salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro.* — (Apoc. III, 5): *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Ratio est: Quia Dei præscientia de salute electorum falli nequit. — Qui vero *secundum quid* in libro vitæ inscripti sunt, de eo possunt deleri, dum per peccatum jus ad regnum cœleste amittunt, nec amplius ad Deum redeunt: (Ps. LXVIII, 29): *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* — (Exod. XXXII, 33): *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.*

Inquirenti vero, an in Deo sit etiam liber mortis respectu reproborum, *negative* cum communi theologorum sententia respondendum est. Licet enim ii, qui ad officium quoddam sunt electi, in libro inscribantur, ii tamen, qui ad illud non assumuntur, in libro inscribi non solent. Unde et in Deo liber mortis non est admittendus.

535. — Quæritur VI. *Quomodo se gerere debeat anima fidelis circa prædestinationis mysterium* [1].

Resp. De mysterio prædestinationis, quippe quod Deus nobis ignotum esse voluerit, anima fidelis nec anxia esse, nec circa illud inutiliter occupari debet; sed de iis cogitandis et faciendis, quæ Deus præcepit, et quibus observatis nemo unquam periit, debet esse sollicita.

« Noli attendere ad prædestinationem, quam ignoras; *ait S. Greg. Nyss.*, attende ad verba quæ audis et intelligis: Sicut enim in prædestinatione verus est Deus, et mutari non potest: ita et verba ejus vera sunt, et mutari non possunt. Sed audiamus, quæ sunt verba: Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis: Quod si nolueritis, gladius devorabit vos. Ne quæras aliam prædestinationem. » *(Hom. 2 post. Dom. I. quadr.).*

Et *S. Alphonsus*: « Sunt qui sponte sua in magnas se conjiciunt sollicitudines, dum ordinem judiciorum Dei et magnum prædestinationis mysterium penetrare, penitusque scrutari aggrediuntur. Hæc sunt mysteria et arcana, ad quæ angustus noster intellectus pertingere non valet. Ista igitur abscondita, quæ sibi soli Deus reservavit, scrutari prætermittamus; dum certa quæ nos scire voluit, tenemus. » *(Hist. hær. Conf. XIII, n. 23).*

[1] Cf. Sfondr., *Nodus præd.*, P. I, § 5; Effinger, *Concordia*, P. II, Diss. 3, § 2, concl. 3 (pag. 830).

Quænam sint autem illæ res certissimæ, explicat S. Doctor:

1. Deus vult voluntate vera et sincera salutem omnium hominum, et Christus Dominus pro omnibus mortuus est, ut omnes salvos faceret: ergo firmissime tenendum est Deum neminem ante prævisa demerita e cœlo exclusisse *(Cf. Magn. precat. adj. P. II. c. I; Hist. hær. Conf. XI).*

2. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (Matth. XIX, 17): ergo firmissime tenendum est, nullum salvari, nisi qui legem servaverit: nec ullum damnari, nisi qui legis mandata observare neglexerit.

3. Hæc voluntas Dei de salute hominum, est adeo sincera, ut omnibus, nullo excepto, gratiam sufficientem ad legem servandam et salutem consequendam elargiatur. Licet autem hæc gratia non sit semper proxime sufficiens, quilibet tamen homo habet gratiam vere sufficientem ad orandum, cui, *si vult*, absque alia ulteriori gratia præveniente cooperari potest; et per fidelem huic orationis gratiæ cooperationem, majores et ulteriores gratias, quibus indiget, obtinere potest, ut tentationibus resistat, bona opera exerceat, in amicitia Dei perseveret, et tandem salutem obtineat *(Cf. S. Alph., Syst. de Gratia; Magn. precat. adj., passim per totum opus).*

4. Hominem, postquam determinatam gratiarum mensuram neglexerit, et determinatum peccatorum numerum expleverit, Deus derelinquit. Hæc mensura gratiarum, et peccatorum numerus, pro diversis hominibus inæqualia sunt, et secundum inscrutabilia Dei judicia unice mensurantur *(Cf. Ver. fid., P. II. c. 17. t. I, p. 335; Magn. prec. adj., P. II. c. 2 (t. III. p. 141, præsertim p. 156 et 157); Præp. M. Consid. 18; Serm. 15).*

Ergo in magno salutis negotio duo præstare debet anima fidelis: *a)* Totam spem suam in Deo reponere, atque cum summa fiducia ab ejus misericordia atque liberalitate salutem per merita Christi exspectare debet. — *b)* Debet semper, tum timere ne in vacuum gratiam Dei recipiat; tum ita strenue laborare, ut per bona opera et perfectam legis impletionem, certam suam vocationem atque electionem faciat, non secus ac si totum salutis negotium a propria industria unice penderet. Præsertim vero orationibus et observationibus cum summa humilitate semper instare debet, ut a gratia indesinenter adjuvetur, ac usque ad ultimum vitæ momentum in amicitia Dei perseveret.

CAPUT IV.

DE POTENTIA DEI.

536. — Tertium attributum Dei operativum, de quo disserit S. Thomas, est potentia. — Potentia enumeratur duplex, *passiva* scilicet et *activa. Passiva* est *capacitas aliquid recipiendi:* hanc in Deo nullatenus inveniri, ex iis, quæ de Dei simplicitate atque perfectione dicta sunt, manifestum est. (Cf. n. 418, 428 et seq.). — Potentia *activa* est « *principium operationis divinæ in effectum exteriorem procedentis.* » (S. Th. q. XIV, prol.).

Potentia Dei non est attributum ab ejus scientia practica et voluntate distinctum; sed ipsamet divina scientia et voluntas, in quantum sunt principium effectivum rerum, rationem potentiæ habent. Supra enim jam notatum est (n. 471 et 490), scientiam et voluntatem esse causam rerum: unde et in Scripturis semper legitur Deum per actum imperii res produxisse (Gen. I): *Fiat lux; et facta est lux.* — (Ps. CXLVIII, 5): *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt.*

537. — **Prop. I.** *In Deo est potentia activa, et ea quidem infinita.*

De fide, ex Symbolis et apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Ps. 88, 9): *Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.* — (II Par. XX, 6): *In manu tua est fortitudo et potentia:* et alibi passim.

II. **Ex Ratione.** « Unumquodque secundum quod est actu et perfectum, *ait S. Th.*, secundum hoc est principium activum alicujus.... Sed Deus est actus purus, et simpliciter et universaliter perfectus, neque in eo aliqua imperfectio locum habet. Unde maxime ei competit esse principium activum. » *(Q. XXV, a. 1).*

Quo argumento intrinseca infinitas divinæ potentiæ etiam manifestatur. Enimvero, ut *ait S. Th.* « Secundum hoc po-

tentia activa invenitur in Deo, secundum quod ipse actu est. Esse autem ejus est infinitum... Unde necesse est quod activa potentia Dei sit infinita. » *(Q. XXV, a. 2).*

538. — Prop. II. *Deus est omnipotens.*

De fide, ex Conciliis et Symbolis: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

Prob. I. **Ex Scrip. S.** (Luc. I, 37): *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* — (Job. XLII, 2): *Scio quia omnia potes*, etc.

II. **Ex Ratione.** Ille est omnipotens, qui omnia, quæ sunt possibilia, absolute efficere potest. Atqui Dei potentia ad omnia, quæ sunt possibilia absolute, sese extendit. Ergo Deus est omnipotens.

Major patet. — Ad probationem minoris notandum est quid proprie vocetur possibile. *Possibile* vel *impossibile*, ut notat *S. Thomas, (q. XXV, a. 3)*, dicitur aliquid ex habitudine terminorum. *Possibile absolute* est illud, in quo prædicatum subjecto non repugnat, ut, v. gr., Socratem sedere; *impossibile vero absolute* est illud, cujus prædicatum subjecto repugnat, ut, v. gr., circulum esse quadratum. Ex quo sequitur, possibile absolutum aliquo modo habere rationem entis; impossibile vero absolutum, propter intrinsecam terminorum repugnantiam, rationem entis nullo modo habere; implicat enim contradictionem aliquid in se simul esse et non esse. *Quo notato, probatur minor:*

Quidquid est possibile absolute, ad rationem entis aliquo modo pertinet. Atqui potentia Dei ad omne illud, quod quocumque modo ad rationem entis pertinet, sese extendit. « Cum unumquodque agens agat sibi simile, *ait S. Th.*, unicuique potentiæ activæ correspondet possibile, ut objectum proprium secundum rationem illius actus in quo fundatur potentia activa; sicut potentia calefactiva refertur ut ad proprium objectum ad omne calefactibile. Esse autem divinum, super quod ratio divinæ potentiæ fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem. Unde quidquid habet vel potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. » *(Q. XXV, a. 3).* Ergo potentia Dei ad omne possibile absolutum sese extendit.

Ea vero, quæ nec intrinsecam possibilitatem, ac proinde nec rationem entis habent, divinæ potentiæ non subduntur, non quidem propter defectum virtutis divinæ, sed quia illa rationem factibilis habere non possunt. Quocirca convenientius dicitur ea fieri non posse, quam Deum ea facere non posse.

Coroll. *Ex dictis deduces:* I. Deum peccare non posse: « peccare est deficere a perfecta actione; unde posse peccare est posse deficere in agendo; quod repugnat omnipotentiæ. Et propter hoc Deus peccare non potest, quia est omnipotens. » *S. Th. (Q. XXV, a. 3, ad 2).*

II. Deum non posse facere quod præterita non fuerint, vel præsentia non sint: siquidem implicat præteritum, in quantum præteritum, non esse præteritum, vel præsens, in quantum præsens, non esse præsens. *(Q. XXV, a. 4).*

539. — Quæritur I. *Utrum Deus plura, quam quæ fecit, facere posset.*

Resp. 1. Deum secundum potentiam *ordinariam* non posse plura facere, quam quæ facit. *Ratio* est, quia potentia ordinaria attenditur juxta decretum liberum et efficax, quo Deus ex infinitis possibilibus tum ordinis naturæ tum ordinis gratiæ, certum et determinatum numerum, ultra quem nihil operatur, pro sapientia sua producere decrevit. Potentia igitur ordinaria ad ea sola, quæ Deus facere decrevit, sese extendit.

2. Deum secundum potentiam *absolutam* seu *extraordinariam* plura facere posse, quam quæ fecit. *Ratio* est quia potentia absoluta attenditur unice per respectum ad infinitam Dei virtutem, et ad non repugnantiam terminorum; secundum quam considerationem potentia ab omni decreto, quod eam ad aliquod determinatum limitat, soluta existit; unde si voluisset, Deus plura, quam quæ fecit, facere potuisset. *(Cf. S. Th., q. XXV, a. 5; et, de Pot., q. I, a. 5).*

540. — Quæritur II. *Utrum Deus posset meliora facere, quam ea quæ fecit.*

Resp. « Bonitas alicujus rei, *ait S. Th.*, est duplex: una quidem quæ est de essentia rei, sicut esse rationale est de essentia hominis. Et quantum ad hoc bonum, Deus non potest facere aliquam rem meliorem quam ipsa sit, licet possit facere aliquam aliam ea meliorem. Sicut etiam non potest facere quaternarium majorem; quia si esset major, jam non esset quaternarius, sed alius numerus.... Alia bonitas est, quæ est extra essentiam rei; sicut bonum hominis est esse virtuosum, vel sapientem. Et secundum tale bonum potest Deus res a se factas facere meliores. Simpliciter autem loquendo, qualibet re a se facta potest Deus facere aliam meliorem. » *(Q. XXV, a. 6).*

EXPLICIT TRACTATUS DE DEO UNO.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE DEO TRINO.[1]

Conspectus generalis.

CAP. I. De Existentia mysterii SS. Trinitatis.

CAP. II. De intrinseca ratione mysterii SS. Trinitatis.
- A. 1. De processionibus.
- A. 2. De relationibus.
- A. 3. De notionibus et actibus notionalibus

CAP. III. De divinis personis in speciali.
- A. 1. Persona Patris.
- A. 2. Persona Filii.
- A. 3. Persona Spiritus Sancti.

CAP. IV. De missione divinarum personarum.
- A. 1. Missio in genere.
- A. 2. Missio invisibilis.
- A. 3. Missio visibilis.

CAP. V. De relatione hujus Mysterii ad rationem humanam.

CAP. VI. De modo loquendi circa hoc mysterium.
- A. 1. De modo loquendi in genere.
- A. 2. De appropriatione in divinis.

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas*, P. I, Q. 27–43 — I Sentent. per totum — De Potentia, Q. IX et X — Cont. Gent. l. IV — *S. Alph.*, Hist. hær. Conf. I, II, III, IV. (T. 5, p. 1–130). — *Isambertus*, P. I. Q. 27 et seq. — *Witasse*, De SS. Trinitate. — *Aguirre*, Theol. S. Anselmi, T. II.

INTRODUCTIO.

541. — In superiori tractatu sermo de Deo uno institutus est, atque ea, quæ ad divinam essentiam absolute consideratam pertinent, exposita sunt. *Fides autem catholica hæc est: ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* (Symb. S. Athan.) Agendum est igitur de augustissimo SS. Trinitatis mysterio, quod præcipuum fidei nostræ mysterium est atque primum fundamentum, in quo, ait S. August. « *nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur.* » (De Trinit., l. I, c. 3).

Trinitas est, ut indicat *S. Thomas, (I Sent., D. XXIV, q. II, a. 2), trium unitas*, et unitatem essentiæ atque distinctionem personarum in Deo significat. Mysterium igitur SS. Trinitatis definiri potest: *Unus Deus in tribus personis;* seu: *Trium personarum divinarum realiter distinctarum unitas, et individuæ naturæ identitas* (Polm).

542. — **Divisio tractatus.** — Logica cujuslibet rei discussio expostulat, ut primum de eo quæratur *an sit*, deinde *quid sit*. Agentibus igitur de mysterio SS. Trinitatis, primum quærendum est *an sit*, seu an Deus unus in essentia sit trinus in personis. Probata mysterii existentia, in ipsius profunditatem aliquantulum penetrandum est, ut intrinseca ejus ratio, in quantum talis investigatio imbecillitati naturæ nostræ concessa est, perspiciatur. Perscrutatis vero, quæ ad mysterium et ad divinas personas in genere pertinent, dicendum est tum de divinis personis in speciali, tum de earum ordine ad creaturas.

Iis demum, quæ ad ipsum mysterium proprie pertinent, absolutis, relatio hujus mysterii cum ratione humana investiganda est. Et quia in tam alto mysterio maxima cautela loquendum est, quapropter, ut omnis in elocutione vitetur error, quædam de modo loquendi circa hoc mysterium addenda sunt.

Agendum igitur erit:

I. De existentia mysterii SS. Trinitatis;
II. De hujus mysterii intrinseca ratione;
III. De divinis personis in speciali;
IV. De missionibus divinarum personarum;
V. De relatione hujus mysterii ad rationem humanam;
VI. De modo loquendi circa hoc mysterium.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA MYSTERII SS. TRINITATIS.

543. – Contra catholicam doctrinam de mysterio SS. Trinitatis plures prodierunt errores: principaliores indicare satis erit.

Prima hæresis est *Tritheistarum*. Hi, ducibus Peratico, quem meminit Theodoretus [1], et Philopono, quem refert Nicephorus [2], docebant naturam divinam eo modo communem esse tribus personis divinis, quo natura humana communis est tribus hominibus, id est, specifice, non autem numerice. Numericam igitur naturæ divinæ identitatem in tribus SS. Trinitatis personis negabant, et idcirco tres Deos admittebant.

Secunda hæresis, primæ ex omni parte opposita, est *Sabellianorum*. Hi, duce Sabellio, unicam in Deo admittebant personam, quæ pro diversitate munerum, diversa accipit nomina, ita ut dicatur *Pater*, si consideratur tamquam mundi creator; *Filius*, si consideratur ut Redemptor; *Spiritus Sanctus*, si consideratur qua sanctificator. – Sabelliani vocantur etiam *Patripassiani*, quippe personam Patris incarnatam et passam esse docuerunt. — Horum errores sæculo XVI renovarunt Sociniani, qui *Unitarii*, et *Anti-trinitarii* etiam vocantur.

Tertia hæresis est *Arianorum*. Arius, presbyter alexandrinus, in Deo personarum distinctionem admisit, sed docuit Verbum esse nec Deum, nec æternum, nec Patri consubstantiale aut simile, sed puram creaturam in tempore productam, licet inter creaturas excellentissimam, per quam Deus cætera omnia creavit. — Spiritus Sancti divinitatem non explicite, sed implicite negavit Arius. Cum enim secundum Sacras Scripturas Spiritus Sanctus a Filio etiam procedat, si Filius est creatura, Spiritus, qui ab eo procedit, utique Deus non est.

[1] *Hæret. fabul.*, l. I, c. 18. — [2] *Hist.*, l. XVIII, c. 48.

Semi-Ariani Arianorum doctrinam mitigare conati sunt, quin tamen Filii divinitatem admitterent. Docebant Verbum ab æterno exstitisse, atque Patri esse coæternum. Ipsum etiam dicebant esse simile Patri in substantia (ὁμοιούσιος), sed Verbum esse ejusdem naturæ cum Patre, seu *consubstantiale* Patri (ὁμοούσιος), admittere semper renuerunt.

Quarta hæresis fuit *Macedonii*, patriarchæ Constantinopolitani, qui Verbi divinitatem admisit, Spiritum Sanctum vero creaturis adnumeravit.

Igitur ad stabiliendum dogma SS. Trinitatis, probandum est: 1. Tres in Deo esse personas; 2. Verbum esse verum Deum, et Patri consubstantiale; 3. Spiritum Sanctum verum esse Deum, Patri Filioque consubstantialem; 4. Unicam esse harum trium personarum essentiam.

544. — Prop. I. *Tres sunt in Deo personæ realiter distinctæ* [1].

De fide, ex Symbolis et Conciliis.

Prob. I. **Ex Script. S.** « Omnis Scriptura Veteris ac Novi Testamenti, *ait S. August.*, si catholice intelligitur, hoc insinuat, quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus unus sit Deus ejusdem substantiæ, uniusque essentiæ, atque inseparabilis in Divinitate unitas. » *(Sermo 38, de tempore)*. In Veteri tamen Testamento, ut aiunt S. Patres, subobscure tantum revelata fuit divinarum personarum Trinitas, ne Judæi in idololatriam proni, tres Deos adorarent. In Novo autem Test. ipsa expresse et clare fuit manifestata. Textus igitur aliqui, primo ex Vet. Test., deinde ex Novo, in medium proferentur.

A. — **Ex Vet. Test.** — Legimus (Gen. I, 26): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* His in verbis omnes S. Patres personarum pluralitatem et naturæ unitatem intelligunt. Verbulum enim *faciamus* plures denotat personas; vox autem *imaginem*, in singulari, unitatem naturæ exprimit [2].

(Gen. III, 22): *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* — (Ibid. XI, 7): *Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum.* Quæ verba: *unus ex nobis, descendamus, confundamus*, pluralitatem personarum indicant.

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Confut. I. — [2] Cf. Aguirre, Disp. 58.

(Ps. II, 7): *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te.* His in verbis, quæ de Christo dicuntur, ut constat ex Apostolo, Hebr. V, 5, agitur de Patre generante Filium, et de Filio genito. Sed qui generat, non est numero eadem personam, ac qui gignitur. — Idem eruitur ex verbis (Ps. CIX, 1): *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* Qui enim sedet ad dexteram alterius, ab eo realiter est distinctus.

(P. XXXII, 6): *Verbo Domini cœli firmati sunt; et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* His in verbis Dominus, Verbum, et Spiritus Sanctus exprimuntur, secundum communem Patrum consensum [1], cum quibus etiam nonnulli ex antiquioribus Rabbinis consentiunt [2].

(Ps. LXVI, 7, 8): *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Qua trina repetitione Trinitatem significari testantur S. Gregor. M. [3], et alii Patres [4]. — (Isai. VI, 3): Seraphim clamabant alter ad alterum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus exercituum.* Quam trinam laudem Personarum Trinitatem exprimere testantur S. Ambrosius [5], et cæteri Patres fere omnes.

B. — **Ex Novo Test.** — In libris Novi Fœderis plurima inveniuntur testimonia, quibus tres SS. Trinitatis personæ distincte et manifeste exprimuntur.

1. Legimus (Joan. I, 1): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* « Cum dicitur, *ait S. Alph., Et Verbum erat apud Deum*, Verbum a Patre distinctum esse declaratur, quippe nullus apud semetipsum esse dicatur. Sed ex altera parte, dici nequit distinctum quoad naturam, statim enim additur: *Et Deus erat Verbum.* Necesse est igitur ut quoad personam dicatur distinctum, prout optime probant Tertullianus [6] et S. Athanasius [7]. Præterea in eodem capite subjungitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Atvero, nullus vocari potest filius unigenitus

[1] Cf. Lorinus, *in hunc loc.*, et Ruiz. *De SS. Trinit.*, Disp. 36, sect. 5, ubi Patres citantur. — [2] Cf. Galatinus, *De Arcan.*, l. II, c. 4. — [3] *Moral*, l. 29, c. 16. — [4] Cf. Lorinus, *in hunc loc.* — [5] *De Spirit. S.*, l. III, c. 23. — [6] *Adv. Praxeam.*, c. 26. — [7] *Orat. cont. Sabell. Gregal.*

suimetipsius; Filius ergo a Patre realiter distinguitur. » *(Confut. I, n. 6; cf. Conf. III, n. 2 et 3).*

2. « Probatur secundo, *addit S. Doctor*, ex præcepto quod datum est Apostolis (Matth. XXVIII, 19): *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* Vox: *in nomine*, naturæ unitatem denotat, cum baptismum unicam trium personarum nominatarum operationem esse significet; distincta vero cujuslibet personæ denominatio earumdem distinctionem aperte exprimit. Si igitur tres illæ personæ non Deus, sed creaturæ forent, illud sequeretur absurdum, scilicet Christum creaturas, quippe quas sub eadem appellatione incluserit, Deo æquales fecisse. » *(Loc. cit. n. 7).*

3. « Probatur tertio, *subjungit S. Doctor*, ex verbis (Joan. XIV, 9 et 16): *Philippe, qui videt me, videt et Patrem... — Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* Ex verbis: *qui videt me, videt Patrem*, probatur unitas naturæ divinæ; ex istis vero: *Et ego rogabo* etc.; distinctio eruitur personarum: eadem siquidem persona nequit esse simul Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Quod manifestius adhuc probatur his verbis cap. XV, 26: *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* » *(Loc. cit. n. 8).*

4. Ex historia baptismi Christi Trinitas divinarum personarum omnino manifestatur. Legimus enim (Matth. III, 16, 17): *Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* « In baptismo Christi, *ait S. Joan. Chrysost.*, mysterium Trinitatis demonstratur. Dominus enim in natura humana baptizatur; Spiritus Sanctus descendit in specie columbæ; Patris vox testimonium Filio perhibentis auditur. » *(In cap. III Matth.; cf. S. Th., P. III, q. XXXIX, a. 8).*

Eadem personarum Trinitas in una essentia habetur ex verbis (I Joan., V, 7): *Tres sunt, qui testimonium dant in*

calo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt. Sed si una tantum in Deo persona existeret, quæ pro munerum diversitate Pater, Verbum, et Spiritus nuncuparetur, non tres testes, sed unicus esset testis, quod verbis Joannis aperte contradicit. *(S. Alph., loc. cit. n. 9 et 10).*

II. **Ex Traditione.** Constans Ecclesiæ traditio mysterium SS. Trinitatis ut fundamentale nostræ sanctæ religionis dogma exhibet; quæ traditio manifestatur:

1. *Ex diversis symbolis*, et præsertim ex Symbolo Apostolorum: « Credo in Deum Patrem omnipotentem,... et in Jesum Christum, Filium ejus unicum... Credo in Spiritum Sanctum... »

2. *Ex forma baptismi*, quod, jubente Christo, a primis Ecclesiæ temporibus sub distincta invocatione SS. Trinitatis collatum fuit, et cui expressa hujus mysterii professio a baptizandis præmitti debebat, *teste S. Cyrillo* Hyeros.: « Postea ducebamini ad sanctum divini baptismi lavacrum... Atque tunc unusquisque interrogabatur, an crederet in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti; et confessi estis salutarem confessionem. » *(Catech. mystag. 2).*

3. *Ex diversis Conciliis*, quæ hoc mysterium proclamaverunt, et ab impiorum cavillationibus semper vindicaverunt, ut Nicænum, Constant. I, Ephesinum, etc. *(S. Alph., loc. cit., n. 11).*

4. *Ex formulis liturgicis*, et præsertim ex doxologia: *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*, quæ ab Apostolorum temporibus in Ecclesia semper in usu fuit, prout refert S. Basilius, *(de Spirit. S., n. 71).*

5. *Ex scriptis Patrum*, qui cum ante tum post Concilium Nicænum floruerunt, et hæreticos impugnantes hoc mysterium unanimiter confutarunt.

545. — Prop. II. *Verbum seu Filius, secunda SS. Trinitatis persona, est verus Deus, Patri consubstantialis.*

De fide, ex Concilio Nicæno I, ex Later. IV, et diversis symbolis. Legimus in Symb. Nicæno: « Credo... et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine;

Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Hæc propositio innumeris Sacræ Scripturæ textibus probari potest, ex quibus aliquos seligimus, quos, duce S. Alphonso, *Hist. hær. Confut. II,* ad tres classes referemus.

Prima classis textus continet, quibus Verbum vocatur *Deus, verus Deus, Deus super omnia.*

Legimus (Joan. I, 1): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* In quæ verba scribit *S. Hilarius:* « Cum audio: et Deus erat Verbum, non dictum solum audio Verbum Deum, sed demonstratum intelligo esse quod Deus est... Hic res significata substantiæ est, cum dicitur *Deus erat;* esse enim non est accidens nomen, sed subsistens veritas. » *(De Trinit., l. VII, n. 11).*

(I Joan. V, 20): *Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.* — (Rom. IX, 5): *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* — Et B. Thomas videns Christum, exclamavit (Joan. XX, 28): *Dominus meus, et Deus meus.*

Neç cum Arianis et Socinianis illud opponas, scilicet: homines in Scripturis Deos etiam quandoque vocari, sicut, v. gr., de Moyse legimus (Exod. VII, 1): *Ecce constitui te Deum Pharaonis:* ac proinde ex textibus allatis Verbi divinitatem demonstrari non posse. Quotiescumque enim in Scripturis homo vocatur Deus, ex contextu et ex circumstantiis aperte manifestatur hanc vocem *Deus,* sensu quodam lato accipi; e contra, Verbum sensu stricto et propriissimo Deus nominatur.

Secunda classis textus continet, quibus Verbo eadem natura eademque substantia ac Patri attribuitur.

Legimus Christum dixisse (Joan. X, 30): *Ego et Pater unum sumus.* « Quod si duo unum sunt, *ait S. Athanasius,* necesse est illos duos quidem esse ratione personarum, unum vero secundum divinitatem, et quatenus Filius Patri est consubstantialis... ita ut duo quidem sint, quia Pater est et

Filius; unum autem, quia Deus unus est. » *(Cont. Arian., Or. IV, n. 9).*

Hæc eadem Christi verba Judæi de ejus divinitate intellexerunt: (Joan. X, 31, 33): *Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum... Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo quum sis, facis teipsum Deum.* — (Joan. XIX, 7): *Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.*

(Joan. XVI, 15): *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* — (Joan. XVII, 10): *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Quæ verba consubstantialitatem Filii cum Patre evidenter commonstrant: si enim eamdem cum Patre naturam et substantiam non haberet, Filius omnia, quæ habet Pater, utique non haberet. « Nihil, *inquit S. August.*, Patre minus habet ille qui dicit: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt;* æqualis est igitur. » *(Cont. Maxim. l. I, c. 14).*

(Philipp. II, 6): *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Sed si Verbum Deo Patri consubstantiale non esset, Deo Patri sese æqualem sine rapina dicere non potuisset.

Denique Verbum naturam divinam atque cum Patre consubstantialitatem habere, ex omnibus iis textibus, in quibus Christus dicitur *Filius Dei, verus Filius Dei, proprius Filius Dei, Filius Dei Unigenitus*, eruitur. Filius enim, sicuti ex definitione generationis constat, ille solus dici potest, qui cum Patre in natura communicat. Ergo, eo ipso quod Christus seu Verbum verus et proprius Filius Dei nominatur, ipsum cum Patre eamdem naturam habere, et esse verum Deum, manifeste declaratur.

Istius argumenti vim eludere conantur antitrinitarii dicentes, Verbum esse Filium, non natura, sed adoptione. Sed incassum. Verbum enim est Filius *verus*, Filius *proprius* Dei. Sed filius verus et proprius est filius natura, non adoptione. — Præterea, Verbum vocatur Filius Unigenitus. Sed cum omnes justi sint filii Dei adoptione, si Verbum non natura, sed adoptione, Filius Dei esset, Unigenitus nullatenus vocari posset. — Denique, teste Apostolo, filiatio Verbi est altioris et perfectioris ordinis, quam filiatio Angelorum. (Hebr. I, 5): *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu; ego hodie genui te? et*

rursum: Ego ero illi in Patrem..., et ipse erit mihi in Filium. Atqui Angelorum filiatio est adoptiva per gratiam. Ergo Verbi filiatio non est adoptiva, sed naturalis.

Tertia classis textus exibet, quibus Verbo ea attribuuntur, quæ ei soli, qui vere Deus est atque Deo Patri consubstantialis, convenire possunt. — Verbo attribuitur:

ÆTERNITAS, (Joan. I, 1): *In principio erat Verbum.* In principio, scilicet ante omnia, erat Verbum. Quibus verbis innixum, Concil. Nicænum I. hanc Arianorum propositionem condemnavit: « Fuit aliquando tempus quando Filius Dei non erat. » — Et (Apoc. I, 8) legimus: *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis... qui est, et qui erat, et qui venturus est.*

MUNDI CREATIO, (Joan. I, 3): *Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil quod factum est.* — Et, (v. 10): *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est.* — (Ps. CI, 26): *Initio tu, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt cœli.* Quæ verba de Christo intelligenda esse testatur Apostolus, Hebr. I, 10.

OMNISCIENTIA, (Colos. II, 3): *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.*

POTESTAS REMITTENDI PECCATA, (Luc. V, 20): *Homo, remittuntur tibi peccata tua.*

INFUSIO GRATIÆ, (Joan. I, 12): *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sed per solam gratiam sanctificantem homo formaliter constituitur filius Dei.

HONOR CULTUS DIVINI, (Joan. V, 23): *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*

ÆQUALIS POTESTAS CUM PATRE, (Matth. XXVIII, 19): *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.*

ÆQUALIS VIRTUS AD OPERANDUM, (Joan. V, 19): *Quæcumque enim ille* (Pater) *fecerit, hæc et Filius similiter facit.*

VIRTUS BEATIFICANDI, (Joan. X, 28): *Et ego vitam æternam do eis.*

11. **Ex Traditione** [1]. Antitrinitarii recentiores ultro fatentur S. Patres qui, peracto Concilio Nicæno, scripsere, Christi

[1] Cf. S. Alph., *loc. cit.*, § 2; Witasse; Petrocorenses *De Trinit.*, c. I, q. 2.

divinitatem atque ejus cum Patre consubstantialitatem admisisse; ast negant Patres antenicænos easdem agnovisse. Horum igitur testimonia imprimis sunt referenda.

S. Ignatius M. Christum Deum aperte confitetur, eumque sæpius *Deum, Deum nostrum* vocat. Scribens *ad Smyrn. I, 1*, ait « Ipse Deus noster Jesus Christus, iterum in Patre existens, magis manifestatur. » Et *in Epist. ad Ephes. VII, 2:* « Medicus unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, in carne existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Jesus Christus, Dominus noster. »

S. Polycarpus: « Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum, Unigenitum Filium tuum, per quem tibi una cum ipso in Spiritu Sancto gloria, nunc et in sæcula sæculorum. Amen. » *(In Ep. fratrum Smyrnæorum).*

S. Justinus: « Christus, Filius Dei Patris, qui solus proprie Filius dicitur, ejusque Verbum... quod simul cum illo ante creaturas et exstitit et genitus est. » *(Apolog. II, n. 6).*

S. Irenæus: « Ipse Christus cum Patre vivorum est Deus, qui locutus est Moysi, qui et patribus manifestatus est. » *(Adv. hær. l. IV, c. V, n. 2).*

III. **Ex Ratione.** Legimus: (Joan. I, 3): *Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil quod factum est.* « Qui Verbi divinitatem negat, *ait S. Alphonsus,* vi istorum verborum dicere cogitur vel Verbum factum non esse, sed fuisse ab æterno; vel Verbum a semetipso factum esse. Sed dicere Verbum a semetipso factum esse, manifeste repugnat, *nemo enim dat quod non habet.* Necesse est igitur ut confiteamur Verbum factum non esse, alioquin falsum esset quod dicit S. Joannes: *sine ipso factum est nihil quod factum est.* Ita argumentatur S. Augustinus, *(De Trinit. l. I, c. 6),* qui ex præcitatis verbis evidenter demonstrat Verbum esse Patri consubstantiale: *Neque enim dicit* omnia *nisi quæ facta sunt, id est omnem creaturam; unde liquido apparet ipsum factum non esse per quem facta sunt omnia; et si factus non est, creatura*

non est; si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est; etc. » *(Loc. cit., n. 6).*

546. — Prop. III. *Spiritus Sanctus est verus Deus, Pari et Filio consubstantialis* [1].

De fide, ex diversis Conciliis, præsertim ex Constant. I: « Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et glorificandum, qui locutus est per prophetas. » — Et ex Later. IV, de Summa Trinit., c. 1: « Confitemur quod unus solus est verus Deus... Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino. »

Prob. I. **Ex Script. S.** — 1. Spiritus Sanctus vocatur Deus, (Act. V, 3, 4): *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?... Non es mentitus hominibus, sed Deo.* — (Hebr. I, 1): *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis*, etc. Sed Spiritus Sanctus est, qui Patribus locutus est, ut constat II Petr. I, 21, et Act. I, 16. — Spiritus Sanctus igitur est verus Deus.

2. Ex forma baptismi, (Matth. XXVIII, 19): *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* His in verbis Christus Spiritum Sanctum Patri et Verbo connumerat. Atqui si Spiritus Sanctus non esset verus Deus, hoc fieri non potuisset. Ergo. (Cf. n. 544, B). — « Ut baptizamur, *ait S. Basilius*, ita et credimus; ut credimus, ita et glorificamus. Cum igitur baptisma a Salvatore datum sit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, consentaneam baptismo confessionem fidei, consentaneam etiam fidei glorificationem adhibemus, Spiritum Sanctum una cum Patre et Filio glorificantes, eo quod persuasum sit nobis, illum a natura divina non esse alienum. Neque enim eorumdem honorum esset particeps, quod alienum foret secundum naturam. » *(Epist. 159, n. 2).*

3. (I. Joan. V, 7): *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum*

[1] Cf. S. Alph. *Hist. hær.* Confut. III.

sunt. Si autem hi tres unum, id est, una natura sunt, Spiritus Sanctus, non secus ac Pater et Filius, verus Deus est.

4. Spiritui Sancto in S. Scripturis ea attribuuntur divina attributa, quæ soli Deo convenire possunt. Attribuitur: Immensitas, (Sap. I, 7): *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* — Omniscientia, (I Cor. II, 10, 11): *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei... Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* — (Joan. XVI, 13): *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.... et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* — Majestas suprema, (I Cor. VI, 19): *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est.*

Spiritui Sancto in Scripturis divinæ attribuuntur operationes. Ipsi attribuitur:

Mundi creatio (Ps. CIII, 30): *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur.* — (Job. XXVI, 13): *Spiritus ejus ornavit cœlos.*

Infusio gratiae et justificatio impii, (Rom. V, 5): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* — (I Cor. VI, 11): *Justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.*

Gratiarum gratis datarum collatio, (Matth. XII, 28): *In Spiritu Dei ejicio dæmones.* — (I Cor. XII, 4-11): *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus... Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem... Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ... Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Inspiratio prophetarum, (II Petr. I, 21): *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

II. **Ex Traditione.** 1. Plura Concilia, qua generalia qua particularia, Spiritus Sancti divinitatem, atque ejus cum Patre et Filio consubstantialitatem, contra Macedonium definierunt. *(Cf. S. Alph. Conf. III. n. 16).*

2. Fidei symbola antiquissima Spiritus Sancti divinitatem confitentur. Legimus in symb. Athanasiano: « Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus, etc. »

3. Ecclesia in suis orationibus Spiritum Sanctum, non secus ac Patrem et Filium, tanquam Deum semper invocavit;

et a primis jam sæculis usa est doxologia: *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.* Sed lex orandi legem statuit credendi. *(De doxologia cf. S. Basilium, De Spirit. S.. c. 25-29. — Et S. Alph. Confut. III, n. 13).*

4. S. Patres uno ore Spiritus Sancti divinitatem celebrant. Ait *Joannes Papa II:* « Quod Spiritus simul Patris, et Filii sit, et ipse consubstantialis et coæternus ambobus. » *(In Ep. ad Senatores). — S. Justinus:* « Verum hunc ipsum (Patrem), et qui ab eo venit, Filium, et Spiritum propheticum colimus et adoramus, cum ratione et veritate venerantes. » *(Apol. I, n. 6). — Clemens Alex.:* « Unus quidem est universorum Pater; unus est etiam Verbum universorum; et Spiritus Sanctus unus, qui et ipse est ubique. » *(Pædag., l. I, c. 6).*

547. — Prop. IV. *Tres divinæ personæ una sunt essentia, substantia, seu natura divina.*

De fide, ex pluribus Conciliis. Legimus in Constantin. II, collat. 8, can. 1: « Si quis non confitetur Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unam naturam, sive substantiam, et unam virtutem, et potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam, talis anathema sit. » — Et in Symb. S. Athanasii: « Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. »

Prob. I. Divinæ essentiae unitas in tribus divinis personis ex iis, quæ in superiore tractatu de unitate Dei dicta sunt, (n. 447), manifeste eruitur. Si enim Pater est Deus, Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, quin eamdem numero naturam et substantiam habeant, tres Dii ab invicem distincti existunt; quod repugnat.

II. Eadem divinæ essentiæ in tribus personis unitas ex superioribus manifeste probatur (n. 545 et 546). In eis enim tum consubstantialitas Verbi cum Patre, tum consubstantialitas Spiritus S. cum Patre et Filio in lucem posita est. Sed trium divinarum consubstantialitas absolute exigit, ut una sit in eis essentia, una substantia.

Imprimis autem citari debent verba Christi (Joan. X, 30): *Ego et Pater unum sumus.* — Et (I Joan. V, 7): *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt.* Sed verbum *unum*, in neutro genere, idem significat ac *unum eus.* Sed unius entis una est **natura, una substantia.**

III. **Ex Traditione.** Concilia qua generalia qua particularia, universa traditio Ecclesiæ, omnes S. Patres unitatem essentiæ divinarum Personarum vindicarunt. « Omnes, *ait S. Augst.*, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate... hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres dii, sed unus Deus. » *(De Trinit. l. I, c. 4).*

548. — Coroll. Ex dictis de unitate naturæ in tribus divinis personis deduces:

I. *Tres divinas personas esse sibi coæquales et coæternas:* « Et in hac Trinitate, *ait Symb. S. Athan.*, nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales. » — « Sciendum est, *ait Magister Sent., I. D. XIX*, quia Pater non est major Filio, nec Pater vel Filius major Spiritu Sancto, nec majus aliquid duæ personæ sunt simul quam una, nec tres simul majus aliquid quam duæ: nec major est essentia in tribus quam in duabus, nec in duabus quam in una: quia tota est in singulis. » — Similiter, licet Filius a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedat, nulla inter eos prioritas temporis existit, quia eadem essentia est simul tres personæ.

II. Tribus personis communia esse *tum attributa absoluta*, quippe hæc divinam naturam, quæ in tribus personis eadem est, sequuntur; *tum opera ad extra*, quippe quæ ab omnipotentia procedunt; omnipotentia vero, utpote attributum absolutum, tribus personis communis est. — Exinde effata: *Omnia in divinis sunt communia, ubi non obviat relationis oppositio:* — et: *Indivisa sunt opera Trinitatis ad extra.*

III. *Quamlibet personam in aliis intime inexistere.* — Divinæ personæ ab invicem infinite distinguuntur; quælibet

tamen in aliis intime inexistit, secundum illud Christi Domini (Joan. XIV, 11): *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Et secundum illud quod canit S. Mater Ecclesia: *In Patre totus Filius, et totus in Verbo Pater (In hymno ad laud. fer. II).* — Et *S. August:* « Singula, *ait*, sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. » *(De Trinit., l. VI, c. 10).*

Hæc intima et mutua inexistentia unius personæ in altera *circumincessio* seu *perichoresis* vocatur, et in eo præsertim fundatur, quod in tribus personis eadem est natura. « Secundum essentiam, *ait S. Th.*, Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia, et communicat suam essentiam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Unde sequitur quod, cum essentia Patris sit in Filio, in Filio sit Pater. » *(Q. 42, a. 5).* Et *S. August.*, « Propter unitatem naturalem totus Pater in Filio et Spiritu Sancto est; totus quoque Spiritus Sanctus in Patre et Filio est: nullus horum extra quemlibet ipsorum est, propter naturæ divinæ unitatem. » *(De fide ad Petr., c. I, § 4).*

Quo pacto autem una persona tota sit in altera, altum est arcanum, quod ab homine reserari nequit. « Affert plerisque obscuritatem, *inquit S. Hilarius*, sermo Domini, cum dicit: *Ego in Patre, et Pater in me est:* nec immerito; natura enim intelligentiæ humanæ rationem dicti hujus non capit, nec exemplum aliquod rebus divinis comparatio humana præstabit. Sed quod non intelligibile est homini, Deo possibile est ». *(De Trinit., l. III).*

549. — **Quaeritur.** *Utrum mysterium SS. Trinitatis Judæis fuerit cognitum.*

Resp. Tres Judæorum ordines distingui debent, nempe: 1. Patriarcharum, prophetarum et aliorum insignium virorum: 2. Scribarum et legis doctorum; 3. Vulgi.

1. *Patriarchæ, prophetæ* aliique viri insignes mysterium SS. Trinitatis perfecte cognoverunt. Patriarchæ enim Verbum incarnatum videre exoptarunt, secundum illud, (Matth. XIII, 17): *Amen dico vobis, quia multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt.* — Prophetæ vero cum divinarum Personarum distinctionem, tum Christi et Spiritus Sancti divinitatem nobis in Vet. Testamento tradiderunt. Atqui, id, quod scribebant et annuntiabant, procul dubio etiam noverant.

Quod ad populum, seu vulgum attinet, hoc mysterium ignoravit. « Sancti Patres, *ait S. Greg. Magn.*, quos per sanctam Scripturam ante

legem fuisse cognovimus, unum quidem omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem esse noverunt: sed eamdem Trinitatem, quam cognoverant, aperte minime prædicaverunt... Hebræorum populus de cognitione S. Trinitatis eruditus non est. Et quamvis hanc spirituales Patres perfecte cognovissent, multitudo tamen Synagogæ nec invenire mysterium Trinitatis potuit, nec quærere scivit». (*In Ezech., l. II, hom. 16*). Populo huius mysterii existentia aperte manifestata non fuit, ne inde occasionem tres Deos adorandi arriperet, ut observat Theodoretus. (*De principiis, l. II*).

2. *Scribæ et legis doctores*, etsi de hoc mysterio non adeo claram ac perfectam, quam Patriarchæ et Prophetæ, notitiam habuerint, illud tamen cognoverunt, sicut ex antiquorum rabbinorum scriptis constat [1]. In Sacris enim Scripturis Vet. Legis plura inveniuntur loca, in quibus hoc mysterium fuit revelatum; ex his autem legis doctores, qui Scripturis evolvendis assueti erant, mysterium SS. Trinitatis noscere potuerunt.

CAPUT II.

DE INTRINSECA SS. TRINITATIS RATIONE.

Explorata mysterii SS. Trinitatis veritate, intrinseca ejus ratio, in quantum hujusmodi investigatio debilitati humani intellectus concessa est, inspiciatur necesse est. Disserendum est ergo: I. de divinis processionibus; II. de relationibus; III. de notionibus et actibus notionalibus

ARTICULUS I.

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.

550. — Definitio. — Processio definitur: *Origo unius ab alio tanquam principio;* sicut, v. g., dicimus radius procedit a sole, operatio ab operante, genitus a generante.

Processio est duplex, videlicet: ad intra seu immanens; et ad extra seu transiens. — Processio *immanens* est productio

[1] Cf. Galatinus, *De Arcanis*, l. II, c. I; et Aguirre, Disp. 58, n. 31; disp. 82, n. 36-38.

alicujus, quod intra principium productivum remanet; ejusmodi est verbum mentis, quod in intellectu; et volitio, quæ in voluntate remanet. — Processio *transiens* est productio alicujus extra suum principium productivum; ut, v. gr., ædificatio, qua ab artifice fabricatur domus. *(Cf. Polm. n. 379 et seq. — S. Th., q. XXVII, a. 1).*

551. — Processio immanens perfecta et imperfecta. — Processio immanens est vel perfecta, vel imperfecta[1]. — Processio *imperfecta*, quæ etiam *physica* vocatur, ea est, qua unum ab alio ita procedit, ut importetur cum mutatio ex parte principii, tum vera et stricta dependentia termini productionis a suo principio, tum numerica saltem inter principium et principiatum naturæ diversitas. Terminus hujus processionis nuncupatur *effectus*. Sic, v. gr., in homine, verbum mentale est processio ad intra, sed imperfecta, quia et intellectus dicendo verbum mutatur, et verbum quoad esse ab intellectu stricte et proprie dependet, et diversam ab eo naturam habet. — Omnis processio quæ fit in creaturis est imperfecta, ut notat S. Thomas. *(I Sent. D. XIII, a, 1).*

Processio *perfecta*, quæ etiam *metaphysica* vocatur, ea est quæ in suo conceptu includit tantum emanationem seu originem, qua unum ab alio producitur absque omni imperfetione mutationis ex parte producentis, vel diversitatis aut dependentiæ ex parte producti; ita ut inter ipsum productum et producentem duo duntaxat respectus *a quo alius*, et *qui ab alio*, remaneant. Hæc processio est soli Deo propria, in quo solo, absque mutatione Patris aut dependentia vel diversitate procedentis, natura Patris eadem numero Filio et Spiritui Sancto communicatur. — Quae distinctio ad solvendas rationes, quas Ariani et Macedoniani contra divinas processiones adducunt, apprime inservit.

552. — Discrimen inter causam et principium. — Doctores Latini ad originem divinarum personarum significandam, nunquam voce *causa* utuntur, quippe quæ apud Latinos

[1] Cf. S. Th., q. XXVII, a. 1, ad 2 et 3. — Isamb., In q. 27, Disp. III.

pro correlativo vocem *effectus* habeat, et processionem imperfectam semper denotet; e contra vox *principium*, quæ est universalior, processionem perfectam etiam significat; quo fit ut in divinis, Pater principium Filii, non vero ejus causa, dici possit. — Apud Græcos vero vocabulum *causa* eumdem sensum præ se fert ac *principium* apud Latinos; unde et Patres Græci Deum Patrem *causam* vel *principium* Filii vocare consueverunt. *(Cf. De Pot., q. X, art. 1, ad 8 et 9).*

553. — Processio activa et passiva. — Processiones considerari possunt active vel passive. *Active* sumptæ sunt ipsa principia, seu operationes, quibus personæ divinæ procedentes producuntur. — *Passive* sumptæ, sunt termini illarum actionum, seu personæ ex illis principiis et actionibus procedentes.

554. — Prop. I. *In Deo processiones, et quidem duæ, nec plures, nec pauciores, sunt admittendæ.*

De fide, ex Script. Sacra, Conciliis, atque unanimi Patrum traditione.

Prob. I Pars: *In Deo processiones sunt admittendæ.*

I. **Ex Symbolo Nicæno**, in quo Verbum divinum dicitur: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero* — Et de Spiritu Sancto additur: *Qui ex Patre Filioque procedit.*

II. **Ex Script. S.** Christus de se dicit (Joan. VII, 29): *Ego scio eum, quia ab ipso sum.* — (Joan. VIII, 42): *Ego ex Deo processi, et veni.* — Et de Spiritu Sancto dicit (Joan. XV, 26): *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* — Et Deus Pater de se testatur (Is. LXVI, 9): *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus: si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?*

III. **Ex Traditione.** « Nefas est dicere, *ait S. Joan. Damasc.*, Deum naturali fecunditate caruisse; fecunditas porro in eo posita est, ut quis ex seipso, id est ex propria substantia, prolem natura sui similem edat. » *(De fide orth., l. I, c. 8).*

IV. **Ex Ratione.** Divinarum processionum existentiam, quippe quæ sola revelatione innotescere possint, ratio natu-

ralis nullis argumentis apodictice probare valet. Posita autem earumdem revelatione, ratio eas congruentiis quibusdam suadere valet. In Deo enim, ut (n. 462 et seq.) dictum est, intellectus existit et voluntas. Sed intellectui et voluntati naturale est, ut ab eis actus procedat. « Quicumque enim intelligit, *ait S. Thomas*, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens, quæ conceptio Verbum mentis appellatur. » *(Q. XXVII, a. 1)*. Cum ergo Deus sit summe et infinite intelligens, ex sui cognitione Verbum, non accidentale et imperfectum sicut nos, sed æternum et substantiale, producit.

Similiter « secundum operationem voluntatis invenitur in nobis quædam alia processio, scilicet processio amoris, secundum quam amatum est in amante. » Sed Deus habet perfectissimam voluntatem. « Unde et præter processionem Verbi ponitur alia processio in divinis, quæ est processio amoris. » *(Q. XXVII, a. 3)*.

Prob. II Pars: *Duæ processiones, nec plures, nec pauciores, sunt in Deo.*

1. Probatur iisdem argumentis ac prima pars. — *De fide* est enim in Deo esse tres personas, nec plures nec pauciores, quarum una necessario est principium; aliæ vero duæ sunt a principio. Atqui persona procedens est idem ac processio passive sumpta. Ergo in Deo duæ sunt processiones.

2. « Processiones in divinis, *ait S. Th.*, accipi non possunt, nisi secundum actiones quæ in agente manent. Hujusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt nisi duæ; scilicet *intelligere* et *velle*.... Relinquitur igitur quod nulla alia processio possit esse in Deo nisi Verbi et Amoris. » *(Q. XXVII, a. 5)*.

555. — **Prop. II.** *Processio Verbi dici debet vera generatio, non autem processio Spiritus Sancti*[1].

[1] Cf. S. Th., *Cont. Gent.*, l. IV, c. 11; Aguirre, disp. 95; Isamb. q. XXVII, disp. IV, a. 2.

De fide, ex diversis Symbolis atque Conciliis. Legimus in Symb. S. Athanasii: « Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. »

Prob. I Pars: *Processio Verbi est vera generatio.*

I. **Ex Script. S.** Legimus (Ps. II, 7): *Filius meus es tu, ego odie genui te.* — (Ps. CIX, 3): *Ex utero ante luciferum genui te.* Quae verba, teste Apostolo (Hebr. I, 5; V, 6), de Christo, Verbo divino, prolata sunt.

Verbum vocatur *Filius Unigenitus*, (Joan. I, 18): *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Sed *unigenitus* est filius *unicus*, qui vera generatione ex Patre natus est. — Verbum vocatur *proprius Filius* Dei, (Rom. VIII, 32): *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit.* Sed Filius proprius est filius naturalis, qui ex substantia Patris genitus est. Processio igitur Verbi est vera generatio.

II. **Ex Ratione.** Naturalis intellectus nullam rationem assignare valet, qua Filii processionem veram esse generationem certo probetur: congruentiam tamen afferre potest; scilicet:

Ex Scripturis et Traditione certum est, Verbum a Patre per intellectum procedere. Sed in processione divina, quæ est ab intellectu, ea omnia inveniuntur, quæ ad veram et proprie dictam generationem requiruntur. Ergo Verbi processio potest et debet dici generatio.

Et re quidem vera, generatio definitur: *Origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ vi processionis formaliter.* Atqui Verbum divinum procedens a Patre: *a) Est vivens a principio vivente:* (Joan. V, 26): *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso. — b) Est a principio conjuncto:* (Ps. CIX, 3): *Ex utero ante luciferum genui te;* id est, de mea substantia. — Et (Joan. X, 30): *Ego et Pater unum sumus. — c) Est in similitudinem naturæ:* (Hebr. I, 3): *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus. — d) Vi processionis formaliter:* verbum ab intellectu dictum, vi suæ processionis, est perfecta rei intellectæ similitudo. Intellectus enim, ut docent philosophi, intelligendo aliquam rem, sibi rei intellectæ

imaginem seu similitudinem, verbum mentis nuncupatam, efformat; exinde axioma: *Intellectus fit in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem.* Deus Pater igitur intelligendo seipsum, vi suæ intellectionis perfectam et substantialem sui ipsius imaginem, quæ Verbum dicitur, producit. Cum autem secunda SS. Trinitatis persona ab intellectu Patris procedat, ipsa vi suæ processionis in similitudinem Patris producentis procedit. « Processio igitur, *inquit S. Th.*, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis; et in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. » *(Q. XXVII, a. 4).*

Prob. II Pars: *Processio Spiritus Sancti non est generatio.*

I. **Ex Script. S.** Verbum in Sacris Scripturis semper vocatur *Unigenitus:* (Joan. I, 18): « *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* — (Joan. III, 16): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Sed si processio Spiritus Sancti generatio dici posset. Verbum non foret *Unigenitus.* — *Ad hoc:* A Scripturis Sacris et a Patribus generatio Spiritui Sancto nunquam, semper vero soli Filio, tribuitur.

II. **Ex Ratione.** Illius processio dici nequit generatio, qui vi suæ processionis formaliter similitudinem cum suo principio non habet. Atqui Spiritus Sanctus, qui a voluntate Patris et Filii procedit, vi suæ processionis formaliter similitudinem cum Patre et Filio non habet. Ergo ipsius processio nequit dici generatio.

Prob. min. « Voluntas fit in actu, *ait S. Th.*, non per hoc quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate; sed ex hoc quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam.... Processio igitur quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid; et ideo quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut Filius, sed magis procedit ut spiritus. Quo nomine quædam vitalis motio et impulsio designatur. » *(Q. XXVII, a. 4).*

NB. Processio Spiritus Sancti nomen commune *processionis* conservat; Filii vero processio *generatio* vocatur. « Deum, *ait S. Th.*, nominare non possumus nisi ex creaturis. Et quia in creaturis communicatio naturæ non est nisi per generationem, processio in divinis non habet proprium vel speciale nomen nisi generationis. Unde processio quæ non est generatio, remansit sine speciali nomine, sed potest nominari spiratio, quia est processio Spiritus. » *(Q. XXVII, a. 4, ad 3).*

556. — Scholium [1]. Ex dictis intelligitur ratio *probabilis* a Patribus et theologis communiter assignata, ob quam Verbum, non autem Spiritus Sanctus, vocatur *Filius*, et *Genitus*, quia scilicet Verbum, procedendo per intellectum Patris, vi processionis formaliter omnia habet, quæ ad veram et propriæ dictam generationem requiruntur; Spiritus Sanctus vero, procedendo per voluntatem, deficit in ratione **similitudinis vi ipsius processionis formaliter.**

Spiritus Sanctus procedit quidem etiam in similitudinem Patris et Filii: est enim Deus de Deo. Sed hæc similitudo non est vi processionis formaliter, sed aliunde, ex eo scilicet quod, quidquid est in Deo, Deus est; et quidquid procedit a Deo ut ei immanens, ejusdem naturæ, ac ipse Deus producens, esse debet. Et ideo Spiritus Sancti processio nequit dici generatio, cum ad generationem non sufficiat assimilatio quocumque modo habita; sed requiratur assimilatio vi ipsius actionis productivæ: sic, v. gr. Abel dicitur natus ex Adamo, non autem Eva, quamvis hæc etiam sit ex substantia Adami. *(Cont. Gent. IV, c. 23, n. 10).*

Hæc ratio est *probabilis* et communiter recepta; non est autem omnino certa: confitentur enim unanimiter S. Patres et theologi nullam certam hujus discriminis rationem assignari posse; quippe de generatione æterna agatur, cujus modum Deus nobis revelare noluit.

557. — Prop. III. *Eximiæ sunt divinarum processionum proprietates et prærogativæ* [2].

Divinæ processiones:

1. Sunt IMMANENTES. (Joan. I, 1): *Et Verbum erat apud Deum.* — (Ibid. 18): *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* — (XIV, 11): *Ego in Patre, et Pater in me est.* « De Patre, *ait S. Petrus Chrysologus*, processit Filius, non recessit; nec successurus Patri prodivit ex Patre, sed prodivit mansurus semper in Patre. Audi Joannem dicentem: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. Quod

[1] Cf. Isamb., q. XXVII, disp. 4, a. 4 et seq. — [2] Cf. Contenson, l. III, d. I, c. 1, sp. 3.

erat, utique non accessit; quod erat apud Deum, a Deo non recessit. » *(Sermo 17).* — Quod autem de Verbo dicitur, etiam de Spiritu Sancto affirmandum est. Ratio est: quia Verbum per intellectum, et Spiritus Sanctus per voluntatem procedit. Sed intellectus et voluntas suarum actionum vitalium terminos in seipsis habent.

2. Sunt SUBSISTENTES. Propter innatam creaturæ imperfectionem, verbum humanum et Angelicum est accidens, et eamdem cum eo, a quo procedit, naturam non habet. — Idem de amore dicendum est.

« Quum autem intellectus divinus, *ait S. Th.*, non solum sit semper in actu, sed etiam sit ipse actus purus, oportet quod substantia intellectus divini sit ipsum suum intelligere, quod est actus intellectus. Esse autem verbi interius concepti, sive intentionis intellectæ, est ipsum suum intelligi. Idem ergo esse est Verbi divini et intellectus divini, et per consequens, ipsius Dei, qui est suus intellectus. Esse autem Dei est ejus essentia vel natura, quæ idem est quod ipse Deus. Verbum igitur Dei est ipsum esse divinum, est essentia ejus, et ipse verus Deus. » *(Cont. Gent. IV, c. 11).* — Idem de Spiritu Sancto affirmandum est.

3. Sunt NECESSARIÆ. Deus semetipsum necessario cognoscit; ac proinde necessario existit in seipso ut intellectum in intelligente: seu necessario de se efformat Verbum, perfectissimam et substantialem sui imaginem. « Deus seipsum naturaliter intelligit, *ait S. Th.*, sicut et naturaliter est; suum enim intelligere est suum esse. Verbum igitur Dei seipsum intelligentis naturaliter ab ipso procedit..... Unde falsum est quod Ariani dicunt quod Pater genuit Filium voluntate: quæ enim voluntarie fiunt, non naturalia sunt. » (*Cont. Gent. IV, c. 11).* — Idem dicendum de amore: Deus quippe seipsum necessario diligit.

4. Sunt ÆTERNÆ. (Mich. V, 2): *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Deus ab æterno sese intelligit atque amat. Cum autem æternitas sit *nunc* in sua immobilitate totum tempus ambiens, personæ procedentes fluunt perenniter a suo principio; sunt semper veteres et semper novæ: veteres, quia

sine initio; novæ, quia quotidie, singulisque momentis promanant: *Ego hodie genui te.* — Et Later., cap. *Firmiter*, docet: « Ab initio semper et sine fine Pater generans, et Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens. » — Et *S. Th.*, « Filius semper generatur, et Pater semper generat. » *(Q. XLII, a. 2, ad 3. — Cf. ibid., a. 4; et I Sent. d. IX, a. 2).*

5. Sunt OMNIS IMPERFECTIONIS EXPERTES. In creatis omnis processio quamdam involvit imperfectionem: sic, v. gr. mutatur principium producens: id, quod procedit, efficitur, et a suo principio quoad esse dependet, nec eamdem numero naturam cum suo principio possidet.

In divinis, processiones nullam prorsus imperfectionem conjunctam habent. Pater generat, sed absque sui mutatione: « Veræ fidei professio est, *inquit S. Hilarius*, ita Deum ex Deo natum, ut lumen ex lumine, quod sine detrimento suo naturam suam præstat ex sese, ut det quod habet, et quod dederit, habeat. » *(De Trinit., l. VI, n. 12).* — Nascitur Filius, sed quia eamdem numero cum Patre naturam divinam habet, a Patre nec causatur nec efficitur, nec ab eo quoad esse dependet, nec Patre minor existit. « De Deo nascitur Deus, ait *Zeno Veron.*, de toto totus, totum Patris habens, nihil derogans Patri. » *(Serm. II).* — Idem de Spiritu Sancto respectu Patris et Filii dicendum est.

ARTICULUS II.

DE DIVINIS RELATIONIBUS [1].

558. — Ex illis, quæ de processionibus dicta sunt, sequitur in Deo relationes existere; relatio quippe nihil est aliud, quam *ordo seu respectus unius ad aliud*, v. gr., patris ad filium.

In qualibet relatione tria inveniuntur, videlicet: *subjectum* quod refertur; *terminus* ad quem refertur: et *fundamentum*,

[1] Cf. S. Th., P. I, q. XXVIII; De Pot., q. VII; Aguirre, disp. 79, 80 et 81.

seu ratio ob quam unum ad aliud refertur; v. gr., Pater refertur ad Filium propter generationem.

Relatio potest esse vel realis, vel rationis [1]. *Relatio realis* ea est, quæ in rebus, independenter a mentis consideratione, invenitur; *rationis* ea dicitur, quæ in rebus realiter non invenitur, sed a mente tantum ponitur.

559. — Relatio, sicut quodlibet aliud accidens, dupliciter considerari potest, nempe [2]: 1. Quoad *suum esse*, seu *suam entitatem*, secundum quod relatio est accidens, et hoc est inesse subjecto: « accidentis enim esse est inesse » *(q. XXVIII, a. 2)*; — 2. Quoad *rationem suam specificam*, qua relatio ab aliis accidentibus generice distinguitur; et hoc est *referri ad aliud*. Et ex hac ratione relatio non habet quod ponat aliquid in eo, de quo dicitur, quia « ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra. » *(Q. XXVIII, a. 2; cf. De Pot., q. II, a. 5)*. — Quæ duo a theologis vocantur *esse in* et *esse ad*. — Relationes, quæ divinas personas constituunt, ut dicetur in prop. V. (n. 565), sunt relationes secundum *esse ad*, et non secundum *esse in*. Sic, v. gr., Patrem constituit paternitas non secundum esse in se consideratum; sed quatenus in ordine ad Filium consideratur.

560. — Prop. I. *Admittendæ sunt in Deo relationes reales* [3].

De fide ex Florent. in quo legimus: « Omnia (in Deo) sunt unum et idem ubi non obviat relationis oppositio. » — *Et ex Tolet. II:* « In relativis personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur. »

Prob. I. **Ex Script. S.** In Script. Sacra, prima SS. Trinitatis persona semper vocatur Pater: secunda vero Filius, et quidem Filius *verus, proprius*. Porro, denominatio Patris et Filii veram et realem relationem Patrem inter et Filium

[1] Cf. S. Th., I, *Sent.*, d. 28, q. II, a. 1. — [2] Cf. I *Sent.* d. 26, q. II, a. 1, et P. I, q. XXVIII, a. 2. — [3] Cf. Aguirre, d. 81, sect. 1. (p. 539).

denotat, quippe nullus dicatur Pater nisi in ordine ad Filium. Sunt igitur in Deo relationes reales.

II. **Ex Ratione.** 1. Ubi est vera origo unius ab altero, ibi adsint reales relationes producentis et producti, necesse est. Atqui in divinis Filius originem realiter habet a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio. Ergo necesse est ut in Deo realis adsit relatio Patrem inter et Filium; atque Spiritum Sanctum inter et Patrem et Filium.

2. De fide est. Patrem et Filium, et Spiritum Sanctum esse tres personas ab invicem realiter distinctas. Atqui Pater et Filius sola paternitate et filiatione ab invicem distinguuntur; et Spiritus S. sola spiratione passiva a Patre et Filio realiter distinguitur, secundum axioma Boetii ab omnibus receptum: « sola relatio in divinis multiplicat Trinitatem. » *(De Trinit., c. VI)*. Ergo paternitas, filiatio, et spiratio sunt relationes reales.

561. — **Prop. II.** *Quatuor sunt in Deo relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Processio seu Spiratio passiva*[1]. — Certa.

Prob. Cum in Deo relationes secundum originem solum attendantur, tot in Eo reales sunt relationes, quot in Eo sunt principia producentia, et personæ procedentes. Atqui fides docet duo esse in Deo principia producentia, videlicet Patrem relate ad Filium, et Patrem et Filium relate ad Spiritum Sanctum: et duas esse personas procedentes: Filium a Patre, et Spiritum Sanctum a Patre et Filio. Quatuor igitur in Deo existunt relationes reales: paternitas scilicet et filiatio, spiratio activa et spiratio passiva.

Apposite *S. Thomas:* « Relationes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones secundum quas est processio in Deo non extra, sed intra. Hujusmodi autem processiones sunt duæ tantum, quarum una accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio Verbi; alia secundum actionem voluntatis, quæ est processio amoris. Secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis a principio, et

[1] Cf. Aguirre, d. 81, sect. 2.

alia ipsius principii. Processio autem Verbi dicitur generatio secundum propriam rationem qua competit rebus viventibus. Relatio autem principii generationis in viventibus perfectis dicitur Paternitas; relatio vero procedentis a principio dicitur filiatio. Processio vero amoris non habet nomen proprium, unde neque relationes quæ secundum ipsam accipiuntur. Sed vocatur relatio principii hujus processionis *spiratio*, relatio autem procedentis, processio.» *(Q. XXVIII, a. 4).*

562. — Prop. III. *Relationes divinæ ab essentia non realiter, sed virtualiter distinguuntur.*

Relationes ab essentia *non distingui realiter*, est *de fide*, contra Gilbertum Porretanum, ex Florentino definiente: Relationem sola ratione distingui ab essentia; — et ex Later. IV, c. II: « Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud; sed id quod est Pater, est Filius et Spiritus Sanctus idem omnino. »

Relationes *distingui ab essentia virtualiter*, est sententia *communis et certa*.

Prob. I. *Non distinguuntur realiter:* Ex effato S. Anselmi a Conc. Florentino approbato: *Omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*[1]. Atqui in divinis inter essentiam et relationes nulla est relationis oppositio, cum relationes neque essentiam producant, neque ab ea producantur.

II. *Distinguuntur virtualiter:* Ea ab invicem virtualiter distinguuntur, de quorum uno aliquid affirmari potest, quod de altero affirmari nequit. Atqui de relationibus aliquid affirmatur, quod de essentia negari debet: sic, v. gr., Paternitas generat, essentia vero non generat; Filiatio producitur, essentia autem non producitur; essentia communicatur, Paternitas vero non communicatur. Ergo inter relationes et essentiam virtualis adest distinctio.

III. *Probatur utraque pars auctoritate S. Thomæ.* « Quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, *inquit*, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale; nihil enim est in Deo ut accidens in subjecto; sed quidquid in Deo est, est ejus essentia. Sic igitur ex ea parte qua relatio in rebus

[1] Cf. Aguirre, disp. 79, n. 13 et 15; S. Th. I *Sent.*, d. XXXIII, a. 1.

creatis habet esse accidentale in subjecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentiæ divinæ, idem omnino ei existens. In hoc vero quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum (scilicet relationis). Et sic manifestum est, quod relatio realiter existens in Deo est idem essentiæ secundum rem, et non differt nisi secundum intelligentiæ rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ. Patet ergo quod in Deo non est aliud esse relationis et essentiæ, sed est unum et idem. » *(q. XXVIII, a. 2).*

563. — Prop. IV. *Relationes originis, quæ sibi mutuo opponuntur, scilicet Paternitas, Filiatio, et Spiratio passiva, a se invicem realiter distinguuntur.*

Ad fidem pertinet, ex Florent., sess. XVIII, in qua dicitur quod « sola relatio, apud omnes tam græcos quam latinos doctores, divina processione personas multiplicat. »

Prob. **Ex Ratione.** Ea inter se realiter distinguuntur, quæ personas realiter distinctas constituunt. Atqui relationes inter se oppositæ personas inter se realiter distinctas constituunt, sicut constat cum ex relata declaratione Concilii Florentini, tum ex Later. IV, cap. *Firmiter:* « Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates (i. e. relationes) discreta. » Ergo relationes, quæ sibi mutuo opponuntur, a se invicem realiter distinguuntur.

564. — Corollarium. Ex dictis sequitur spirationem activam inter et spirationem passivam, realem esse distinctionem, cum inter eas originis relatio adsit; ast spirationem activam inter et paternitatem et filiationem, inter quas non adest oppositio originis, non realem, sed virtualem tantum adesse distinctionem. — Præterea in Concil. Later. IV definitum est in Deo esse Trinitatem, non autem quaternitatem. Atqui si in Deo spiratio activa a paternitate et filiatione realiter distingueretur, in eo adesset quaternitas, cum relatio personas multiplicet. Ergo « relationes quæ sunt in eadem persona non oppositæ, sunt quidem duæ relationes vel proprietates, sed non duæ personæ, immo una persona. » *(S. Th. I Sent., d. XXXIII, a. 2, ad 1).*

565. — Prop. V. *Proprium munus divinarum relationum est personas distinguere ac constituere*[1]. — Communis et certa.

NB. Relationes, quatenus divinas personas disti guunt et constituunt, sunt relationes consideratæ ut in *esse ad*, non vero ut in *esse in*.

Prob. I. Pars: *Relationes divinas personas distinguunt.*

I. **Ex Auctoritate.** Legimus in Conc. Florentino: « Omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem. » Sed si Filius omnia habet, quæ Patris sunt, præter esse Patrem, Pater a Filio sola Paternitate, et Filius a Patre sola Filiatione distinguitur.

« Hæc sola causa pluralitatis est in Deo, *ait S. Anselmus*, ut Pater, et Filius et Spiritus Sanctus dici non possunt de invicem, sed alii sint ab invicem: quia prædictis modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio. » *(De process. Sp. S., c. 2).* — Et in Concil. Florent., sess. XVIII, approbantibus Patribus, dixit *Joannes Theologus:* « Relationes hujusmodi personas multiplicant, ita ut non alia ratione, quam vi relationis, Pater a Filio, ac una persona ab alia differat. »

II. **Ex Ratione.** « In quibuscumque pluribus invenitur aliquid commune, *ait S. Th.*, oportet quærere aliquid distinctivum. Unde cum tres personæ conveniant secundum essentiæ unitatem, necesse est quærere aliquid quo distinguantur, ad hoc quod plures sint. » *(Q. XL, a. 2).* Atqui in divinis, omnia sunt tribus personis communia, exceptis relationibus realiter oppositis. « Et ideo dicimus, quod nihil aliud est principium distinctivum in divinis, nisi relatio. » *(S. Th. I Sent. d. 26, q. II, a. 2).* — Unde dicit Boetius quod « sola relatio multiplicat Trinitatem divinarum Personarum. » *(De Trinit. c. 6).*

Prob. II Pars: *Relationes divinas personas constituunt.*

Cum persona sit substantia rationalis undique completa, sui juris, et alteri incommunicabilis, illud, quod formaliter unam personam ab alia distinguit eique incommunicabilitatem tribuit, illam etiam formaliter constituit. Cum igitur solæ relationes divinas personas multiplicent, et ipsæ solæ faciant

[1] Cf. S. Th., I *Sent.* d. 26, q. II, a. 2; De Pot., q. VIII, a. 3; Aguirre, disp. 79 et 80.

ut una persona non possit esse altera, ipsæ recte vocantur et sunt constitutivum divinæ personæ. « Persona, *ait Conc. Florent., sess. XIX*, constat ex divina substantia et proprietate. » Et in oratione habita in eodem Concilio, c. 6., ait *Bessarion:* « Utroque modo distinguuntur divinæ personæ; prius tamen et principaliter, secundum modum intelligendi, per relationes: per quas etiam constituuntur divinæ personæ. »

566. — **Corollaria** I. Constitutivum igitur Patris est Paternitas; constitutivum Filii est Filiatio; et constitutivum Spiritus Sancti est Spiratio passiva. Spiratio vero activa nullius personæ est constitutivum; quippæ quæ est relatio duabus personis communis; dum vero constitutivum unicuique proprium esse debeat.

II. Ex dictis colligitur relationes, quæ personas distinguunt ac constituunt, idem esse ac *proprietates personales.* — Proprietas personalis enim definitur: *Forma positiva personam divinam constituens in esse personæ eamque personaliter distinguens ab aliis.* « Communis est divinitatis ratio, *ait S. Basilius*, hypostasis vero cernitur in proprietate Paternitatis, Filietatis, et virtutis sanctificantis. » *(Epist. 349).* — Et *in Later. IV. Cap. Firmiter.* legimus: « Hæc sancta Trinitas secundum essentiam una, et secundum proprietates discreta. » — Et *in præfat. festi SS. Trinit.* canitur: « ut in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas. »

III. Concipitur igitur proprietas ut forma quædam abstracta, qua divina persona constituitur. Sed « quia divina simplicitas excludit compositionem formæ et materiæ, sequitur quod in divinis idem est abstractum et concretum, ut deitas et Deus. » *(Q. XL, a. 1, ad 1).* Ergo in divinis proprietas personalis, relatio, et persona non *re*, sed ratione tantum, et secundum modum significandi, ab invicem distinguuntur; persona enim concipitur ut *quæ est*, per modum concreti; et proprietas ut *qua est*, per modum abstracti. Pater igitur est ipsa Paternitas subsistens, Filius ipsa Filiatio subsistens, et Spiritus Sanctus ipsa Spiratio passiva subsistens. *(I Sent. D. XXXIII. a. 2).*

567. — **NB.** Præter tres proprietates personales, quæ modo assignatæ sunt, quarta in Deo Patre existit proprietas, scilicet *innascibilitas*, quæ vocatur *proprietas personæ*, seu *proprietas non personalis*, quia per eam Persona Patris non constituitur, sicut per paternitatem. — « Communis autem spiratio, *addit S. Th.*, non potest dici proprietas simpliciter, quia convenit duabus personis; sed secundum quid, secundum quod aliquid dicitur esse proprium ad aliquid: est enim proprium Patris et Filii respectu Spiritus Sancti. » *(I Sent. D. XXVI, q. II, a. 3. Cf. D. 33, a. 3).*

ARTICULUS III.

DE NOTIONIBUS ET ACTIBUS NOTIONALIBUS.

568. — Ex dictis notum est, tres in Deo esse personas ab invicem realiter distinctas, quarum prima est principium secundæ, et prima et secunda sunt principium tertiæ. Cum vero personæ sint ab invicem distinctæ, præsto esse debent notæ quædam, quibus una persona ab altera dignoscatur: quæ notæ *notiones* vocari consueverunt. Cum vero duæ personæ originem ducant a suo principio, actus etiam, quibus a suo principio procedunt, assignari debent: qui *actus notionales* vocantur. Ad coronidem igitur hujus materiæ de intrinseca ratione SS. Trinitatis, quædam de notionibus et actibus notionalibus sunt adjicienda.

§ *1. De divinis notionibus.*

569. — « Notio, *ait S. Th.*, dicitur *id quod est propria ratio cognoscendi divinam personam.* » Seu est « *ratio notificans personas.* » *(q. XXXII, a. 3).* Notio est igitur quasi *nota* vel *tessera*, qua divinæ personæ internoscuntur. « Dum geniti vocabulum, quasi notam quamdam audivimus, *inquit S. Justinus*, mox cogitamus Filium: quemadmodum, et per procedentis notam Spiritus propriam personam discimus. » *(Expositio fid. de Trinit.)*,

Ut aliquid notio dici queat, « tria requiruntur, *ait S. Th.*, primo quod ad originem pertineat, quia relationibus originis personæ distinguuntur; secundo, quod pertineat ad dignitatem, quia persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente; tertio, quod dicat aliquid speciale, quia commune non est sufficiens principium innotescendi. » *(I Sent. D. XXVI, a. 3).*

Notiones in Deo esse admittendas, certum est omnino. Cum enim tres divinæ personæ ab invicem realiter sint distinctæ, admittendum est in qualibet persona aliquod proprium, ipsius

distinctivum et constitutivum, per quod ipsa etiam a nobis, tanquam ab aliis distincta, cognoscatur. Qui igitur in Deo notiones negaret, is, rigorosa sequela, ipsam personarum Trinitatem negaret, et in hæresim incideret.

570. — **Prop.** *Quinque notiones in Deo sunt admittendæ.* Communis.

Prob. **Ex S. Th.** « Notio dicitur id quod est propria ratio cognoscendi divinam personam. Divinæ autem personæ multiplicantur secundum originem. Ad originem autem pertinet *a quo alius*, et *qui ab alio*. Et secundum hos duos modos potest innotescere persona. Igitur Persona Patris non potest innotescere per hoc quod sit ab alio, sed per hoc quod a nullo est. Et sic ex hac parte ejus notio est *innascibilitas*. Sed in quantum aliquis est ab eo, innotescit dupliciter; quia inquantum Filius est ab eo, innotescit notione *paternitatis:* in quantum, autem Spiritus Sanctus est ab eo, innotescit notione *communis spirationis*. Filius autem potest innotescere per hoc quod est ab alio, nascendo; et sic innotescit per filiationem. Et per hoc quod est alius ab eo, scilicet Spiritus Sanctus; et per hoc innotescit eodem modo sicut et Pater, scilicet communi spiratione. Spiritus Sanctus autem innotescere potest per hoc quod est ab alio vel ab aliis, et sic innotescit *processione;* non autem per hoc quod alius sit ab eo, quia nulla divina persona procedit ab eo. Sunt igitur quinque notiones in divinis, scilicet: innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio, et processio. » *(Q. XXXII, a. 3).*

Improductivitas in Spiritu Sancto notio dicenda non est, quippe cujus conceptus dignitatem non includat. In Patre vero *innascibilitas* dignitatem includit, cum ad dignitatem pertineat esse principium non de principio.

571. — **Scholia.** I. Notio, proprietas, et relatio non re, sed ratione tantum, et secundum modum significandi, ab invicem differunt. Sic, v. gr., « Paternitas dicitur relatio, secundum quod ad Filium refertur; dicitur autem proprietas, in quantum soli Patri convenit; dicitur notio, in quantum est principium formale innotescendi Patrem. » *(S. Th. I Sent. D. XXVI,*

a. 3). — Similiter notio non quoad rem, sed solum quoad modum significandi ab essentia et a persona distinguitur.

II. Ex quinque enumeratis notionibus, quatuor dicuntur esse *relationes reales*, scilicet: Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva; tres dicuntur esse *proprietates personales*, scilicet, Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva; quo evenit ut, et tres illæ notiones ab invicem realiter distinguantur, et notiones personales vocentur. Innascibilitas vero et spiratio activa dicuntur *notiones personarum*, non autem notiones personales; quocirca innascibilitas a paternitate, et spiratio activa a paternitate et filiatione non re, sed ratione tantum distinguuntur. *(S. Th., Opusc. II, c. 59).*

III. Cum notiones, sicut et relationes et proprietates, significent *in abstracto*, per modum formæ *qua* aliquid est, sequitur: actiones, quippe quæ sint concretorum seu suppositorum, de eis affirmari non posse. « Unde non possumus dicere quod paternitas generet, vel creet... Essentialia vero quæ non habent ordinem ad aliquem actum, sed removent conditiones creaturæ a Deo, possunt prædicari de notionibus. Possumus enim dicere quod paternitas est æterna, vel immensa. » *(S. Th., q. XXXII, a. 2, ad 2).*

IV. Ex hactenus dictis sequitur, in Deo esse essentiam unam, processiones duas, proprietates personales tres; relationes reales quatuor, et notiones quinque.

§ 2. *De Actibus notionalibus.*

572. — **Definitio.** — Per actus notionales intelliguntur divinarum personarum productiones cum activæ tum passivæ, ut, v. gr., generare et generari. Actus illi dicuntur *notionales*, tum quia nobis notiones ad divinas personas dignoscendas exhibent, tum quia ab actibus essentialibus distinguuntur: hi enim tribus personis sunt communes, actus vero notionales uni vel duabus tantum personis conveniunt. Sic, v. gr., tres divinæ personæ *intelligunt*: sed solus Pater *dicit*: quia *intelligere* dicitur essentialiter, *dicere* vero notionaliter.

573. — Existentia actuum notionalium. — Actus notionales esse in Deo admittendos probat *S. Th.*, dicens. « In divinis personis attenditur distinctio secundum originem. Origo autem convenienter designari non potest, nisi per aliquos actus. Ad significandum igitur originis ordinem in divinis personis, necessarium fuit attribuere personis actus notionales. » *(Q. XLI, a. 1).*

Ex citatis D. Thomæ verbis etiam eruitur, quatuor in Deo actus notionales existere, scilicet: *generare* et *generari; spirare* et *spirari.* Filius enim a Patre originem habet per generationem; unde in Patre est *generatio* seu *generare,* et in Filio *nativitas* seu *generari;* Spiritus Sanctus a Patre et Filio originem habet per spirationem, unde in Patre et Filio est *spirare,* et in Spiritu Sancto *spirari.*

574. — Principia actuum notionalium, seu divinarum processionum. — Duplex datur actionis principium, nempe: principium *quod,* et principium *quo.* Principium *quod* est suppositum operans; actiones enim sunt suppositorum; principium *quo* est forma seu potentia, secundum quam suppositum operatur.

Principium *quo* est etiam duplex, videlicet: *radicale,* et *proximum.* Principium *quo radicale* seu *remotum* est ipsa agentis natura; principium *quo proximum* est specialis proprietas seu virtus naturæ, secundum quam agens immediate agit. V. gr., in homine, qui cogitat, principium *quod* cogitationis est persona; principium *quo remotum* est natura intelligens; et principium *quo proximum* est intellectus.

Igitur in divinis: principium *quod* generationis Filii est persona Patris; et principium *quod* spirationis activæ est persona Patris et Filii. — Principium *quo remotum* tam generationis quam spirationis activæ, est ipsa natura divina. « Id quo Pater generat, *ait S. Th.*, est natura divina in qua sibi Filius assimilatur. Et secundum hoc Damascenus *(de fide orth. l. I, c. 18),* dicit quod generatio est opus naturæ; non sicut generantis, sed sicut ejus quo generans generat. » *(Q. XLI, a. 5).* — Principium *quo proximum* generationis Filii est intellectus, non essentialis, sed notionalis Patris; et principium

quo proximum spirationis activæ, est voluntas, non essentialis, sed notionalis Patris et Filii.

575. — Proprietates actuum notionalium. — 1. Actus notionales a divinis relationibus non *re*, sed *ratione* tantum differunt. « Actus notionales, *ait S. Th.*, secundum modum significandi tantum differunt a relationibus personarum, sed re sunt omnino idem. Unde Magister dicit *(L. I, D. 26)* quod *generatio et nativitas aliis nominibus dicuntur paternitas et filiatio.* » *(Q. XLI, a. 1, ad 2).* — Ergo etiam actus notionalis *re* est idem atque ipsa persona. « Sicut intelligere Dei est ipse Deus intelligens, ita et generatio Patris est ipse Pater generans. » *(S. Th. Opusc. II, c. 65).*

2. Actus notionales neque sunt voluntarii neque liberi, sicut contendebant Ariani, ut inde inferrent Verbum et Spiritum Sanctum esse creaturas a Deo libere et voluntarie productas; sed sunt *naturales et necessarii:* tanta est enim divinæ naturæ perfectio atque fecunditas, ut Deus Pater Filium sibi consubstantialem naturaliter et necessario generet, et una cum eo Spiritum Sanctum utrique consubstantialem necessario producat.

Quamvis actus notionalis nec liber sit nec voluntarius, attamen nec coactus nec contra Dei voluntatem dici potest; sed habet ejus voluntatem ut concomitantem, cum Deus, licet naturaliter Filium generet, velit tamen generare filium. Unde *ait S. Hilarius:* « Non naturali necessitate ductus Pater genuit Filium. Non enim nolente Patre, quasi coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cum nollet, genuit Filium. » *(Lib. de synodo, can. 25. — Cf. S. Th., q. 41, a. 2).*

CAPUT III.

DE DIVINIS PERSONIS IN SPECIALI.

Delibatis quæ ad mysterium SS. Trinitatis in genere pertinent, de personis in speciali considerandum est; unde: I. de Persona Patris; II. de Persona Filii; III. de Persona Spiritus Sancti quædam breviter dicentur.

ARTICULUS I.

DE PERSONA PATRIS.

Nulli hæretici, atheos si excipias qui nullum Deum confitentur, primæ personæ SS. Trinitatis divinitatem negarunt. Quædam igitur ex Doctore Angelico *(q. XXXIII)* de propriis primæ personæ nominibus enuntiare sufficit.

Primæ SS. Trinitatis Personæ tria attribuuntur nomina præcipua, nempe: nomen principii, ingeniti, et Patris.

576. — Prop. I. *Prima SS. Trinitatis Persona nomine principii et ingeniti recte designatur.*

NB. 1. Vox *principium* essentialiter et notionaliter sumi potest. *Essentialiter* si sumatur, ordinem dicit ad creaturas, et processionem ad extra indicat; quo sensu *esse principium* tribus divinis Personis commune est: opera enim Dei ad extra sunt inseparabilia, et tribus Personis communia. — *Notionaliter* si sumatur, processionem ad intra indicat; quo sensu illi personæ, e qua altera procedit, tribuitur. Quo sensu vox *principium* in propositione accipitur.

2. Vox *ingenitum* diversas in significationes ab antiquis accipitur. Aliquando *esse ingenitum* idem significat ac non esse causatum, non esse creatum; quo sensu tres divinæ personæ ingenitæ vocantur. — Aliquando idem sonat ac *non esse genitum* generatione proprie dicta; quo sensu Spiritus Sanctus ingenitus dici potest. — Aliquando vero indicat: *non esse ab alio, nullo genere processionis;* quo sensu sola prima SS. Trinitatis persona ingenita dici potest.

Prob. I. Pars. Legimus (Joan. I, 1): *In principio erat Verbum*, scilicet *in Deo Patre*, ut exponunt S. Augustinus, S. Thomas, et alii communiter.

Ex S. Th. « Hoc nomen, *principium, inquit*, nihil aliud significat quam id a quo aliquid procedit... Cum ergo Pater sit a quo procedit alius, sequitur quod Pater est principium. » *(Q. XXXIII. a. 1).*

Prob. II. Pars. Nomine *ingeniti* intelligimus principium, quod non est ab alio principio. Atqui primæ SS. Trinitatis personæ proprium est esse principium non de principio. Ergo prima persona hoc nomine recte designatur; unde et innascibilitas

tanquam ejus notio recte assignatur. « Pater solus est non ab alio, *ait S. August.*, ideo solus appellatur ingenitus... Inprincipiatum et ingenitum esse soli Deo Patri catholica Ecclesia congregata apud Nicænum fideliter attribuit, et toti mundo sic esse credendum sub anathemate mandavit. « *(De Trinit., l. IV, c. 20).*

577. — Corollarium. Ex dictis intelligitur quonam sensu accipi debeant verba S. Augustini *(loc. cit.)*: « *Pater est principium totius divinitatis*; » et Concilii Wormatiensis: « *Fons et origo ipse est totius Trinitatis.* » Hæc verba non significant Patrem esse principium ipsius divinæ essentiæ, cum hæc neque gignatur neque producatur; vel Patrem esse principium suiipsius, nihil enim seipsum producere potest; sed significant Patrem esse ingenitum et primum aliarum personarum principium, a quo aliæ personæ divinam essentiam accipiunt. *(Cf. S. Th., q. XXXIX, a. 5, ad 6).*

578. — Prop. II. *Prima SS. Trinitatis Persona nomine Patris recte designatur.*

Prob. I. **Ex constanti Ecclesiæ doctrina, et ex verbis ipsius Christi.** (Joan. XIV, 16): *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* — (Ibid. XVI, 15): *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.*

II. **Ex Ratione.** « Nomen proprium cujuslibet personæ, *ait S. Th.*, significat id per quod illa persona distinguitur ab omnibus aliis.... Id autem per quod distinguitur persona Patris ab omnibus aliis, est paternitas. Unde proprium nomen personæ Patris est hoc nomen *Pater*, quod significat paternitatem. » *(Q. XXXIII, a. 2).* — Et quia « hoc nomen, *persona*, in divinis significat relationem ut subsistentem in divina natura » *(loc. cit., ad 1.)*, prima SS. Trinitatis Persona non solum est Pater, sed est ipsa Paternitas subsistens.

579. — Scholium. Hoc nomen, *Pater*, a creaturis in Deum translatum est, et ideo *quoad modum significandi* perfectius et per prius creaturis, quam Deo, convenit; sed *quoad rem significatam* perfectius Deo convenit, quam creaturis, ut *ait S. Th. (loc. cit., ad 4).* Ratio est, quia quo perfectior inter generantem et genitum existit similitudo, eo perfectior est etiam generatio. Sed in creatis natura geniti est semper, saltem numero, a natura generantis, distincta; dum contra, in divinis eadem numero essentia est in generante et in genito, qui sola

relatione ab invicem distinguuntur; qua de causa in divinis est generatio omnium perfectissima. Prima persona « multo verius Pater est, *ait S. Greg. Naz.*, quam qui apud nos id nomen obtinet; tum quia proprio et singulari modo Pater est; tum quia in totum, et totius est Pater, quod de nobis certo affirmari nequit. » *(Orat. 23)*. — Et quia perfectissimum in quolibet genere dicitur causa aliorum ejusdem generis, inde Apostolus dicit (Ephes. III, 14): *Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur.*

ARTICULUS II.

DE PERSONA FILII.

580. — Secundam SS. Trinitatis personam, seu Verbum divinum, esse verum Deum Patri consubstantialem, jam supra probatum est (n. 545). De ejus igitur nominibus tantum quædam sunt addenda, ut ex nominum significatione ipsa persona penitius cognoscatur.

Plura sunt secundæ SS. Trinitatis personæ nomina. « Ipsa enim nativitas Filii, *ait S. Th.*, quæ est proprietas personalis ejus, diversis nominibus significatur, quæ Filio attribuuntur ad exprimendam diversitatem perfectionum ejus. Nam, ut ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius; ut ostendatur coæternus, dicitur splendor; ut ostendatur omnino similis, dicitur imago; ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum. Non autem potuit unum nomen inveniri, per quod omnia ista designarentur. » *(Q. XXXIV, a. 2, ad 3)*.

De nomine *Verbi* et *imaginis* solum dicetur.

581. — **Prop. I.** *Filius Dei nomine Verbi designatur.*

De fide, ex Scriptura Sacra: (Joan. I, 1): *In principio erat Verbum.* — (Apocal. XIX, 13): *Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen ejus, Verbum Dei.*

« Verbum proprie dictum in divinis personaliter accipitur, *ait S. Th.*, et est proprium nomen personæ Filii; significat enim quamdam emanationem intellectus. Persona autem quæ procedit in divinis secundum emanationem intellectus, dicitur Filius; et hujusmodi processio dicitur generatio. Unde relin-

quitur quod solus Filius proprie dicatur Verbum in divinis. » *(Q. XXXIV, a. 2).*

582. — **Notandum.** Ad prædicta verba S. Thomæ plenius intelligenda, notandum est ex eodem S. Doctore *(loco cit., a. 1), verbum* tripliciter accipi, scilicet: 1. Pro ipso interiori conceptu mentis, quo mens rem quamdam intuendo eam in se exprimit et sibimetipsi eloquitur; 2. pro voce exterius prolata, qua verbum internum exterius manifestatur; 3. pro imaginatione vocis, nempe cum quis vocem aliquam imaginatur, quamvis eam ore non exprimat.

Verbum primario et principaliter dicitur interior mentis conceptus; qua significatione *verbum* in propositione accipitur. Verbum igitur de se importat aliquid ab alio procedens; quocirca in divinis semper personaliter, et nunquam essentialiter accipitur, et ideo est proprium nomen Filii.

Actio, qua Verbum producitur, est *dictio, seu dicere*: « dicere enim nihil est aliud quam ex se emittere verbum. » *(De Verit. q. IV, a. 2. ad 4).* — Dictio, cum sit correlativa ad verbum, semper personaliter accipitur: solus igitur Pater est dicens, sicut solus Filius est dictus.

Nec ex eo, quod solus Pater sit dicens, sequitur Filium et Spiritum Sanctum non esse intelligentes; nam etsi intelligere et dicere sint idem actus quoad rem [1], distinguuntur tamen quoad modum significandi. Etenim, *intelligere essentiale* perceptionem objecti tantum connotat; *intelligere vero notionale*, seu *dicere*, perceptioni objecti superaddit productionem termini cognitionis, et ideo inducit relationem producentis ad productum. Tres igitur personæ sunt intelligentes, quia omnes personæ unico et simplicissimo actu omnia percipiunt; sed una est dicens, quippe solus Pater sic intelligit, ut terminum cognitionis, seu Verbum, producat. Apposite *S. Thomas*: « Deus potest intelligere sine hoc quod aliquid ex ipso procedat secundum rem, quia in eo idem est intellectus et intellectum et intelligere; quod in nobis non accidit; et ideo non omne *intelligere* in Deo, proprie loquendo, dicitur *dicere*. » *(De Verit., q. IV, a. 2, ad 5).* Et iterum: « Eo modo convenit Filio esse intelligentem, quo convenit ei esse Deum; cum intelligere essentialiter dicatur in divinis. Est autem Filius Deus genitus, non autem generans Deus. Unde est quidem intelligens, non ut producens Verbum, sed ut Verbum procedens; prout scilicet in Deo Verbum procedens secundum rem non differt ab intellectu divino, sed relatione sola distinguitur a principio Verbi. » *(Q. XXXIV, a. 2, ad 4).*

Verbum divinum *Cogitatio Patris*, saltem stricte et proprie loquendo, dici non debet. Cogitatio enim in quadam veritatis inquisitione pro-

[1] Cf. Isamb., q. XXVII, disp. III, a. 7 (p. 319); S. Th., q. XXXIV, a. 1, ad 3.

prie consistit; sed in Deo, qui omnia unico intuitu perfecte contemplatur, nulla potest esse veritatis inquisitio. « Ita dicitur illud Verbum Dei, *ait S. August.*, ut cogitatio non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod nunc accipiat formam ut Verbum sit, eamque dimittere possit, atque informiter quodammodo volutari. » *(De Trinit., l. XV, c. 16; cf. S. Th., q. XXXIV, a. 1, ad 2).*

583. — Quæritur I. *Cur solus Pater intelligendo producat Verbum, non autem Filius et Spiritus Sanctus.*

Resp. De fide est Filium et Spiritum Sanctum esse intelligentes: sunt enim Deus non secus ac Pater; de fide est solum Patrem dicere Verbum, intellectum vero in Filio et in Spiritu S. esse infecundum, id est, non generare Verbum. Certum est etiam intellectionem, qua producitur Filius, esse intellectionem essentialem relatione Paternitatis modificatam; in Deo enim non sunt duo actus intelligendi.

Undenam autem provenit, ut in solo Patre intellectio Verbum producat? Hujus rei adæquata ratio reddi nequit. Rationem tamen probabilem adducunt theologi.

Intellectio essentialis est in Patre *ut a se*, et non ut ab alio communicata, ac proinde est in Patre ante omnem productionem, ante omnem terminum; et consequenter *ut fecunda*, habens potentiam terminum producendi, seu generandi Verbum. Pater, intelligendo, totam vim intellectivam exhaurit, et producit actum atque terminum infinitum et adæquatum. Hac Patris intellectione Filio communicatur tum divina essentia, tum ipsa intellectio essentialis.

Sed potentia, cujus virtus per productionem actus et termini infiniti et adæquati tota est exhausta, novum actum novumque terminum infinitum producere nequit. Consequenter, cum intellectio essentialis, prout est in Patre, productione Verbi tota sit exhausta, hæc eadem intellectio, prout est in Filio, virtutem novum terminum producendi seu novum verbum generandi non habet; ac proinde quamvis Verbum sit intelligens eadem intellectione atque Pater, non tamen potest esse dicens.

Ratio igitur cur intellectio Patris, non autem Filii aut Spiritus, sit productiva Verbi, in eo sita est, quia Pater a se, et Filius et Spiritus S. a Patre intellectionem habent.

584. — Quæritur II. *Ex quarum rerum cognitione Verbum procedat.*

Resp. Verbum procedit ex cognitione, quam Pater de tribus personis et de omnibus creaturis habet. « Pater dicit uno Verbo suo omnes tres personas » *(De Verit., q. IV, a. 2, ad 3)*; et « Pater dicendo se, dicit omnem creaturam. » *(Loc. cit., ad 4)*. Quamvis solus Pater sit dicens, attamen « *dici* convenit cuilibet personæ. *Dicitur* enim non solum Verbum, sed res quæ Verbo intelligitur, vel significatur. Sic ergo uni soli personæ in divinis convenit dici, eo modo quo dicitur Verbum. Eo vero modo quo dicitur res in verbo intellecta, cuilibet personæ convenit dici. Pater enim intelligendo se, et

Filium, et Spiritum Sanctum, et omnia alia quæ ejus scientia continentur, concipit Verbum; ut sic tota Trinitas dicatur, et etiam omnis creatura.» *(S. Th., q. XXXIV, a. 1, ad 3).*

Cujus perfectæ dictionis rationem indicat S. Doctor: « In Deo, *inquit,* ad hoc quod Verbum ejus perfectum sit, oportet quod Verbum ejus exprimat quidquid continetur in eo ex quo oritur; et præcipue cum Deus omnia uno intuitu videat, non divisim. Sic igitur oportet quod quidquid in scientia Patris continetur, totum hoc per unum ipsius verbum exprimatur, et hoc modo quo in scientia continetur; ut sit verum verbum suo principio correspondens per scientiam; et verbum ipsius exprimat ipsum Patrem principaliter, et consequenter omnia alia quæ cognoscit Pater cognoscendo seipsum; et sic Filius ex hoc ipso quod est verbum perfecte exprimens Patrem, exprimit omnem creaturam.» *(De Verit., q. IV, a. 4).*

585. — Prop. II. *Filius Dei nomine imaginis recte designatur.*

De fide, ex S. Scriptura: (Coloss. I, 15): *Qui est imago Dei invisibilis.* — (Hebr. I, 3): *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* — Et (Sap. VII, 26) de Verbo, sapientia increata, dicitur: *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.*

NB. Ut aliquid alterius imago dici possit, duæ requiruntur conditiones. Primo, ut id, quod dicitur imago, habeat cum altero *similitudinem vel in specie,* (sicut filius imago Patris dicitur), vel saltem *in signo speciei,* scilicet in figura, (sicut photographia imago hominis dicitur). Secundo requiritur ut hæc similitudo sit *ex modo processionis,* nempe, ut id, quod imago dicitur, ab exemplari originem trahat, sic « unum ovum non est imago alterius, quia non est de illo expressum », ut dicit *S. August. (Quæst., l. 83, q. 74).* — « Ad hoc ergo, *ait S. Th.,* quod vere aliquid sit imago, requiritur quod ex alio procedat simile ei in specie vel saltem in signo speciei. » *(Q. XXXV, a. 1).*

Ex quibus sequens efformari potest argumentum:

Illa divina persona nomine imaginis recte designatur, quæ vi processionis suæ similitudinem cum suo principio habet. Atqui Persona Filii vi processionis suæ similitudinem habet cum Patre. « Dico, *ait S. Th.,* quod Filius ex ratione proces-

ionis suæ habet quod sit imago, et in quantum procedit ut Filius, quia Filius dicitur ex hoc quod habet naturam Patris; et inquantum procedit ut verbum, quia verbum est quædam similitudo in intellectu ipsius rei intellectæ. » *(I Sent. D. 28, q. II, a. 3).*

Sicut igitur *Filius* et *Verbum* personaliter tantum dicuntur, ita etiam *imago* personaliter tantum dicitur, cum originem unius ab alio connotet.

586. — **Scholium.** « Doctores Græcorum, *ait S. Th.*, communiter dicunt Spiritum Sanctum esse imaginem Patris et Filii. Sed doctores latini Filio soli nomen imaginis attribuunt. Non enim invenitur in canonica Scriptura, nisi de Filio: » Et ratio est quia « sicut Spiritus Sanctus, quamvis sua processione accipiat naturam Patris, sicut et Filius, non tamen dicitur *natus:* ita, licet accipiat speciem similem Patris, non dicitur imago: quia Filius procedit ut Verbum, de cujus ratione est similitudo speciei ad id a quo procedit; non autem de ratione amoris, quamvis hoc conveniat amori qui est Spiritus Sanctus, in quantum est amor divinus. » *(Q. XXXV, a. 2).*

ARTICULUS III.

DE PERSONA SPIRITUS SANCTI.

Spiritum Sanctum verum esse Deum Patri Filioque consubstantialem contra Macedonium supra probatum est (n. 546). Ast præter errorem Macedonii, alter existit error, Græcorum scilicet, qui de processione Spiritus Sancti proterve sentiunt. Dicemus igitur primo de principio Spiritus Sancti; secundo de ejus nominibus.

§ 1. *De Spiritus Sancti principio.*

587. — Græci schismatici Spiritus Sancti divinitatem admittunt, verum in hoc errant quod ipsum a solo Patre, non autem a Patre simul et Filio, procedere doceant: qua de causa additionem *Filioque* symbolo factam admittere semper renuerunt. — Quis hunc errorem primus excogitaverit, ignotum est. Septimo jam sæculo apud Græcos nonnulli reperiuntur, qui prædicto errori adhæserunt. Verus tamen atque proprius hujus erroris parens agnoscitur Photius. Hic cum sub finem sæculi IX, Ignatio patriarcha Constantinopolitano e sua sede

deturbato, partiarchalem dignitatem usurpasset, fuit jussu Nicolai I S. Pontificis, depositus. Qua de causa ira æstuans, cum in ipsum S. Pontificem, tum in universam Ecclesiam Latinam acriter scripsit, et inter alia hoc ei crimini vertit, quod Spiritum Sanctum e Filio procedere admitteret; quem errorem late in gente sua sparsit. Photio emortuo, hæresis aliquantulum sopita est, non tamen omnino extincta. Sæculo XI, agente Michaele Cerulario, patriarcha Constantinopolitano, instaurata est pugna, et schisma consummatum. Plura exinde extinguendi schismatis causa, celebrata sunt Concilia, Lateranense scilicet IV, anno 1215; Lugdunense II, anno 1274; et Florentinum, anno 1439. In hoc ultimo inita est unio Græcos inter et Latinos, uno obluctante Marco Ephesino, qui schismaticorum causam in Concilio acriter propugnaverat. Hic in patriam reversus, suos in schisma et hæresim reduxit, in quibus hodiedum adhuc perseverant [1].

588. — Prop. I. *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit* [2].

De fide, ex diversis symbolis atque Conciliis, scilicet Ephesino, Chalcedonensi, Constantinop. II, et III, Later. IV, Lugdun. II, et Florentino, in quo legitur: « Definimus ut hæc fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æternaliter est... et ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit. » *(Denz. n. 566).*

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. Legimus (Joan. XV, 26): *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Hæc verba invicte probant: 1. Spiritum Sanctum a Patre procedere: *qui a Patre procedit;* 2. ipsum et a Filio etiam procedere. Etenim, ut ratiocinatur *S. Alphonsus:* « In divinis una persona non potest dici missa nisi ab illa persona, a qua procedit. Pater, quia est divinitatis principium, nunquam in Scripturis legitur missus; Filius, quia a solo Patre procedit, a solo Patre, nunquam vero a Spiritu Sancto, missus dicitur;... Si ergo Spiritus Sanctus a Patre Filioque missus dicitur, a Patre Filioque æqualiter procedit. Quod manifestius ex eo apparet, quod missio unius divinæ

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, c. IX. — [2] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Confut. IV; S. Th., q. XXXVI, a. 2; De Pot., q. X, a. 4.

personæ ab altera neque imperio, neque consilio, aliove modo fieri possit: in divinis enim personis æqualis existit auctoritas et sapientia. Missio igitur unius personæ ab altera intelligi nequit nisi secundum originem et processionem unius personæ ab altera.... Si igitur Spiritus Sanctus a Filio dicitur missus, a Filio procedit: *ab illo itaque mittitur, a quo emanat*, ait S. Augustinus: *De Trinit. l. IV, c. 20,* » *(Confut. IV, n. 2).*

2. Spiritus Sanctus vocatur *Spiritus Patris* (Matth. X, 20): *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis;* et hoc quidem, quia a Patre procedit. Sed Spiritus Sanctus vocatur etiam Spiritus Filii: (Rom. VIII, 9): *Si quis Spiritum Christi non habet,* etc. — (Galat. IV, 6): *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Ergo Spiritus S. etiam a Filio procedit: « Cur non credamus, *ait S. August.*, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? » *(In Joan., Tr. 99, 4. 7).*

3. (Joan. XVI, 14): *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* « In hoc textu, *ait S. Alph.*, declaratur Spiritum S. a Filio aliquid accipere: *de meo accipiet.* Quando autem de divinis personis agitur, una ab alia quidquam accipere dici nequit, nisi eo sensu, quod una ab altera, a qua accipit, procedat. *Accipere* et *procedere*, in divinis sunt unum et idem. Etenim, repugnat affirmare Spiritum Sanctum, qui est Deus non secus atque Filius, et eamdem cum Filio naturam habet, ab ipso scientiam vel doctrinam accipere. Proinde si Spiritus Sanctus a Filio quidquam accipere dicitur, hoc ideo dicitur, quia ab illo procedit, et ab illo communicatam accipit naturam Filii, omniaque ejus attributa. » *(loc. cit. n. 5).*

II. **Ex Traditione.** *Ait S. Cyrillus:* « Spiritus appellatus est veritatis, et Veritas Christus est; unde et ab isto similiter sicut ex Patre procedit. » *(Ep. syn. in Conc. Eph.)* — *S. Epiphanius:* « Sanctus autem Spiritus ex ambobus, Spiritus ex Spiritu. » *(Hær. 74, n. 7).* — *S. Ambrosius:* « Spiritus Sanctus vere Spiritus est, procedens quidem ex Patre et Filio, sed non est et ipse Filius. » *(De Trinit., c. 4).*

III. **Ex Ratione.** 1. « Sola excepta Paternitate, quæ cum Filiatione stare nequit, *ait S. Alph.*, Filius possidet omnia

quæ Pater possidet, secundum illud (Joan. XVI, 15): *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt.* Ergo, si Pater virtutem habet spirandi Spiritum Sanctum, Filius quoque eamdem virtutem habet, cum nulla relationis oppositio spirationem activam inter et filiationem intercedat. » *(loc. cit. n. 12).* Exinde est cur Christus prædictis verbis statim subjungat: *Propterea dixi quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.*

2. « Si Spiritus Sanctus, *inquit S. Alph.*, a Filio non procederet, a Filio distinctus non foret. Sicut enim jam dictum est, in Deo nulla est realis distinctio inter ea, inter quæ non adest relativa oppositio producentis et producti. Si igitur Spiritus Sanctus a Filio non procederet, inter ipsum et Filium nulla intercederet oppositio relativa, et consequenter una persona ab altera realiter distincta non esset. » *(loc. cit. n. 8. — cf. S. Th. I Sent. D. XI, a. 1).*

589. — Prop. II. *Spiritus Sanctus a Patre et Filio, tanquam ab uno principio, procedit.*

De fide, ex Florentino, ut in prop. præcedenti; et ex Lugdunensi II, in quo legimus: *Damnamus et reprobamus omnes qui... præsumpserint temerario ausu asserere quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio tanquam ex duobus principiis et non tanquam ex uno procedat.*

Prob. I. **Ex Traditione.** « Fatendum est, *inquit S. August.*, Patrem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia: sed sicut Pater et Filius unus Deus et ad creaturam relative unus Creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium. » *(De Trinit., l. V, c. 14). — S. Anselmus:* « Sicut non credimus, Spiritum Sanctum esse de hoc, unde duo sunt Pater et Filius, sed de hoc, in quo unum sunt, ita non dicimus, duo esse ejus principia, sed unum principium. » *(De proces. Spirit. S., c. 18).*

II. **Ex Ratione.** « Pater et Filius, *inquit S. Th.*, in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde cum in hoc quod est esse principium Spiritus Sancti, non opponantur relative, sequitur quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti. » *(Q. XXXVI, a. 4).*

Dilucide *S. Alphonsus:* « Licet Pater et Filius duæ sint personæ realiter distinctæ, nullatenus tamen nec sunt nec dici possunt duo princip'a Spiritus Sancti, sed unum principium: virtus enim, qua Spiritum Sanctum producunt, una et eadem est in Patre et in Filio. Nec Pater est principium Spiritus Sancti paternitate, nec Filius filiatione, ut sic duo principia dici possint: sed Pater et Filius sunt principium Spiritus Sancti spiratione activa, et cum hæc in Patre et in Filio unica sit et eadem, communis et indivisa, Pater et Filius nec duo principia, nec duo spiratores dici possunt, sed unicus sunt spirator Spiritus Sancti: et quamvis duæ sint personæ, quæ spirant, unica est tamen solummodo spiratio. » *(loc. cit. n. 19).*

« Licet mundus, *addit S. Alph.,* a Patre, et Filio, et Spiritu Sancto creatus sit, unus tamen dicitur esse Creator, quia una est virtus creandi, quæ in tribus personis æqualiter invenitur. Simili modo, quia unica est virtus spirandi Spiritum Sanctum, quæ in Patre et Filio æqualiter existit, unum dicitur esse Spiritus Sancti principium, atque unica spiratio. » *(loc. cit. n. 7).*

Attamen, *addit S. Thomas,* « quia *spirans* adjectivum est, *spirator* vero substantivum, possumus dicere quod Pater et Filius sunt *duo spirantes* propter pluralitatem suppositorum, non autem *duo spiratores* propter unam spirationem. » *(Q. XXXVI, a. 4, ad 7).*

590. — Coroll. *Ex dictis sequitur:*

I. « Quod Spiritus Sanctus nec prius, nec plenius, nec magis procedit a Patre quam a Filio. Et ratio hujus tota est, quia Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti; et ubi est unitas, non potest esse distinctio pleni'udinis. » *(I Sent., D. XII, a. 2).*

II. Quod Spiritus S. immediate a Patre et immediate a Filio procedit; quia virtus spirativa in Patre et Filio una et eadem est virtus, et ideo Spiritus S. communiter et immediate a Patre et Filio, **et non a Patre mediante Filio, procedit.**

Aliquo tamen sensu Spiritus S. a Patre mediante Filio procedere dici potest; quia sicut Filius a Patre divinam essentiam habet, ita etiam a Patre virtutem habet spirandi Spiritum Sanctum: quo sensu S. Patres Spiritum Sanctum a Patre *per Filium* procedere docent. « Quia igitur, *inquit S. Th.,* Filius habet a Patre quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, potest dici quod Pater per Filium spiret Spi-

ritum Sanctum, vel quod Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium, quod idem est.» *(Q. XXXVI, a. 3).*

III. Hanc particulam *Filioque* Symbolo recte additam fuisse, ad fidem contra grassantes errores firmius et explicitius affirmandam. «Definimus insuper, *ait Concil. Flor. (in decreto unionis)*, explicationem verborum illorum *Filioque*, veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter fuisse appositam.» *(Cf. S. Th., De Pot., q. X, a. 4, ad 13).*

§ 2. *De Nominibus tertiæ SS. Trinitatis Personæ.*

Plura sunt nomina, quibus tertia SS. Trinitatis persona designatur. Vocatur Spiritus, amor, donum, caritas, vinculum, nexus, unio, complexus, osculum Patris et Filii, consolator, paracletus, excitator, hortator ad bonum. *Cf. Hymn. Veni Creator; — et prosam: Veni Sancte Spiritus et emitte cœlitus, etc.*

De tribus tantum, duce S. Thoma, dicendum est.

591. — Prop. I. *Tertia SS. Trinitatis Persona nomine Spiritus Sancti recte designatur.*

NB. Quamvis hoc nomen *Spiritus Sanctus* sit nomen commune totius SS. Trinitatis, «nam et Pater est Spiritus, et Filius est Spiritus, et Pater est Sanctus et Filius est Sanctus», convenienter tamen hoc nomen *Spiritus Sanctus* tertiæ personæ, tanquam nomen proprium, attribuitur.

Prob. I. **Ex usu S. Scripturæ.** In S. Scriptura tertia SS. Trinitatis persona fere semper vocatur Spiritus; et Spiritus ab ipso Christo nominatur, (Joan. XX, 22) *Insufflavit, et dixit eis* (Christus): *Accipite Spiritum sanctum.*

II. **Ex Ratione.** «Nomen *spiritus, ait S. Th.*, in rebus corporeis impulsionem quamdam et motionem significare videtur; nam flatum et ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris quod moveat et impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas vero illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur persona divina procedit per modum amoris quo Deus amatur, convenienter Spiritus Sanctus nominatur.» *(Q. XXXVI, a. 1. — Cf. I Sent. D. X, a. 4).*

592. — Prop. II. *Spiritus Sanctus nomine amoris recte designatur.*

NB. Hæc vox *amor* in divinis tripliciter usurpatur, nempe: *essentialiter*, *notionaliter* et *personaliter*.

Amor essentialiter sumptus, est *actus voluntatis, quo tres personæ divinæ formaliter amant et volunt bonum.* (Polm.) Hic actus importat tantum habitudinem amantis ad rem amatam, sicut intelligere habitudinem tantum ad rem intellectam importat. Quo in sensu amor tribus personis est communis.

Amor notionaliter sumptus, est *spiratio activa, qua Pater et Filius amando producunt Spiritum Sanctum.* (Polm.) Hic actus Patri et Filio proprius est.

Amor personaliter sumptus, est *terminus ab amante Patre Filioque productus:* hic amor est ipse Spiritus Sanctus, qui se habet ad amorem notionalem, sicut Verbum ad *dicere* Patris. «Sicut enim ex hoc, *ait S. Th.*, quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur Verbum; ita ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, provenit quædam impressio, ut ita loquar, rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut et intellectum in intelligente; ita quod cum aliquis seipsum intelligit et amat, est in seipso non solum per identitatem rei, sed etiam ut intellectum in intelligente, et amatum in amante.» *(Q. XXXVII, a. 1).*

Prob. prop. Illud proprie dicitur amor, quod immediate per actum amandi procedit. Sed Spiritus Sanctus a Patre et Filio per actum amandi, seu per volitionem, procedit; et hoc est soli Spiritui Sancto proprium ad intra. Ergo Spiritus Sanctus est proprie *amor*, et amor est nomen ejus proprium.

593. — Scholium. Ex dictis aliquatenus intelligere licet quid sit Spiritus Sanctus. Quemadmodum Deus intelligendo se, est in seipso ut intellectum in intelligente, et Verbum divinum est quasi Deus intellectus, *(Cont. Gent. IV, 11)*, ita Deus amando se, est in seipso ut amatum in amante: et Spiritus Sanctus est præcise Deus in seipso existens ut amatus. «Quum ostensum sit quod amatum necesse est aliqualiter esse in voluntate amantis, *ait S. Th.*, ipse autem Deus seipsum amet, necesse est quod Deus sit in sua voluntate ut amatum

in amante. Est autem amatum in amante secundum quod amatur; amare autem quoddam velle est; velle autem Dei est ejus esse, sicut et voluntas ejus est ejus esse. Esse igitur Dei in voluntate sua per modum amoris non est esse accidentale, sicut in nobis, sed essentiale. Unde oportet quod Deus, secundum quod consideratur ut in sua voluntate exsistens, sit vere et substantialiter Deus.» *(Cont. Gent. IV, 19).*

594. — Quæritur I. *Quomodo intelligenda sit hæc S. Augustini elocutio: Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto?*

Resp. Hæc S. Augustini elocutio illud significat, videlicet: Patrem et Filium diligendo se mutuo Spiritum Sanctum producere, ita ut Spiritus Sanctus sit terminus dilectionis notionalis, in quo Pater et Filius affectiva unione uniuntur. «Secundum quod notionaliter sumitur, *ait S. Th.*, sic *diligere* nihil est aliud quam spirare amorem; sicut *dicere* est producere verbum; et *florere* est producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio, se et creaturam. Et Pater et Filius dicuntur *diligentes Spiritu Sancto*, vel amore procedente, et se, et nos.» *(Q. XXXVII, a. 2).*

Hanc ob rationem Spiritus Sanctus vocatur etiam *nexus seu unio Patris et Filii, osculum Patris, amor indivisibilis:* quia Pater et Filius in Spiritu Sancto, tanquam in termino uniuntur. «Amor, *inquit S. Th.*, semper ponit complacentiam amantis in amato. Quando autem aliquis placet sibi in aliquo, trahit se in illud et conjungit se illi quantum potest, ita ut illud efficiatur suum; et inde est quod amor habet rationem uniendi amantem et amatum. Et quia Spiritus Sanctus procedit ut amor, ex modo processionis habet ut sit unio Patris et Filii.» *(I Sent., D. X, q. I, a. 3).*

595. — Quæritur II. *Utrum Pater et Filius diligant nos Spiritu Sancto.*

Resp. «Pater, *ait S. Th.*, non solum Filium, sed etiam se et nos diligit Spiritu Sancto; quia diligere prout notionaliter sumitur, non solum importat productionem divinæ personæ, sed etiam personam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Unde sicut Pater dicit se et omnem creaturam Verbo quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem et omnem creaturam; ita diligit se et omnem creaturam Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sanctus procedit ut amor bonitatis primæ, secundum quam Pater amat se et omnem creaturam.» *(Q. XXXVII, a. 2, ad 3. — Cf. I Sent., D. XXXII, q. I, a. 3).*

596. — Prop. III. *Spiritus Sanctus nomine doni recte designatur.*

Prob. **Ex Script. S.** Legimus (Eph. IV, 8): *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. —*

(Act. II, 38): *Accipietis donum Spiritus Sancti.* — Act. VIII, 20): *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Quæ verba *dona, donum Dei, donum Spiritus Santi,* a Patribus de ipso Spiritu Sancto interpretantur: « Sicut corpus carnis, *ait S. August.*, nihil est aliud quam caro, sic donum Spiritus Sancti nihil aliud est quam Spiritus Sanctus. » *(De Trinit. l. XV, c. 19).* Et Ecclesia in hymno Pentecostes Spiritum Sanctum vocat *Altissimi donum Dei.*

597. — **NB.** Ad perfectius intelligendum quo sensu nomen *donum* sit Spiritui Sancto proprium, plura sunt notanda. *(Cf. S. Th., Q. XXXVIII. — I Sent. D. XVIII).*

1. *Donum* dicitur *munus*, quod alicui gratiose, et absque intentione recompensationis, offertur. De ratione doni est, ut quod datur, sit bonum proprium dantis.

2. Donum differt a dato. *Datum* importat dationem in actu: *donum* vero dicitur res apta donari. Unde ab æterno persona divina est donum, sed datur in tempore.

3. In divinis donum sumitur tripliciter, videlicet: *essentialiter, notionaliter,* et *personaliter.*

Essentialiter sumitur, quando ipsa res, quæ gratiose donari potest, tantum consideratur; quo sensu cum divina essentia, tum quælibet persona relate ad creaturas rationales, donum vocari potest; tres enim personæ sese creaturæ liberaliter communicare et donare possunt, secundum illud (Joan. XIV, 23): *Et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

Notionaliter sumitur, quando persona, quæ donatur, non consideratur solum in se, sed etiam prout est alterius, a qua donatur. Sed in divinis una persona per solam originem potest esse alterius. Ergo persona, quæ ab altera procedit, donum vocari potest, si sumatur donum notionaliter; et eo in sensu non solum Spiritus Sanctus, sed quoque Filius vocatur donum et datum: (Is. IX): *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis.* (Joan. III): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* — Pater autem, qui a nullo alio procedit, nunquam legitur datus.

Personaliter sumitur, quando persona, quæ ab alia donatur, *vi suæ processionis* rationem doni habet. Et sic in divinis nomen *donum* est proprium Spiritui Sancto, qui solus per modum doni procedit; sicut solus Filius vocatur *imago*, quia solus vi processionis habet ut sit similis Patri. « Ad cujus evidentiam sciendum est, *ait S. Th.*, quod *donum* proprie est datio irredibilis, id est, quod non datur intentione retributionis, et sic importat gratuitam donationem. Ratio autem gratuitæ donationis est amor. Ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primum ergo quod damus ei, est amor quo volumus ei bonum. Unde manifestum est quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Unde, cum Spiritus Sanctus procedat ut amor, procedit in ratione doni primi. » *(Q. XXXVIII, a. 2).*

598. — Coroll. Ex dictis etiam patet quomodo omnia dona, quæ Deus nobis elargitur, per donum, quod est Spiritus Sanctus, concedantur. Omnia bona enim, quæ Deus creaturis communicat, liberaliter omnino et absque ulla intentione propriæ utilitatis concedit. « Ratio autem liberalis dationis est amor qui, secundum Dionysium, movet superiora ad provisionem minus habentium. Et quia Spiritus Sanctus est amor, ideo ipse est ratio omnium eorum datorum quorum principium est divina voluntas, sicut sunt omnia data creaturis. » *S. Th. (I Sent., D. XVIII, a. 3. — Cf. etiam D. XIV, a. 1).*

CAPUT IV.

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM [1].

Consideratis iis, quæ ad divinas personas in se spectatas pertinent, considerandum restat de divinis personis in ordine ad creaturas. Agendum est igitur de missione divinarum personarum. Cum autem missio detur cum visibilis tum invisibilis, dicendum est: I. de missione divinarum personarum in genere; II. de missione visibili; III. de missione invisibili.

[1] Cf. *S. Th.*, q. XLIII; *I Sent.* D. 14, 15 et 16; *Gabriel a S. Vinc.* In I. P. D. Th. Disp. 39.

ARTICULUS I.

DE MISSIONE IN GENERE.

599. — « Ille mitti dicitur, qui aliquo modo ab aliquo procedit, ut incipiat esse ubi prius non erat, vel ubi prius erat, per alium modum. » *(S. Th., P. I, q. CXII, a. 1).* In ratione igitur missionis duo importantur: habitudo scilicet missi ad eum, a quo mittitur; et habitudo missi ad terminum, ad quem mittitur.

Missio fieri potest vel per imperium, quo modo dominus mittit servum; vel per consilium, quo modo consiliarius regem mittit ad bellum; vel per simplicem originem, quo modo flos emittitur ab arbore, et splendor a sole. In divinis, cum inter personas perfecta adsit æqualitas, sola missio, quæ est secundum originem, inveniri potest. Præterea, cum ratione immensitatis quælibet divina persona ubique existat, nulla potest mitti ut incipiat esse ubi prius non erat, sed tantum ut sit *novo modo* ubi prius jam erat.

Proinde missio divina definiri potest: *Processio unius personæ ab altera et ejus destinatio ad effectum aliquem temporalem,* seu *ut sit in creatura novo quodam modo.*

In divina igitur missione duo considerantur, scilicet: *exitus* personæ missæ ab altera; secundum quam considerationem missio divina est æterna; — et *effectus,* secundum quem persona divina dicitur esse novo modo in creatura; qua ex parte missio divina est temporalis.

Missio differt a datione: missio importat habitudinem cum ad terminum *a quo,* tum ad terminum *ad quem;* datio autem solam importat habitudinem ad terminum *ad quem.* Quamobrem Pater, qui a nulla alia persona procedit, non mittitur, sed sese dat; Filius vero et Spiritus Sanctus, se dant, et simul ab eo, a quo procedunt, mittuntur.

600. — **Prop.** *Admittenda est missio divinarum personarum.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Scrip. S.** Legimus de Filio (Joan. III, 17): *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* — (Joan. VI, 58): *Misit me vivens Pater.* — (Joan. VIII, 16): *Solus non sum; sed ego, et qui misit me, Pater.* — De Spiritu Sancto legimus (Joan. XIV, 26): *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* — (Joan. XV, 26): *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre.*

II. **Ex Ratione.** Ut persona divina ab altera mitti dicatur, sat est ut ea ab altera procedat, et sit novo modo in creatura per novi effectus operationem. Atqui Filius a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque procedit; et Filius et Spiritus Sanctus novum effectum producunt in creatura, ut, v. gr., in anima, quam inhabitant per gratiam. Ergo Filius a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio mitti recte dicuntur.

ARTICULUS II.

DE MISSIONE INVISIBILI.

601. — Missio invisibilis est *processio unius personæ ab alia, et ejus inhabitatio in creatura rationali per gratiam.*

I. *Missio invisibilis non fit nisi secundum donum gratiæ gratum facientis.* Missio invisibilis importat novum modum, quo divina persona in anima, ad novum producendum effectum, inexistit. Sed præter communem modum, quo Deus in omnibus rebus existit, non datur his in terris alius modus quo divina persona in creatura rationali inexistit, quam per gratiam sanctificantem, per quam Deus est in anima ut cognitum in cognoscente et amatum in amante. Ergo per solam gratiam sanctificantem fit missio invisibilis. *(Cf. S. Th., q. XLIII, a. 3).*

Confirmantur dicta ex verbis Christi (Joan. XIV, 23): *Si quis diligit me... ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Si igitur per solam caritatem, quæ a gratia sanctificante inseparabilis est, divinas personas in nobis manentes habemus, per solam gratiam sanctificantem divina missio fieri potest.

602. - II. *Una persona divina nunquam mittitur, quin et aliæ cum ea veniant.*

« Cum Pater sit in Filio, *ait S. Th.*, et Filius in Patre, et uterque in Spiritu Sancto, quando Filius mittitur, simul et venit Pater et Spiritus Sanctus, sive intelligatur de adventu Filii in carnem, cum ipse dicat, (Joan., VIII, 16): *Solus non sum: sed ego, et qui misit me, Pater;* sive intelligatur de adventu in mentem, cum ipse dicat, (Joan. XIV, 23): *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et ideo adventus vel inhabitatio convenit toti Trinitati. » *(I Sent., D. XV, q. II, ad 4).*

Præterea: « Una missio nunquam est sine alia: quia amor sequitur notitiam: notitia perfecta, secundum quam est missio Filii, semper inducit in amorem, et ideo simul infunduntur et simul augmentantur. » *(I Sent., D. XV, q. IV, a. 2).*

603. — III. *Missio invisibilis Filii secundum donum sapientiæ; et missio Spiritus Sancti secundum donum caritatis, attenditur.*

« Anima per gratiam conformatur Deo, *ait S. Th.* Unde ad hoc quod aliqua persona divina mittatur ad aliquem per gratiam, oportet quod fiat assimilatio illius ad divinam personam quæ mittitur, per aliquod gratiæ donum. Et quia Spiritus Sanctus est amor, per donum caritatis anima Spiritui Sancto assimilatur. Unde secundum donum caritatis attenditur missio Spiritus Sancti. Filius autem est Verbum, non quodcumque, sed spirans amorem. » *(Q. XLIII, a. 5, ad 2).*

Unde: « in mente hominis filius dicitur mitti invisibiliter, quum aliquis sic in divina cognitione constituitur, quod ex tali cognitione Dei amor procedat in homine. » *(Cont. Gent. IV, 23).*

Ergo « quantum ad effectum gratiæ, sic communicant duæ missiones (Filii et Spiritus Sancti) in radice gratiæ; sed distinguuntur in effectibus gratiæ, qui sunt illuminatio intellectus, et inflammatio affectus. » *(Q. XLIII, a. 5, ad 3; cf. I Sent. D. XV, q. IV, a. 2).*

604. — IV. *Finis missionis invisibilis est creaturam rationalem in Deum revocare.*

« In exitu creaturarum a primo principio, *inquit S. Th.*, attenditur quædam circulatio vel regiratio, eo quod omnia revertuntur sicut in finem in id a quo sicut principio prodierunt. Et ideo oportet ut per eadem quibus est exitus a principio, et reditus in finem attendatur. Sicut igitur dictum est, quod processio personarum est ratio productionis creaturarum a primo principio, ita etiam est eadem processio ratio redeundi in finem, quia per Filium et Spiritum Sanctum sicut et conditi sumus, ita etiam et fini ultimo conjungimur. » *(I Sent. D. XIV, q. II, a. 2).* Sed processio, quæ est ratio redeundi in finem, est processio temporalis, quæ fit per donum gratiæ gratum facientis et per donum gloriæ; quæ processio temporalis est missio. « Unde in receptione hujusmodi donorum habentur personæ divinæ novo modo quasi ductrices in finem vel conjungentes. » *(I Sent. D. XV, q. IV, a. 1).*

605. — V. *Missio invisibilis est plenior post Incarnationem quam ante.*

« Quia per adventum Christi remotum est obstaculum antiquæ damnationis *ait S. Th.*, totum humanum genus effectum est paratius ad perceptionem gratiæ quam ante: tum propter solutionem pretii, et victoriam diaboli: tum etiam propter doctrinam Christi, per quam clarius nobis innotescunt divina. Et ideo loquendo communiter, plenior facta est missio post incarnationem quam ante, quia de plenitudine ejus omnes accepimus. Sed verum est quod ad aliquas speciales personas est in Veteri Testamento plenissima facta missio secundum perfectionem virtutis. » *(I Sent. D. XV, q. V, a. 2).*

606. — VI. *Multiplex est missio invisibilis.*

« In eo ad quem fit missio, *ait S. Th.*, oportet duo considerare, scilicet inhabitationem gratiæ, et innovationem quamdam per gratiam. Ad omnes ergo fit missio invisibilis, in quibus hæc duo inveniuntur. » *(Q. XLIII, a. 6).*

Ex hoc principio dijudicare licet, quandonam fiat nova missio, scilicet:

1. In infusione primæ gratiæ gratum facientis.

2. In omni augmento istius gratiæ; quia in omni augmento et anima per gratiam innovatur, et Deus in ea pleniori modo

inhabitat. « Sed tamen secundum illud augmentum gratiæ *præcipue* missio invisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem novum actum, vel novum statum gratiæ; ut puto cum aliquis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc quod ex fervore caritatis exponit se martyrio, aut abrenuntiat his quæ possidet, aut quodcumque opus arduum aggreditur. » *S. Th. (Q. XLIII, a. 6, ad 2).*

3. « Ad beatos facta est missio invisibilis in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem ad eos fit missio invisibilis, non secundum intensionem gratiæ, sed secundum quod aliqua mysteria eis revelantur de novo; quod est usque ad diem judicii. » *(Q. XLIII, a. 6, ad 3).* Nam « secundum illas novas revelationes consurgunt ad Dei amorem, non quidem ut magis ament, sed ut sub alia ratione eorum amor dirigatur in Deum », quod sufficit ad novam missionem. *(I Sent. D. XV, q. V, a. 1, sol. 3).*

4. In susceptione Sacramentorum, cum gratia in eis ad peculiares quosdam effectus ordinata semper detur, semper etiam fit nova missio ad eos, qui sacramenta fructuose suscipiunt.

5. « Ad Christum fuit facta invisibilis missio in principio suæ conceptionis, nec autem postea; cum a principio suæ conceptionis fuerit plenus omni sapientia et gratia. » *(Q. XLIII, a. 6, ad 3).*

ARTICULUS III.

DE MISSIONE VISIBILI.

607. — I. Missio visibilis ea est, quæ fit specie aliqua sensibili, qualis, v. gr., fuit missio Filii in carne humana, et Spiritus Sancti in specie columbæ.

Cum de visibili missione Filii in tractatu de Incarnatione fuse agendum sit, in præsenti quædam de visibili missione Spiritus Sancti solummodo dicentur.

608. — II. Missio visibilis, qua Spiritus Sanctus sub corporali specie apparuit, nihil aliud est, quam signum visibile

missionis invisibilis. Igitur « missio visibilis non est alia essentialiter ab invisibili missione Spiritus Sancti, sed addit solam rationem manifestationis per visibile signum. » *(I Sent. D. XVI, q. I, a. 1).*

609. — III. Ad visibilem Spiritus Sancti missionem quatuor requiruntur conditiones: 1. ut Spiritus S. missus sit ab alio; 2. ut in eo, ad quem mittitur, inhabitet per gratiam; 3. ut adsit signum quoddam sensibile, quod Spiritus Sancti personam ejusque inhabitationem manifestet; 4. ut signum illud sit res quæpiam, quæ antea sub ea forma et eo modo, quibus apparet, non exstiterit; sed sit specialiter ad missionem manifestandam producta.

In illis autem, ad quos fit missio visibilis, duo requiruntur: « Oportet quod ad missionem visibilem duo concurrant, *ait S. Th.,* scilicet quod sit gratiæ plenitudo in illis ad quos fit missio, et ulterius quod plenitudo ordinetur ad alios, ut per aliquem modum gratia abundans redundet in eos: propter quod manifestatio gratiæ interioris non tantum habenti, sed etiam aliis fit. » *(I Sent. D. XVI, q. 1, a. 2).*

610. — IV. *Finis missionis visibilis.* « (1 Cor. XII, 7): *Manifestatio Spiritus datur alicui ad utilitatem,* scilicet Ecclesiæ, *ait S. Th.* Quæ quidem utilitas est, ut per hujusmodi visibilia signa fides confirmetur et propagetur. Quod quidem principaliter factum est per Christum et per Apostolos... Et ideo specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus Sancti ad Christum, ad Apostolos et ad aliquos primitivos sanctos, in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur; ita tamen quod visibilis missio facta ad Christum demonstraret missionem invisibilem, non tunc, sed in principio suæ conceptionis ad eum factam. » *(Q. XLIII, a. 7, ad 6).*

611. — V. *Duplex facta est missio visibilis ad Christum et ad Apostolos.*

« Missio visibilis fit, *ait S. Th.,* ad significandum plenitudinem gratiæ redundantis in multos. Redundat autem gratia dupliciter, scilicet per instructionem et per operationem, secundum quod se habet aliquo modo ille in quo est gratiæ plenitudo, efficienter ad gratiam. » *(I S., D. XVI, q. 1, a. 3).*

« Facta est autem missio visibilis ad Christum, in baptismo quidem sub specie columbæ, quod est animal fecundum, ad ostendendum in Christo auctoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem. Unde vox Patris intonuit (Matth. III. 17): *Hic est Filius meus dilectus;* ut ad similitudinem unigeniti alii regenerentur. In transfiguratione vero, sub specie nubis lucidæ, ad ostendendam exuberantiam doctrinæ. Unde dictum est (Matth. XVII, 5): *Ipsum audite.* — Ad Apostolos autem, sub specie flatûs, ad ostendendam potestatem ministerii in dispensatione sacramentorum. Unde dictum est eis (Joan. XX, 10): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed sub linguis igneis, ad ostendendum officium doctrinæ. Unde dicitur (Act. II. 4) *quod cœperunt loqui variis linguis.* » *(Q. XLIII, a. 7, ad 6).*

612. — VI. « Ad Patres Veteris Testamenti missio visibilis Spiritus Sancti fieri non debuit, quia prius debuit perfici missio visibilis Filii quam Spiritus Sancti. » *(Q. XLIII, a. 7, ad 6).* Praeterea, « non erat tunc tempus spiritualis propagationis, per quam spirituali modo diversæ gentes in Dei cognitione regenerantur, sed carnali propagatione cultus divinus a patribus in filios procedebat: et ideo non debuit significari gratia per missionem visibilem, quæ significat gratiam tendentem in alios. » *(I Sent. D. XVI, a. 2, ad 1).*

CAPUT V.

DE RELATIONE MYSTERII SS. TRINITATIS AD RATIONEM HUMANAM.

613. Divinarum Personarum Trinitas in unitate essentiæ altissimum et abditissimum est mysterium, quod sola fide tenemus, quod fide etiam cognitum captum cujuslibet creati intellectus superat, et tunc solum intelligi poterit, quando Deum in cœlis revelata facie speculantes, eum in gloria videbimus sicut est. Est igitur hoc mysterium omni ex parte supra rationem.

Non defuerunt tamen theologi, ut Raymundus Lullus [1] et Richardus a S. Victore [2], qui SS. Trinitatis mysterium ratione naturali cognosci, aut saltem, posita semel revelatione de ipsius existentia, ratione naturali evidenter probari posse existimarunt. — Rationalistæ contra probare conantur hoc ineffabile mysterium esse contra rationem, ideoque tanquam absurdum rejiciendum. Sint igitur sequentes propositiones:

614. — **Prop. I.** *Nullus intellectus creatus, seclusa revelatione, mysterium SS. Trinitatis cognoscere potest* [3]. — Communis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Dixit ipse Christus (Matth. XI, 27): *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* — Et (Matth. XVI, 17): Petro dicenti: *Tu es filius Dei vivi*, respondit Christus: *Beatus es, Simon Barjona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Hæc autem Christi Domini verba manifeste indicant non ex naturali ratione, sed ex sola superna revelatione cognosci posse Deum habere Filium, ac proinde plures esse personas in una Dei essentia. — Et (Is. LIII, 8), legimus: *Generationem ejus quis enarrabit?* Atqui si homo ratione naturali mysterium SS. Trinitatis cognoscere posset, æternam Filii generationem enarrare posset.

II. **Ex Traditione.** « Sacramentum hoc, *ait S. Bernardus*, magnum est et quidem venerandum, non scrutandum, quomodo pluralitas in unitate, et hac unitate aut ipsa in pluralitate. Scrutari hoc temeritas est; credere pietas est; nosse via et vita æterna est. » *(De Consider. l. V, c. 8, n. 18).* — *S. Ambrosius:* « Quæro abs te, *inquit*, quomodo, vel quando Filium putes esse generatum. Mihi enim impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet. » *(De fide ad Gratian., l. I, c. 10).* — Et *S. Anselmus:* « Videtur mihi hujus tam sublimis rei secretum transcendere omnem intel-

[1] *In libro de articulis fidei*, cf. Aguirre, t. II, disp. 51, pag. 2. — [2] *De Trinit.*, l. I, c. 4, et l. III, c. 5. — [3] Cf. Aguirre, *loc. cit.*, et Disp. 99, p. 803.

lectus aciem humani, et ideirco conatum explicandi qualiter hoc sit, continendum puto.» *(Menol., c. 62).*

III. **Ex Ratione.** 1. Mysterium SS. Trinitatis ratione naturali neque a priori neque a posteriori probari potest: ergo nullo modo.

Non a priori. Demonstratio a priori ea dicitur, quæ fit per causam: sed Deus causam non habet. — *Præterea*, ut de aliqua propositione demonstratio a priori adesse possit, scilicet ut probare possimus aliquod prædicatum subjecto convenire, et quid sit subjectum, et quid praedicatum, clare cognoscamus, necesse est. Sed in hac propositione: *Deus est trinus in personis*, neque quid sit subjectum, scilicet Deus, neque quid sit prædicatum, scilicet persona divina, naturali ratione scire possumus. Ergo.

Non a posteriori, scilicet per effectus. « Homo, *ait S. Th.*, per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non potest, nisi ex creaturis. Creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem, sicut effectus in causam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est secundum quod est omnium entium principium. Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati. Unde pertinet ad unitatem essentiæ, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea quæ pertinent ad unitatem essentiæ, non autem ea quæ pertinent ad distinctionem personarum.» *(Q. XXXII, a. 1).*

2. Naturale intellectus lumen ad objectum, quod est præter aut supra principia naturalia, sese extendere non potest. Atqui mysterium SS. Trinitatis est supra principia naturalia. Ergo intellectus creatus citra revelationem illud cognoscere nequit.

Prob. min. In Deo uno et trino: *a)* tres sunt personæ eidem naturæ identificatæ, et tamen inter se realiter distinctæ; *b)* una est natura, et triplex subsistentia; *c)* tres sunt personæ, quarum unaquæque est Deus, nec tamen sunt tres Dii; *d)* Filius a Patre non pendet, eique est coæternus. Atqui hæc omnia sunt supra principia naturalia. Hæc enim docent quod: *a)* ea quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; *b)* ubi est

unica natura, ibi est unica subsistentia; *c)* ubi sunt plures personæ, ibi plures sunt naturæ; *d)* filius pendet a patre, eique est posterior. — Mysterium igitur SS. Trinitatis est objectum, quod principia naturalia undequaque superat.

615. — Prop. II. *Posita revelatione de existentia mysterii SS. Trinitatis, ratio naturalis nec illud evidenter probare, nec ejus naturam intelligere potest.*

Ad fidem pertinet, ex Vatic., Const. *Dei Filius*, c. IV, et can. 4. « Divina mysteria, *ait Vatic.*, suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. » Sed difficillimum et altissimum religionis nostræ mysterium est SS. Trinitas.

Prob. Hæc propositio iisdem argumentis atque superior propositio probatur. Textus enim Sacræ Scripturæ, et SS. Patrum testimonia inter nudam rationem sibi relictam, et rationem fide illuminatam non distinguunt. « Ne quæras, o philosophe, *quomodo; (inquiunt Patres Concil. Nicæni.)*. Alioquin studes te præcipitem agere, perscrutari tentans, quæ inscrutabilia sunt, etc... Ineffabilis, et ingenitus est Pater: ineffabilis ineffabiliter ex eo genitus Filius. Taceas ergo de illo, *Quomodo:* et concedas hoc ei, qui genuit, et genito... Si autem non vis cessare illud *Quomodo*, sed contendis inscrutabilia perscrutari: ridemus tuam audaciam; magis autem deflemus te. » *(L. II, Act.; apud Aguirre, pag. 804).*

Ad hæc, divina revelatio mysterii existentiam manifestat quidem, nullum tamen indicat naturale principium, ex quo aut ejus existentia evidenter probari, aut ejus essentia perfecte intelligi possit.

616. — Corollarium. Ex dictis sequitur: I Catholicos rationibus naturalibus inniti non debere ad probandum hujus mysterii veritatem, quando cum infidelibus et incredulis disputant. « Qui probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, *inquit S. Thomas*, fidei dupliciter derogat: primo quidem, quantum ad dignitatem ipsius fidei,

quæ est ut sit de rebus invisibilibus, quæ humanam rationem excedunt. Unde Apostolus dicit *(Hebr. XI, 1)*, quod fides est de non apparentibus. — Secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim quod hujusmodi rationibus innitamur, et propter eas credamus.» *(Q. XXXII. a. 1)*.

II. «Quæ igitur fidei sunt, *addit S. Doctor*, non sunt tentanda probari nisi per auctoritates his qui auctoritates suscipiunt. Apud alios vero sufficit defendere non esse impossibile quod prædicat fides. Unde Dionysius dicit *(de Div. Nom. C. 2)*: Si aliquis est qui totaliter eloquiis resistit, longe erit a nostra philosophia. Si autem ad veritatem eloquiorum, scilicet sanctorum, respicit, hoc et nos canone utimur.» *(loc. cit)*.

617. — Prop. III. *Posita revelatione, ratio naturalis, summa cum utilitate, mysterium SS. Trinitatis variis congruentiis illustrare, atque analogiis adumbrare potest* [1].

Ad fidem pertinet ex Vaticano, cit. cap, IV: «Ratio fide illustrata, cum sedulo, pie, et sobrie quærit, aliquam, Deo, dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo.»

Prob. I Pars: *Potest ratio hoc mysterium variis congruentiis illustrare.* «Pluralitas personarum in divinis, *ait S. Th.*, est de his quæ fidei subjacent, et naturali ratione humana nec investigari nec sufficienter intelligi potest.... Sed tamen S. Patres propter instantiam eorum qui fidei contradicunt, coacti sunt et de hoc disserere, et de aliis quæ spectant ad fidem, modeste tamen et reverenter absque comprehendendi præsumptione. Nec talis inquisitio est inutilis, cum per eam elevetur animus ad aliquid veritatis capiendum quod sufficiat ad excludendos errores.» *(De Potent., q. IX, a. 5)*.

Tres a S. Thoma *(De Pot., q. IX, a. 9)*, referuntur congruentiæ ad mysterium SS. Trinitatis illustrandum:

a) Illud, quod est summe et infinite bonum, est summe ac infinite communicabile. Atqui Deus est summum ac infi-

[1] Cf. Bannez, In q. XXXII, a. 1; Aguirre, T. II, Disp. 60.

nitum bonum. Ergo summe ac infinite communicabilis est. Sed extra seipsum non potest se infinite communicare. Ergo ad intra per processionem Dei a Deo, modo infinito sese communicat.

b) Summa felicitas non est sine consortio, secundum illud: *Nullius boni sine consortio potest esse jucunda possessio.* Ergo Deus consortem habere debet; porro non potest alium Deum habere consortem; ergo seipsum in diversis personis consortem habet *(cf. I Sent., D. III, q. I, a. 4).*

c) In Deo est intellectus et voluntas. Ergo in Deo est terminus intellectionis, scilicet Verbum; et terminus volitionis, scilicet amor. Jamvero, quidquid est in Deo, est subsistens, et est Deus. Ergo in Deo est cum Verbum subsistens, tum amor subsistens.

NB. Hæ rationes, ut notat S. Th. *(q. 32, a. 1, ad. 2).* sunt tantum congruentiæ, non autem argumenta cogentia; non debent igitur afferri ad mysterium contra infideles probandum, sed ad mysterium jam admissum illustrandum.

618. — Prob. II Pars: *Potest ratio mysterium SS. Trinitatis analogiis adumbrare.*

Prob. Omnis effectus suam causam aliqualiter repræsentat. Causa autem creaturarum est Deus; sed Deus est unus simul et Trinus. Ergo in omni creatura repræsentatio SS. Trinitatis, vel per modum vestigii, vel per modum imaginis invenitur. « In creaturis igitur rationalibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repræsentatio Trinitatis per modum imaginis, in quantum invenitur in eis verbum conceptum et amor procedens. » In aliis creaturis invenitur vestigium, quia in qualibet est *esse*, est *forma*, et est *ordo;* etc. *(cf. S. Th., P. I, q. XLV, a. 7).*

S. Patres frequenter utuntur comparatione solis, radii, et splendoris ex ambobus emicantis, *(Lactantius et S. Athanasius);* fontis, rivi, et fluvii ex utroque profluentis, *(Dionys. Alex., S. Athan., et S. August.);* radicis, trunci, et rami in eadem arbore, *(Tertull.):* trium lucernarum in eodem cubiculo positarum, quæ unum idemque lumen effundunt, *(S. Greg. Naz.):* ignis, splendoris, et caloris, quæ cum sint tria, unum tamen sunt lumen.

619. — Prob. III Pars: *Utilissima est hæc inquisitio.* Fructuosissimam esse hanc inquisitionem, ex eo patet, quod per eam multa

alia fidei nostræ mysteria plenius ac rectius intelliguntur. « Cognitio divinarum personarum, *inquit S. Th.*, fuit necessaria nobis dupliciter: uno modo ad recte sentiendum de creatione rerum. Per hoc enim quod dicimus Deum omnia fecisse Verbo suo, excluditur error ponentium Deum produxisse res ex necessitate naturæ. Per hoc autem quod ponimus in eo processionem amoris, ostenditur quod Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliquam aliam causam extrinsecam, sed propter amorem suæ bonitatis.... Alio modo, et principalius, ad recte sentiendum de salute generis humani, quæ perficitur per Filium incarnatum, et per donum Spiritus Sancti. » *(Q. XXXII, a. 1, ad 3).*

Præterea, per hanc inquisitionem ad errores refutandos armis instruimur. « Deinde, *ait Magister Sent. (I. D. II, ex S. August.)*, adversus garrulos ratiocinatores, elatiores quam capaciores, rationibus catholicis et similitudinibus congruis ad defensionem et assertionem fidei utendum est ut eorum inquisitionibus satisfacientes, mansuetos plenius instruamus, et illi, si nequiverint invenire quod quærunt, de suis mentibus potius quam de ipsa veritate, vel de nostra assertione conquerantur. »

620. — Prop. IV. *Mysterium SS. Trinitatis aliquam repugnantiam involvere ratio naturalis nullo modo demonstrare potest* [1].

Ad fidem pertinet, ex Vatic. *Const. Dei Filius*, c. IV: « Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. » Sed si ratio in mysterio SS. Trinitatis aliquam repugnantiam deprehendere, et ejus impossibilitatem probare posset, Deus seipsum negaret, et verum vero contradiceret.

Prob. I. Deum fallere aut mentiri prorsus fieri nequit. Sed si ratio naturalis hujus mysterii impossibilitatem ostendere posset, Deus falleret et mentiretur, vel ut auctor naturæ, vel ut auctor gratiæ.

[1] Cf. Bannez, q. 32, a. 1; Concl. 3 et 4; Aguirre, Disp. 60. sect. 1. p. 138.

II. Ratio, ut alicujus rei repugnantiam ostendere possit, illius naturam penitus cognoscat, necesse est. Impossibile est autem divinam essentiam et divinam subsistentiam a ratione naturali penitus cognosci. Ergo aliquam in eo inesse repugnantiam, quod Deus unus in essentia, sit trinus in personis, demonstrare nequit.

III. Ut ex principiis naturaliter notis arguere possimus aliquam adesse repugnantiam in eo, quod Deus sit unus et trinus, imprimis probare deberemus infinitum et increatum iisdem, ac finitum et creatum, regulari principiis. Atqui hoc nemo probare potest; imo contrarium omnino constat. Sic v. g. principium naturale est quod ex nihilo nihil fit. Et tamen fide certum est Deum ex nihilo mundum fecisse.

Cum igitur omnia principia naturalia ex rebus creatis et finitis hauriamus, nefas est juxta ipsa de divinis judicare. « Si nihil inter nos et Deum est discriminis, *inquit S. Cyrillus Alex.*, divina nostris metiamur: sin autem incomprehensibile est intervallum, cur naturæ nostræ defectus canonem, et regulam ac normam Dei præfiniunt? » *(In Joan. l. XI, c. 11).* — Nullus igitur ex naturalibus principiis, aliquam adesse in Mysterio SS. Trinitatis repugnantiam, demonstrare valet.

621. — Corollaria. *Ex dictis sequitur:*

I. Mysterium SS. Trinitatis esse supra rationem, non autem contra rationem, nec ulli veritati naturali contradicere.

II. Omnia argumenta contra hoc mysterium allata evidenter solvi posse[1]: non quidem hoc sensu, quod veritas mysterii clare manifestetur; sed hoc sensu quod demonstrari possit, allata argumenta vel in forma vel in materia falsitate laborare, ac proinde ad veritatem mysterii frangendam, nullius esse ponderis: omne enim argumentum, quod contra veritatem revelatam allegatur, vitio aliquo vel in forma vel in materia necessario laborat. « Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, *ait S. August.*, quamvis acuta sit, fallit verisimilitudine; nam vera esse non potest. » *(Epist. 143, ad Marcell. n. 7).* Et *Vatic. (loc. cit.)*, « Inanis, *inquit*, hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus. »

[1] Cf. Bannez, In q. XXXII. a. 1, concl. 4; Aguirre, *loc. cit.*

III. Ex hoc tamen illud inferri non posse, videlicet rationem naturalem hujus mysterii possibilitatem probare posse: aliud enim est argumenta ex rationibus apparentibus petita evidenter solvere posse, et aliud, posse hujus mysterii possibilitatem ostendere. Numquam enim, præeunte etiam fide, sola ratio evincere potest aliquid unum in essentia esse trinum in personis; vel ea, quæ identificantur cum eodem tertio, esse inter se realiter distincta.

Objectiones [1].

Rationalistæ, cum antiquiores tum recentiores, contra mysterium SS. Trinitatis multa congerunt argumenta ex ratione naturali deprompta, quibus mysterii repugnantiam ostendere conantur. Quædam ex eis adnotare juvat.

622. — Objicitur I. Unius essentiæ unam tantum esse subsistentiam, et secundum subsistentiarum multiplicitatem multiplicari et essentias, ratio naturalis dictat. Si ergo unica in Deo admittitur essentia, unica tantum in eo admitti potest persona; si vero in eo trinitas ponitur personarum, in eo trinitas substantiarum etiam est admittenda, ac proinde tres erunt dii: quod repugnat. Non est igitur possibile dari in Deo trinitatem personarum.

Resp. Illud principium: *Unius essentiæ una tantum est subsistentia*, etc., valere pro essentiis creatis et finitis, quæ, eo ipso quod finitæ sunt, limitibus constringuntur, et pluribus subsistentiis communicari nequeunt. Eximde fit ut in creatis, multiplicatis subsistentiis, multiplicentur et essentiæ. Numquam autem ratio naturalis evincere poterit illud principium valere pro essentia increata et infinita, quæ nullis limitibus constringitur, et cujus subsistendi modus omnem humanum captum superat. Ex prædicto igitur principio nemo legitime inferre potest in Deo, propter unitatem naturæ, unicam esse tantum personam; vel propter Personarum Trinitatem, tres etiam in Eo esse naturas distinctas.

623. — Obj. II. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Sed Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt idem cum divina essentia. Ergo sunt idem inter se. Repugnat igitur dari in Deo trinitatem personarum realiter distinctarum.

I. Huic objectioni responderi potest ut supra: hoc scilicet principium pro rebus creatis, ex quibus ortum ducit, non autem pro divinis, valere.

II. **Respondetur.** Illud axioma: *quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, verum esse de iis, quæ adæquate et sub omni respectu sunt eadem uni tertio. Si quæ autem exstant, quæ sub uno respectu

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Conf. I, n. 13; et Aguirre, disp. 60.

sunt eadem uni tertio, non autem sub alio respectu, ea sunt quidem idem inter se sub eo respectu, sub quo sunt idem cum eodem tertio ast non licet inde concludere ea esse simpliciter et sub omni respectu idem inter se. Sic v. gr., ex eo quod baculus aureus et baculus ligneus sint in forma et longitudine idem cum baculo ferreo, licet concludere baculum aureum et ligneum esse idem inter se in forma e longitudine, nequaquam autem esse idem in materia.

Jamvero in divinis, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sunt iden cum essentia sub uno respectu, sed non sub omni respectu: sunt iden cum essentia *quoad esse,* et sub hoc respectu sunt idem inter se: unde *esse* paternitatis est idem ac *esse* filiationis et *esse* spirationis passivæ sed non sunt idem cum essentia *in modo subsistendi:* unde sub ho respectu, non sunt idem inter se; quocirca Paternitas non est Filiatio nec spiratio passiva. « Paternitas et essentia divina, *ait S. Th.,* sun idem secundum esse: et ideo sicut in Filio est esse essentiæ, ita e in Filio est esse paternitatis, quia in divinis non est nisi unum esse Sed Paternitas habet aliquid in quo non unitur cum essentia, scilice rationem paternitatis, quæ est alia a ratione essentiæ; unde secundum illam rationem respectus potest esse in Patre et non in Filio, sec distinguere Patrem a Filio.» *(I Sent., D. XXXIII, a. 1, ad 2 — cf. De Pot., q. II, a. 5).*

624. — **Instant.** Ratio paternitatis, quæ est alia a ratione essentiæ, non *re* sed *ratione* tantum ab essentia distinguitur. Sed distinctio rationis non sufficit ad inducendam distinctionem realem inter divinas personas.

Resp. Distinctio rationis non sufficit ad inducendam distinctionem realem, in creatis, *concedo:* in ente increato et perfectissimo *nego.* Licet concipere non possimus quomodo in divinis virtualis distinctio inter personam et naturam sufficiat ad realem distinctionem inter personas fundandam, concipere tamen possumus rem non ess impossibilem, ob summam Dei perfectionem et simplicitatem: et ho sufficit ad vim objectionis enervandam: siquidem adversarii nunquam ostendere poterunt illud rationi aperte contradicere, et intrinsecam repugnantiam involvere.

625. — **Obj. III.** Personarum trinitas summæ Dei simplicitati officit. Si enim tres sunt in Deo personæ, Deus ex tribus componitur quod divinam simplicitatem pessumdat.

Resp. Compositio est unio realiter distinctorum ad aliquod unum constituendum, ut, v. gr., in homine, unio animæ et corporis. Sed Trinitas personarum in Deo non est distinctorum unio ad aliquod unum constituendum. Vel enim personæ considerantur relate ad essentiam: sed personæ divinam essentiam nec constituunt nec efficiunt sed sunt ipsa divina essentia, quæ tota et indivisa est simul Pater Filius, et Spiritus Sanctus. Unde essentia divina ex tribus personis vel ex essentia et personis, non coalescit. — Vel tres personæ con

siderantur relate ad se invicem: sed relate ad invicem, personæ non uniuntur ad aliquod unum efficiendum, sed sunt et manent realiter distinctæ. Trinitas igitur personarum simplicitati Dei non officit.

626. — Obj. IV. Qui ab alio procedit, ab eo esse accipit. Sed qui ab alio esse accipit, nec increatus, nec Deus est. Ergo in Deo persona, quæ ab altera procedat, existere nequit.

Resp. Qui ab alio, tanquam a causa, esse accipit, non est increatus, *concedo*: qui ab alio, tanquam a puro principio, esse accipit, non potest esse increatus, *nego*. — Ratio discriminis in eo sita est, quod qui ab alio tanquam a causa procedit, habet esse simile cum causa, non autem idem numero esse ac causa, unde est ea posterior. Qui vero ab alio tanquam a puro principio procedit, accipit ipsum esse principii, ita ut idem numero esse sit et principii et principiati. Cum igitur Filius a Patre tanquam a puro principio procedat, ipsum esse Patris est in Filio; et sicut esse in Patre est increatum et æternum, idem esse in Filio est increatum et æternum.

627. — Obj. V. Nec Paternitas nec actio generandi est in Filio. Ergo aliquid est in Patre, quod non est in Filio; unde et Filius est Patre imperfectior, quod tollit Trinitatem.

Resp. Paternitas non est in Filio: *distinguo:* paternitas quoad *esse in*, seu quoad ipsum esse absolutum relationis, non est in Filio, *nego*. *Esse* enim Paternitatis est ipsa essentia divina, quæ cum tota sit in Filio, sequitur *esse* Paternitatis esse in Filio; — paternitas quoad *esse ad*, non est in Filio, *concedo;* sed cum sub hac consideratione non sit proprie aliquid in eo, qui eam habet, sed est *ad aliquid*, sequitur Filium, qui eam sub hac ratione non habet, non esse Patre imperfectiorem: quia eadem perfectissima essentia, quæ in Patre est ut non accepta, in Filio est ut a Patre accepta (cf. n. 559).

Apposite *S. Thomas:* «Ipsa paternitas est divina essentia, nec tamen paternitas Filio inest, propter oppositionem Paternitatis et Filiationis. Unde potest dici, quod paternitas est divina essentia prout est in Patre, non prout est in Filio: non enim eodem modo est in Patre et Filio, sed in Filio ut ab altero accepta, in Patre autem non. Nec tamen sequitur quod quamvis paternitatem Filius non habeat quam Pater habet, aliquid habeat Pater quod non habet Filius: nam ipsa relatio secundum rationem sui generis, inquantum est relatio, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid. Quod sit vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte qua inest... Unde cum id quod est absolutum, communiter sit in Patre et Filio, non distinguuntur secundum aliquid, sed secundum ad aliquid tantum; unde non potest dici quod aliquid habet Pater quod non habet Filius; sed quod aliquid secundum unum respectum convenit Patri, et secundum alium aliquid Filio. Similiter ergo dicendum est de actione et potentia. Nam generatio significat actionem cum aliquo respectu, et potentia generandi significat potentiam cum respectu; unde ipsa

generatio est Dei actio, sed prout est Patris tantum; et similiter ipsa potentia generandi est Dei omnipotentia, sed prout est Patris tantum. Nec tamen sequitur quod aliquid possit Pater, quod non possit Filius. Sed omnia quæcumque potest Pater, potest Filius, quamvis generare non possit: nam generare ad aliquid dicitur.» *(De Pot., q. II, a. 5).*

CAPUT VI.

DE MODO LOQUENDI CIRCA MYSTERIUM SS. TRINITATIS.

628. — « Quia ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis, *ait S. Th.*, ideo cum de Trinitate loquimur, cum cautela et modestia est agendum, quia ut Augustinus dicit, *nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur.*» *(Q. XXXI, a. 2).* Ut igitur in tanti momenti materia omnis error præcaveatur, antequam tractatui finis imponatur, quædam de modo loquendi circa illud augustissimum mysterium addenda sunt. In art. I agetur de modo loquendi in genere; in art. II sermo erit de eo speciali modo loquendi, qui dicitur appropriatio.

ARTICULUS I.

DE MODO LOQUENDI IN GENERE.

629. — « Oportet in his quæ de Trinitate loquimur, *ait S. Th.*, duos errores oppositos cavere, temperate inter utrumque procedentes; scilicet errorem Arii, qui posuit cum Trinitate personarum Trinitatem substantiarum, et errorem Sabellii, qui posuit cum unitate essentiæ unitatem personæ.» *(Q. XXXI, a. 2).*

Ad oppositos illos errores vitandos, dum de SS. Trinitate loquimur, duplex generalis regula statui potest.

Regula 1: Vitanda sunt sedulo omnia ea vocabula, quæ licet specietenus tantum, vel unitatem naturæ, vel personarum pluralitatem læderent.

Regula II: Quæ personis ratione solius essentiæ conveniunt, singulariter tantum dicuntur: quia essentia est una in tribus personis. — Quæ eis sola ratione proprietatum personalium conveniunt, dicuntur tantum pluraliter; quia proprietates personales constituunt personas distinctas. — Quæ autem eis et ratione proprietatum et ratione essentiæ conveniunt, dicuntur tum pluraliter tum singulariter: pluraliter, quatenus eis ratione relationum, singulariter vero quatenus eis ratione essentiæ conveniunt.

630. — Ex duabus hisce regulis quædam fluunt corollaria seu regulæ particulares, quæ modum loquendi in particulari dirigunt:

1. *Nomina essentialia substantive sumpta « prædicantur de tribus personis singulariter tantum, et non pluraliter,* ait S. Th.: *quæ vero adjective essentiam significant, prædicantur de tribus personis in plurali.* Cujus ratio est quia nomina substantiva significant aliquid per modum substantiæ; nomina vero adjectiva significant aliquid per modum accidentis quod inhæret subjecto.... et ex subjecto suscipiunt unitatem vel multitudinem. » *(Q. XXXIX, a. 3).* Sic, v. gr.: *Tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.* (Symb. Athan.). — *Non tres æterni, sed unus æternus; sicut non tres increati, nec tres immensi (Ibid.):* si hæc sumantur substantive; si autem sumantur adjective, dicere possumus: tres immensi, tres increati, tres æterni. Dici etiam potest: *sunt tres habentes deitatem,* S. Th. *(loc. cit., ad 1).*

631. — 2. *Nomina essentialia concreta supponere possunt pro persona; nomina vero essentialia abstracta pro persona supponere nequeunt.*

Ratio *primi* est, quia nomina essentialia concreta, v. gr., *Deus,* divinam essentiam *ut in habente ipsam* significant; sicut hoc nomen *homo* significat humanitatem in supposito; et ideo ex modo significandi hoc nomen *Deus* pro persona supponere potest. Per se, sine adjuncto, hoc nomen *Deus,* significat ipsam essentiam; sed ex adjuncto suppositio ejus ad personam determinatur. Veræ igitur sunt hæ locutiones: *Deus generat;*

Deus generatur; Deus genitus; Deus spiratus, etc., et ita etiam in Symbolo dicitur: *Deum de Deo.*

Ratio *secundi* est quia nomen abstractum essentiam per modum formæ abstractæ, et non ut in habente ipsam, significat; sicut, v. gr., hoc nomen *humanitas*, non significat hominem habentem humanitatem. Quapropter nomina abstracta essentialia pro persona supponere non possunt: « Et ideo ea quæ sunt propria personarum quibus ab invicem distinguuntur non possunt essentiæ attribui: significaretur enim quod esset distinctio in essentia divina, sicut est distinctio in suppositis. » *S. Th. (Q. XXXIX, a. 5).*

Dicere igitur non possumus *quod deitas aut essentia generat, vel generatur.* Ait enim Later. IV: « Illa res (scil. essentia divina) non est generans, neque genita, neque procedens. » Et *S. Th.:* « Non est concedendum quod essentia generat, sed quod Pater generat virtute essentiæ vel naturæ. » *(I Sent., D. V, a. 1).*

632. — 3. Dum de personis loquimur, ad vitandum errorem Arii, dicere non debemus unam personam esse ab alia *diversam* aut *differentem*, ne tollatur essentiæ unitas; — vel *separatam* aut *divisam* ab alia, ne tollatur divinæ naturæ simplicitas; — aut *alienam* et *discrepantem*, ne tollatur similitudo. *(Q. XXXI, a. 2).* — Sed Filius dici potest *alius* a Patre, non vero *aliud;* quia *aliud*, in neutro genere, substantivatur et importat alietatem essentiæ, *ut ait S. Th. (I Sent., D. IX, a. 1, ad 1);* dum *alius*, masculine, adjective sumitur, et solum distinctionem importat. « Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, » ait *Later. IV.* — Similiter catholica est hæc propositio: *Pater, Filius et Spiritus S. sunt unum et idem;* non autem ista: *sunt unus et idem;* sed dici potest: *sunt unus et idem Creator.* Item, persona potest dici *distincta* vel *discreta* ab altera, quia distinctio oppositionem relationis importat.

633. — 4. Dum de essentia Dei sive in abstracto sive in concreto loquimur, ad vitandum errorem Sabellii, vitare debemus nomen *singularis*, ne tollatur communicabilitas essentiæ; nomen *unici*, ne tollatur numerus personarum, (dicere

tamen possumus; *unicum Filium*) — nomen *confusi*, ne a personis tollatur ordo naturæ: nomen *solitarii*, ne consortium trium personarum tollatur. — Similiter Deus dici nequit *multiplex*, quia multiplicaretur natura. Sed *trinus* et *trinitas* dici possunt: *Te trina Deitas unaque poscimus; — Sancta Trinitas, unus Deus:* quia sensu obvio hæ voces nihil aliud important, quam eamdem essentiam tribus personis esse communen, et cum eis identificatam.

ARTICULUS II.

DE APPROPRIATIONE IN DIVINIS [1].

634. — Appropriatio est modus loquendi in re fundatus, quo quædam attributa essentialia, vel quædam operationes tribus personis communes, uni personæ divinæ præ aliis ad ejus manifestationem attribuuntur.

Appropriatum *a proprio* sedulo distingui debet. *Proprium* illud dicitur, quod uni personæ ita convenit, ut alteri convenire nequaquam possit: vocatur *proprietas personalis;* ut, v. gr., Paternitas, Filiatio. — *Appropriatum* vero est quid tribus personis commune, (ut, v. gr., sapientia, bonitas, etc.), quod ob specialem similitudinem, quam cum proprio alicujus personæ habet, huic personæ præ cæteris attribuitur.

635. — Appropriatio in Scripturis et constanti Ecclesiæ traditione fundatur, et maximam, tum ex parte ipsius rei, tum propter nostram utilitatem, convenientiam habet.

Fundatur in Scriptura; sic S. Paulus *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* nominat (I Cor. I, 24).

Maximam convenientiam habet ex parte rei: « Quamvis attributa essentialia, *ait S. Th.*, communia sint tribus, tamen unum secundum rationem suam magis habet similitudinem ad proprium unius personæ quam alterius, unde illi personæ appropriari potest convenienter. Verbi gratia: Potentia habet

[1] Cf. S. Th., q. XXXIX, a. 7 et 8; I *Sent.*, D. XXXI, q. I; D. XXXIV, q. II.

in ratione sua principium; et ideo appropriatur Patri, qui est principium non de principio; et sapientia Filio, qui procedit ut Verbum; et bonitas Spiritui Sancto, qui procedit ut amor, cujus objectum est bonum. » *(I Sent. D. XXXI, q. I, a. 2).*

Maximam convenientiam habet propter nostram utilitatem: cum attributa essentialia nobis magis nota sint, quam propria personarum, per hoc quod essentialia alicui personæ attribuuntur, hæc persona nobis manifestior redditur. « Quamvis per attributa, *ait S. Th.*, non possimus sufficienter devenire in propria personarum, tamen inspicimus in appropriatis aliquam similitudinem personarum, et ita valet talis appropriatio ad aliquam fidei manifestationem, quamvis imperfectam. » *(Loc. cit.).*

Præterea, ex appropriationibus altera nobis enascitur utilitas: per hoc enim quod S. Scriptura uni personæ in particulari attribuit effectum, qui essentialiter ad divinam naturam pertinet, edocemur quamnam ex divinis perfectionibus in hoc opere specialius mirari debeamus. Sic v. gr., Incarnatio Spiritui Sancto attribuitur, quia est opus excellentissimum dilectionis Dei erga homines: providentia attribuitur Filio, seu Sapientiæ, quia sapientis est res in finem ordinare: creatio vero attribuitur Patri, quia Dei potentiam maxime manifestat.

636. — Ex diversis appropriationibus, quas S. Thomas, *(q. XXXIX, a. 8),* refert, hæ præ cæteris notatu sunt dignæ.

I. Patri attribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas.

1. *Patri attribuitur potentia:* Christus ad Patrem orans dicit (Marc. XIV, 36): *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt.* — Et in Symbolo dicimus: Credo in Deum Patrem omnipotentem. « Quæ quidem appropriatio, *inquit S. Th.*, fit et secundum rationem similitudinis, si consideratur quod in divinis personis est; et secundum rationem dissimilitudinis, si consideretur quod in creaturis est. Potentia enim habet rationem principii: unde habet similitudinem cum Patre cœlesti, qui est principium totius Divinitatis: deficit autem interdum patri terreno propter senectutem. » *(Art. 8).*

2. *Filio attribuitur sapientia.* (I Cor. I, 24) S. Paulus Christum nominat *Dei Sapientiam*, et (v. 30) *Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo.* « Sapientia, *inquit S. Th.*, similitudinem habet cum Filio cœlesti inquantum est Verbum, quod nihil aliud est quam conceptus sapientiæ: deficit autem interdum filio terreno propter temporis paucitatem. »

3. *Spiritui Sancto appropriatur bonitas.* Legimus (Sap. XII, 1): *O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus.* — (Sap. I, 6): *Benignus est Spiritus Sapientiæ.* « Bonitas cum sit ratio et objectum amoris, *inquit S. Th.*, habet similitudinem cum Spiritu Sancto, qui est amor. Sed repugnantiam habere videtur ad spiritum terrenum, secundum quod importat violentiam quamdam et impulsionem. »

II. *Patri attribuitur creatio*, quia in mundi creatione divina potentia maxime elucet. *Filio attribuitur providentia*, quia sapientis est res in finem ordinare. *Spiritui Sancto attribuitur rerum conservatio* et gubernatio; quia « Deus sua bonitate eas (res) conservat et gubernat, ad finem convenientem adducendo: » *S. Th.*, unde gubernatio appropriatur Spiritui Sancto, sicut et bonitas.

Hæc de augustissimo SS. Trinitatis mysterio dicta sufficiunt. Quem fide his in terris unum et trinum confitemur, Deus concedat, ut ipsum nos omnes, revelata facie gloriam Domini aliquando speculantes, sicuti est, intuitive videamus.

EXPLICIT TRACTATUS DE SS. TRINITATE.

QUÆ IN HISCE INSTITUTIONIB

Theologia Moralis . . . . . .

Homo Apostolicus . . . . . .

Instructio catechistica . . . . . .

Examen ordinandorum . . . . . .

Vindiciæ pro suprema Pontificis potestate, adversus Justinum Febroni
R. P. Jules Jacques.) . . . . . .

Dissertatio de Rom. Pontificis superioritate supra Concilium, et de
n. 110 et seq.) . . . . . .

Opera italice conscripta. (*Editio Marietti.*)	Versio Gallica. (*Editio Casterman.*)
Storia delle eresie colle loro confutazioni. (*T. VIII, p. 5-440.*)	Histoire et Réfutation des h sies. (*T. III, IV, V.*)
Contra gli eretici pretesi riformati. (*T. VIII, p. 841-1019.*)	Traité contre les prétendu formés. Ou: Défense des do catholiques définis par le Co de Trente. (*T. VI et VII.*)

FREQUENTIUS CITANTUR.

	Citantur:
. . . . .	Mor., L...
. . . . .	Hom. Ap.
. . . . .	Instr. catech.
. . . . .	Exam. Ord.
n opere: *Du Pape et du Concile,*	Vindic.
fallibilitate. (*Mor. L. I, Tr. II,*	Dissert. de R. Pont.
Hæresum historia earumque con-tatio.	Hist. hær., et: Hist. hær. Confut.
Opus dogmaticum adversus hæ-eticos pseudoreformatores.	Cont. hær.

Verità della fede.
(*T. VIII, p. 536-787.*)

Evidenza della fede.
(*T. VIII, p. 490-536.*)

Riflessioni sulla verità della divina rivelazione.
(*T. VIII, p. 470-490.*)

Breve dissertazione contra gli errori dei materialisti e deisti.
(*T. VIII, p. 441-470.*)

Dissertazioni teologiche morali appartenenti alla vita eterna.
(*T. VIII, p. 1019-1090.*)

Condotta ammirabile della divina Provvidenza.
(*T. VIII, p. 787-840.*)

Glorie di Maria.
(*T. I, p. 3-363.*)

Del gran mezzo della preghiera.
(*T. II, p. 515-618.*)

Vérité de la foi.
(*T. I et II.*)

Evidence de la foi catholiqu
(*T. II, p. 377 et seq.*)

Réflexions sur la vérité de la
vélation divine.
(*T. II, p. 475 et seq.*)

Courte dissertation contre les
reurs des incrédules modernes co
nus sous les noms de matérialis
et déistes.
(*T. I, p. 391-471.*)

Dissertations dogmatiques et m
rales sur les fins dernières.
(*T. VIII, p. 209 et seq.*)

Conduite admirable de la divi
Providence.
(*T. VIII.*)

Gloires de Marie.
(*Œuvr. asc., T. VII et VIII.*)

Du grand moyen de la prière
(*Œuvr. asc., T. III.*)

De fidei Veritate.	Ver. fid.
De Evidentia fidei.	Evident. fid.
Considerationes super divinæ re-lationis veritate.	Consid. de verit. Rev.
Brevis dissertatio adversus er-res recentiorum incredulorum qui die materialistæ et deistæ vocan-r.	Brev. dissert. cont. deistas.
Dissertationes theologicæ mora-s de iis, quæ ad vitam æternam rtinent.	Dissert. theol. mor.
De mirabili divinæ providentiæ a.	Via mir.
De Gloriis Mariæ.	Glor. Mar.
De magno precationis adjumento.	Magn. prec. adj.

INDEX

PROLEGOMENA.

PAG.

ART. I. *De Theologiæ notione atque objecto.* 1

Definitio. — Objectum; objectum materiale, formale quod, formale quo 1-4

Coroll. Theol. habitus naturalis, scientia supernaturalis; — habitus specie infima unicus — dependens a fide, sed a fide distinctus 4

ART. II. *De Theologiæ divisione* 5

Theologia generalis, specialis; — speculativa, practica; — practica: speculativo-practica, casuistica, ascetica, mystica, pastoralis: — speculativa: positiva, scholastica.

ART. III. *De Theologiæ necessitate atque præstantia* . . 10

ART. IV. *De Fontibus fidei, seu de locis theologicis.* . . 15

1. Scriptura Sacra 16
2. Traditio 17
3. Auctoritas Ecclesiæ 19
4. Concilia a R. Pontifice approbata 20
5. Romani Pontifices 21
6. Auctoritas Patrum 22
7. Auctoritas Theologorum 25
8. Ratio naturalis 26
9. Auctoritas Philosophorum 28
10. Auctoritas historiæ 28

ART. V. *De propositionibus theologicis, dogmatibus et conclusionibus theologicis* 30

ART. VI. *De Notis theologicis* 33

Propositiones orthodoxæ: ratione declarationis, ratione necessitatis; — propositiones heterodoxæ.

Totius operis partitio 38

THEOLOGIA GENERALIS.

PAG.

INTRODUCTIO 41

TRACTATUS I.

DE VERA RELIGIONE.

INTRODUCTIO 41

PARS I. **De Religione in genere** 47

Notio religionis et cultus. — Religio objective et subjective considerata; — naturalis, supernaturalis. — Cultus internus, externus, privatus, publicus.

Prop. I. Religio est homini absolute necessaria . 49
Prop. II. Vera religio non potest esse nisi una . . 52
Prop. III. Homo Deo cultum tam internum quam externum exhibere tenetur 53
Prop. IV. Societas civilis, qua societas, veram religionem profiteri tenetur 54
Coroll. De civili religionum tolerantia 56

PARS II. **De Revelatione in genere** 57

CAPUT I. DE REVELATIONIS NOTIONE 57
Definitio — divisio: revelatio mediata, immediata, interna, externa, supernaturalis quoad substantiam, quoad modum, privata, publica. — Errores: Deistæ, rationalistæ, naturalistæ, semirationalistæ.
CAPUT II. DE REVELATIONIS POSSIBILITATE 60
Prop. I. Revelatio supernaturalis est in se possibilis. 60
Prop. II. Revelatio mysteriorum est possibilis . . 62
Prop. III. Revelatio, quæ legi naturali præcepta positiva superaddit, est possibilis 64

PAG.

CAPUT III. De Revelationis necessitate 65

Prænotanda: homo ordinatus ad finem naturalem, ad finem supernaturalem: — Necessitas physica, moralis — impotentia physica, moralis. — Errores.

Prop. I. Posita hominis elevatione ad finem supernaturalem, revelatio est absolute necessaria 66

Prop. II. In præsenti generis humani conditione revelatio non est homini absolute necessaria ad religionem naturalem cognoscendam; verum, necessaria est moraliter ut eam omnes expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore cognoscere valeant 67

CAPUT IV. De Revelationis obligatione atque inquisitione 73

Prop. I. Unicuique gravis incumbit obligatio religionem revelatam amplectendi, si aliqua existit 73

Prop. II. Qui in tranquilla revelatæ religionis possessione non requiescunt, eam inquirere stricte tenentur . . 75

CAPUT V. De Revelationis cognoscibilitate, seu de notis Revelationis. 78

Art. I. *De notis revelationis in genere* 78

Definitio — necessitas — distinctio: notæ intrinsecæ, extrinsecæ, negativæ, positivæ; — errores.

Art. II. *De externis Revelationis criteriis* 82

§ 1. De Miraculis 83

Definitio — divisio — nomina — errores.

Prop. I. Miracula sunt possibilia 85

Prop. II. Aliqua miracula certo cognosci possunt . 89

Regulæ ad discernenda miracula. 91

Prop. III. Miracula divinitatis doctrinæ, cujus in gratiam fiunt, certissimum sunt argumentum 92

§ 2. De Prophetia 96

Definitio — prophetia est possibilis — solum Deum habet auctorem — prophetia improprie dicta angelum potest habere auctorem — prophetia certo cognosci potest — est criterium certum de divinitate alicujus doctrinae.

§ 3. De factis divinis a miraculo et prophetia distinctis 99

Celerrima religionis propagatio — ejus firma stabilitas — Martyrum constantia — mundi innovatio.

PAG.

PARS III. **De Divinitate Religionis christianæ** . . 101

CAPUT I. De Auctoritate librorum Vet. et Novi Testamenti. 102
Prænotanda 102
Art. I. *De Auctoritate Pentateuchi.* 103
Prop. I. Pentateuchus est authenticus 104
Prop. II. Pentateuchus substantialiter integer et incorruptus ad nos pervenit 106
Prop. III. Vera et fide digna sunt quæ in Pentateucho narrantur 107
Art. II. *De Auctoritate aliorum Librorum Vet. Test.* 110
Prop. Cæteri libri Vet. Test. sunt authentici, integri, et fide digni 110
Art. III. *De Auctoritate Librorum Novi Testamenti.* 112
Prop. I. Libri Novi Test. sunt authentici 113
Prop. II. Libri Novi Test. ad nos substantialiter integri et incorrupti pervenerunt 115
Prop III. Libri Novi Test. sunt fide dignissimi. . . 117

CAPUT II. De Divinitate religionis christianæ in sua præparatione 121
Art. I. *De Revelatione primæva* 121
Prop. I. Humano generi ab initio data est religio divinitus revelata. 122
Prop. II. Religio primæva plura præ se fert divinæ suæ originis signa 124
Prop. III. Revelatio primæva substantialiter eadem est ac revelatio christiana 125
Art. II. *De Revelatione mosaica.* 126
§ 1. De divinitate revelationis mosaicæ 127
Prop. Revelatio mosaica Deum habuit auctorem . . 127
§ 2. De ordinatione legis mosaicæ ad religionem christianam, et de ejus abrogatione. 132
Prop. I. Lex mosaica aliquando debuit abrogari . . 133
Prop. II. Lex mosaica jamdudum est abrogata . . . 135

CAPUT III. De Divinitate religionis christianæ in seipsa consideratæ. 136
Art. I. *De Prophetiis messianis in Christo adimpletis.* 137

PAG.

Prop. I. Christus Jesus tempore adventui Messiæ præstituto, in terris apparuit 137

Prop. II. Prophetiæ, quæ Messiæ characteres et munia prænuntiant, in Christo Jesu sunt impletæ 141

Prop. III. Prophetiæ, quæ personales Messiæ notas describunt, in Jesu Nazareno sunt impletæ 143

ART. II. *De Criteriis proprie dictis revelationis christianæ* 147

§ 1. De notis intrinsecis religionis christianæ . . 147

Prop. Ex sublimi religionis christianæ excellentia ejus divinitas recte probatur 147

§ 2. De Persona Præconis. 152

Prop. Ex charactere Christi divina religionis origo certo evincitur. 153

§ 3. De factis externis 155

I. De Miraculis proprie dictis 155

Prop. I. Ex miraculis a Christo patratis religionis christianae divinitas evidenter probatur 155

Prop. II. Ex miraculo resurrectionis Christi divinitas christianæ religionis invicte probatur. 158

Prop. III. Ex miraculis Apostolorum aliorumque sanctorum divinitas religionis christianæ invicte probatur . . 162

II. De Prophetiis 163

Prop. Ex vaticiniis a Christo editis divinitas religionis invicte probatur 163

III. De Miraculis in ordine morali 165

Prop. I. Religionis christianæ divinitas ex ejus celerrima propagatione rite demonstratur 165

Prop. II. Religionis christianæ divinitas ex ejus perpetua stabilitate rite demonstratur 168

Prop. III. Ex Martyrum constantia religionis christianæ divinitas rite demonstratur. 170

Prop. IV. Ex morum renovatione per religionem christianam in mundum introducta, hujus divinitas rite demonstratur 172

APPENDIX. DE FALSIS RELIGIONIBUS 175

I. De Judaismo hodierno 175

Prop. Falsa est hodierna Judæorum religio 176

PAG.
II. De Mahumetismo 177
Prop. Falsa est religio mahumetana 177
Conclusio tractatus 179

—

TRACTATUS II.

DE VERA CHRISTI ECCLESIA.

Introductio 182
Scopus tractatus, — diversæ Ecclesiæ, — media argumentationis, — divisio tractatus.

PARS I. **Ecclesiæ a Christo fundatæ delineatio** . . 187

CAPUT I. De Ecclesiæ institutione 187
Art. I. *De Ecclesiæ definitione* 188
Significatio vocabuli Ecclesiæ, — essentialis Ecclesiæ definitio, — definitio Ecclesiæ secundum acatholicos, — Ecclesiæ nomina, figuræ et parabolæ.
Art. II. *De Ecclesiæ fundatione.* 191
Prop. I. Christus instituit Ecclesiam 192
Prop. II. Christus instituendo Ecclesiam, genericam ejus essentiam quam habuit a mundi initio, non mutavit, sed novum statum novamque formam ei dedit. 196
Art. III. *De fine Ecclesiæ* 198
Prop. Finis Ecclesiæ proximus et immediatus est continuatio visibilis missionis Christi in terris. 199
Corollaria 201

CAPUT II. De Ecclesiæ natura 202
Art. I. *De Ecclesiæ visibilitate* 203
Visibilitatis notio, — momentum quæstionis, — errores.
Prop. Vera Christi Ecclesia est societas essentialiter visibilis 205
Art. II. *De hierarchica Ecclesiæ constitutione* . . . 207
Notio hierarchiæ, — diversæ regiminis formæ, — errores.
Prop. I. In Ecclesia ex divina institutione essentiale clericos inter et laicos discrimen intercedit. 212

PAG.

Prop. II. Est in Ecclesia ex ordinatione divina hierarchia ordinis constans ex episcopis, presbyteris et diaconis. 214

Prop. III. Est in Ecclesia hierarchia jurisdictionis, qua episcopi sunt jure divino presbyteris superiores . . . 217

Prop. IV. Christus in persona B. Petri primatum jurisdictionis instituit 220

Objectiones 228

Prop. V. Forma regiminis ecclesiastici est monarchica. 231

Quæritur. An Ecclesiæ regimen sit simplex et pura monarchia, vel monarchia temperata 233

ART. III. *De intrinseca Ecclesiæ perfectione* 234

Prop. I. Ecclesia est societas essentialiter supernaturalis 234

Prop. II. Ecclesia est corpus Christi mysticum . . 236

Prop. III. Ecclesia est societas ubique legalis . . 237

Prop. IV. Ecclesia est societas essentialiter perfecta 238

ART. IV. *De Membris Ecclesiæ* 242

§ 1. De Anima et corpore Ecclesiæ 242

§ 2. De membris Ecclesiæ. 245

Prop. Ad Christi Ecclesiam pertinent non soli justi aut soli prædestinati, sed etiam peccatores et non prædestinati. 246

Scholium I. De pertinentibus ad animam Ecclesiæ . 248

Scholium II. De pertinentibus ad corpus Ecclesiæ. . 248

Catechumeni, — hæretici publici, — hæretici occulti, — schismatici, — excommunicati.

ART. V. *De Potestate Ecclesiæ* 251

§ 1. De Magisterio Ecclesiæ 252

I. De magisterii institutione 252

Prop. Existit in Ecclesia magisterium a Christo Domino institutum 253

II. De fine magisterii, seu de regula fidei proxima. 255

Definitio regulæ fidei, — regula fidei proxima et remota, — errores.

Prop. Magisterium Ecclesiæ est unica proxima fidei regula 256

III. De objecto magisterii. 260

Veritates formaliter revelatæ, — veritates cum dogmate connexæ, — scientiæ naturales, — artes humanæ et mechanicæ, — scholæ puerorum.

§ 2. De Ecclesiæ imperio 263

PAG.

Definitio, — divisio, — errores.

Prop. I. Ecclesia jure divino potestatem habet legislativam. 264

Prop. II. Ecclesia jure divino potestatem habet judiciariam 267

Prop. III. Ecclesia jure divino potestatem habet coercitivam 268

Prop. IV. Potestas Ecclesiæ coercitiva ad pœnas etiam temporales et corporales extenditur 269

Scholium. De jure gladii. 270

Corollaria 271

CAPUT III. De proprietatibus Ecclesiæ 272

Proprietatum notio, — divisio.

Art. I. *De Ecclesiæ necessitate* 273

Notio necessitatis, — necessarium necessitate medii, necessitate præcepti.

Prop. Extra Ecclesiam non est salus 275

Art. II. *De Ecclesiæ indefectibilitate* 277

Notio indefectibilitatis, — indefectibilitas in existendo, in essendo, — errores.

Prop. Vera Christi Ecclesia est indefectibilis tam in existendo quam in essendo 278

Art. III. *De infallibilitate Ecclesiæ* 281

Definitio, — infallibilitas passiva, activa.

§ 1. De infallibilitatis existentia 281

Definitio infallibilitatis activæ.

Prop. Ecclesia in doctrina fidei et morum conservanda et definienda est infallibilis 283

Quæritur: An synagoga fuerit infallibilis 286

§ 2. De objecto infallibilitatis 286

I. Objectum directum et primarium: veritates formaliter revelatæ 287

II. Objectum indirectum et secundarium: damnatio propositionum infra fidem, — disciplina generalis, — approbatio ordinum religiosorum, — canonizatio Sanctorum, — facta dogmatica 287

Art. IV. *De Unitate Ecclesiæ.* 296

Definitio, — doctrina catholica, — errores.

Prop. I. Ecclesia est essentialiter una et in se indivisa. 298

PAG.

Prop. II. Ecclesia est una, unitate fidei, unitate communionis, et unitate regiminis 300

ART. V. *De Sanctitate Ecclesiæ* 304

Prop. Ecclesia est sancta, sanctitate tam activa quam passiva. 306

ART. VI. *De catholicitate Ecclesiæ* 308

Definitio, — catholicitas materialis, formalis, — simultanea, successiva. — Doctrina catholica de catholicitate.

Prop. Ecclesia est catholica, catholicitate morali simultanea 310

ART. VII. *De Apostolicitate Ecclesiæ* 312

Definitio, — elementa requisita, — successio apostolica, — errores.

Prop. Ecclesia in Apostolis fundata, apostolica semper remanere debet tum ratione originis, tum ratione doctrinæ, tum præsertim ratione successionis 315

Scholium. De missione extraordinaria protestantium . 317

CAPUT IV. DE NOTIS ECCLESIÆ 317

Definitio, — numerus notarum, — doctrina protestantium.

Prop. I. Neque sincera verbi Dei prædicatio, neque legitima sacramentorum administratio sunt genuinæ veræ Ecclesiæ notæ 319

Prop. II. Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas veræ et genuinæ sunt Ecclesiæ notæ 320

PARS II. De Identitate Ecclesiæ Romanæ cum vera Christi Ecclesia 323

CAPUT I. PROBATUR ECCLESIÆ ROMANÆ IDENTITAS CUM VERA CHRISTI ECCLESIA EX NOTIS 325

Prop. I. Ecclesia romana perfecte possidet notam unitatis, sectæ vero schismaticæ et hæreticæ ea carent . . 325

Prop. II. Ecclesia Romana sanctitate fulget; sectæ vero schismaticæ et hæreticæ ea carent 328

Prop. III. Ecclesia Romana catholicitate gaudet; sectæ vero tam schismaticæ quam hæreticæ ea destituuntur . . 334

Prop. IV. Ecclesia Romana catholicitatem habet; sectæ vero schismaticæ et hæreticæ ea carent 335

Quæritur. Quomodo Ecclesia sit per se ipsa magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis. 339

PAG.

CAPUT II. De Perpetuitate primatus Petri in romanis Pontificibus 343

Prop. I. Primatus Petri ex Christi institutione jugiter in Ecclesia perdurare debet 344

Prop. II. Romani Pontifices, ipsique soli, sunt Petri successores in primatu 346

Prop III. Romani Pontifices sunt Petri successores jure divino 349

Prop. IV. Primatus Petri ita est romanæ cathedræ indissolubiliter alligatus, ut ad alteram sedem transferri nequeat 351

Quæritur 1. Quid de primatus successione futurum esset, si everteretur Roma, et romana diœcesis destrueretur. 353

Quæritur 2. An Christus circa modum personam cujusque Pontificis eligendi aliquid determinaverit. 353

CAPUT III. De Natura sacri apostolici primatus. . 354

Art. I. *Errores contra apostolicum primatum* . . . 354

Art. II. *De vi et ratione primatus Romani Pontificis.* 356

Prop. Primatus R. Pontificis est potestas episcopalis jurisdictionis, plena et suprema, ordinaria et immediata, in rebus fidei, morum, disciplinæ, et regiminis, in universam Ecclesiam. 358

Corollaria 362

Quæritur I. Quomodo Papa de novo electus supremam accipiat potestatem 362

Quæritur II. An Summus Pontifex et concilium œcumenicum sint duo subjecta supremæ potestatis 363

Art. III. *De Romani Pontificis infallibilitate.* . . . 363

Referuntur verba Vaticani de infallibilitate; — infallibilitatis R. Pontificis natura, subjectum, objectum, effectus et conditiones 363

Corollaria. Infallibilitas personalis, separata, absoluta. 367

Prop. Romanus Pontifex ex cathedra docens est infallibilis 368

Scholia. De subjecto infallibilitatis sentiendum sicut de subjecto supremæ potestatis, — magisterium R. Pontificis est proxima regula fidei, — concilia non sunt absolutæ necessitatis, — quænam documenta pontificia sint infallibilia. 372

PAG.

ART. IV. *De Relatione S. Pontificis ad Episcopos et Concilia* 375

§ 1. De ejus relatione ad Episcopos 375

Episcopatus divina institutio. — potestas episcoporum, — eorum potestatis ad S. Pontificem subordinatio, — potestatis episcopalis origo: utrum sit immediate a Deo, an a Deo mediante R. Pontifice.

§ 2. De ejus relatione ad Concilia. 382

I. Concilii definitio 382

II. Requisita ad Conciliorum legitimitatem . 383

III. Conciliorum infallibilitas 385

Prop. Concilia œcumenica sunt infallibilia 385

IV. Superioritas Papæ supra Concilium . . . 386

Prop. Romanus Pontifex est Concilio superior . . . 387

Quæritur: Utrum potestas concilii una cum Papa sit potestas major potestate solius Pontificis. 390

CAPUT IV. DE RELATIONE ECCLESIÆ AD SOCIETATES CIVILES, ET AD BONA TEMPORALIA. 390

ART. I. *De mutuis relationibus Ecclesiam inter et statum* 391

Doctrina catholica, — errores: naturalismus, liberalismus, Gallicanismus, Febronianismus, etc.

Prop. I. Ecclesia et status sunt duæ societates et duæ potestates ab invicem omnino distinctæ 393

Prop. II. Ex divina ordinatione neque Ecclesia a statu, neque status ab Ecclesia sejungendus est; sed inter utramque societatem exstare debet concordia 394

Prop. III. Potestas civilis spirituali Ecclesiæ potestati est subordinata 398

Objectiones. 402

Quæritur. An potestas Ecclesiæ in temporalia regna sit directa vel indirecta 404

Corollaria. De ecclesiæ potestate et juribus 406

ART. II. *De jure bona temporalia possidendi.* . . . 407

Errores: Waldenses, — hodierni politici.

Prop. Ecclesia jure non solum naturali sed et divino positivo nativam habet potestatem bona temporalia possidendi 408

Corollaria 412

PAG.

PARS III. **De Fontibus fidei** 413

CAPUT I. De Scriptura Sacra 414
Art. I. *De S. Scripturarum inspiratione* 415
§ 1. De inspirationis natura 415
Inspirationis definitio, — divisio, — opiniones erroneæ. — vera inspirationis notio.
§ 2. De inspirationis extensione 422
Diversæ exponuntur sententiæ.
Prop. Omnes S. Scripturæ libri, et quoad omnes suas partes divinitus sunt inspirati 424
Coroll. Nullus error in S. Scriptura 427
Art. II. *De Canone Scripturarum* 427
Canonis definitio, — libri protocanonici, deuterocanonici.
Prop. Canon S. Scripturarum a Concilio Tridentino editus, perpetua et communi Ecclesiarum consensione firmatur. 429
Art. III. *De Scripturarum interpretatione.* 430
Definitio interpretationis, — sensus Scripturæ, litteralis, mysticus, accommodatitius.
Prop. I. Ad verum S. Scripturæ sensum infallibiliter cognoscendum requiritur authentica interpretatio. 432
Prop. II. Authenticus S. Scripturæ interpres est infallibile Ecclesiæ magisterium 434

CAPUT II. De Traditione 436
Art. I. *Traditionis notio* 436
Definitio, — divisio: divina, apostolica, ecclesiastica.
Art. II. *De traditionum existentia.* 438
Prop. I. Admittendum est Verbum Dei non scriptum. 439
Prop. II. Traditiones divinæ eadem vi pollent ac ipsæ Sacræ Scripturæ 442
Art. III. *De Regulis ad traditiones dignoscendas* . . 443

Conclusio totius theologiæ fundamentalis 447

THEOLOGIA SPECIALIS.

TRACTATUS I.

DE DEO UNO.

PAG.

INTRODUCTIO 452

PARS I. **De Dei existentia** 453

CAPUT I. DE COGNITIONE EXISTENTIÆ DEI 453
Prop. I. Dei existentia non est nobis per se nota . 454
Prop. II. Existentia Dei non a priori, sed a posteriori, per rationem naturalem absque revelatione certo demonstrari potest 454

CAPUT II. DE IPSA DEI EXISTENTIA 456
Prop. Existit Deus 457

PARS II. **De essentia et attributis Dei** 466

CAPUT I. DE ESSENTIA DEI 466
I. De essentia Dei physica 467
Prop. Essentia Dei physica in complexu omnium divinarum perfectionum consistit 467
II. De essentia Dei metaphysica 467
Prop. Essentia Dei metaphysica consistit in aseitate. 469

CAPUT II. DE ATTRIBUTIS DEI IN GENERE 470
ART. I. *De attributorum definitione et divisione* . . 470
ART. II. *De distinctione divinorum attributorum a se invicem et ab essentia divina* 472
Prop. I. Divina attributa neque ab essentia neque a se invicem realiter distinguuntur 473

PAG.

Prop. II. Attributa divina distinguuntur ab invicem et ab essentia distinctione virtuali 475
Corollaria 475

CAPUT III. De attributis Dei in specie 476
Art. I. *De Simplicitate Dei* 476
§ 1. De Simplicitate Dei in genere 477
Prop. I. Deus est omnino simplex 477
Prop. II. In Deo nulla est compositio physica. . . 478
Prop. III. In Deo nulla est compositio metaphysica . 479
Prop. IV. In Deo non datur compositio logica . . . 481
Corollaria 482
§ 2. De Pantheismo 483
Prop. Pantheismus rejiciendus est 484
Art. II. *De Perfectione Dei* 485
Prop. I. Deus est summe perfectus 487
Prop. II. In Deo sunt omnium rerum perfectiones . 488
Art. *III. De Bonitate Dei* 490
Prop. Deus est summe bonus bonitate tum absoluta, tum respectiva, tum morali 491
Art. IV. *De Infinitate Dei* 492
Prop. Deus est infinitus 493
Art. V. *De Immensitate Dei* 494
Prop. Deus est immensus et omnibus rebus intime præsens. 495
Scholium. De modis quibus Deus præsens adest in rebus 497
Art. VI. *De Immutabilitate Dei.* 498
Prop. Deus est omnino immutabilis 498
Scholium. Immutabilitas est propria Deo 500
Art. VII. *De Æternitate Dei* 501
Prop. Deus est æternus 501
Corollaria 502
Art. VIII. *De Unitate Dei* 503
Prop. Deus est unus 504

CAPUT IV. De Visione Dei 506
Art. I. *De possibilitate visionis divinæ essentiæ* . . 506
Prop. I. Nullus intellectus creatus ex solis naturæ viribus Deum intuitive videre potest 507

PAG.

Prop. II. Intellectus creatus supernaturaliter adjutus Deum intuitive videre potest 508
Prop. III. Nullus intellectus creatus Deum comprehendere potest 510
Quæritur. Utrum aliquis in hac vita Dei essentiam videre possit 511
ART. II. *De principiis ad visionem Dei concurrentibus.* 511
§ 1. An in visione divina adsit species 512
Prop. I. In visione beatifica Deus non unitur intellectui mediante aliqua specie impressa. 512
Prop. II. Beati videntes Deum verbum non producunt. 513
§ 2. De lumine gloriæ 514
Prop. I. Ad Deum intuitive videndum, intellectus creatus lumine gloriæ necessario indiget 514
Scholium. De natura et muneribus luminis gloriæ . 515

PARS III. **De operationibus Dei** 517

CAPUT I. DE SCIENTIA DEI 517
ART. I. *De objecto divinæ scientiæ* 518
Prop. I. Deus seipsum intelligit, et quidem cognitione comprehensiva 518
Prop. II. Deus cognoscit alia a se, scilicet omnem creaturam 519
ART. II. *De proprietatibus divinæ scientiæ* 521
1. Scientia Dei non est accidens, sed ipsa Dei substantia. 521
2. Scientia Dei est a rebus omnino independens. 522
Scholium. Quomodo cognoscit Deus res in seipso — Res sunt terminus divinæ cognitionis 522
3. Deus de omnibus rebus propriam habet cognitionem 523
4. Scientia Dei est simultanea, intuitiva, invariabilis 523
5. Scientia Dei est causa rerum 524
Scholium. De causalitate scientiæ divinæ 524
ART. III. *De Divisione Scientiæ Dei* 525
Scientia necessaria, libera — speculativa, practica — approbationis, improbationis — scientia simplicis intelligentiæ — scientia visionis — scientia media.

PAG.

Art. IV. *De medio Scientiæ Dei* 528
Art. V. *De ideis divinis* 533

CAPUT II. De Voluntate Dei 534
Art. I. *De objecto divinæ voluntatis* 535
Prop. I. Objectum primarium divinæ voluntatis est sola Dei bonitas 535
Prop. II. Objectum secundarium sunt omnia creata . 536
Prop. III. De malo ut est objectum divinæ voluntatis. 536
Art. II. *De libertate divinæ voluntatis* 538
Prop. I. Deus non est liber quoad propriam suam bonitatem 539
Prop. II. In Deo est perfectissima libertas relate ad creaturas 539
Scholium. De conciliatione libertatis Dei cum ejus immutabilitate 540
Art. III. *De divisione divinæ voluntatis* 541
Voluntas necessaria, libera; — antecedens, consequens; — absoluta, conditionata; — beneplaciti, et signi.
Art. IV. *De efficacia divinæ voluntatis* 543
Prop. I. Voluntas Dei absoluta semper impletur . . 543
Prop. II. Voluntas Dei antecedens non semper impletur 544
Art. V. *De affectionibus et virtutibus divinæ voluntatis.* 545
§ 1. De affectionibus divinæ voluntatis 545
§ 2. De virtutibus divinæ voluntatis 547
I. De Justitia Dei 548
II. De Misericordia Dei 551

CAPUT III. De pertinentibus ad intellectum et voluntatem Dei 553
Art. I. *De Providentia* 553
Prop. I. Admittenda est in Deo providentia . . . 554
Prop. II. Divinæ providentiæ omnia sunt subjecta . 555
Prop. III. Deus omnibus creaturis eodem modo non providet 555
Quæritur. Utrum providentia semper impleatur . . . 556
Art. II. *De Prædestinatione* 557
§ 1. De voluntate Dei salvifica 558

PAG.
Prop. Deus vult serio omnium salutem 558
§ 2. De definitione prædestinationis 560
§ 3. De iis, quæ sunt de fide. 561
Prop. I. Datur ex parte Dei vera prædestinatio. . . 562
Prop. II. Prædestinatio est certa et immutabilis . . 562
Scholium. De numero electorum. 563
Prop. III. Nemo absque speciali revelatione de sua prædestinatione absolute certus esse potest 563
Scholium. De signis conjecturalibus prædestinationis . 564
Prop. IV. Admittenda est aliquorum reprobatio. . . 565
Prop. V. Reprobatio positiva non fit ante prævisa demerita 565
§ 4. De iis, quæ sunt liberæ discussionis 566
Probatur prædestinatio post prævisa merita 569
Quæsita. Effectus prædestinationis — an prædestinatio sit in potestate hominis — an plures dentur reprobi quam electi — prædestinatio parvulorum — liber vitæ — quomodo sese gerere debeat anima fidelis in negotio prædestinationis. 572

CAPUT IV. De Potentia Dei 578
Prop. I. In Deo est potentia activa, et ea quidem infinita. 578
Prop. II. Deus est omnipotens 579
Quæritur I. An Deus plura, quam quæ fecit, facere posset 580
Quæritur II. An Deus posset meliora facere, quam ea quæ fecit 580

—

TRACTATUS II.

DE SS. TRINITATE.

Introductio 582

CAPUT I. De existentia mysterii SS. Trinitatis . . 583
Prop I. Tres sunt in Deo personæ realiter distinctæ. 584
Prop. II. Verbum est verus Deus, Patri consubstantialis 587

PAG.

Prop. III. Spiritus Sanctus est verus Deus, Patri Filioque consubstantialis 592
Prop. IV. Tres divinæ personæ una sunt essentia. . 594
Corollaria. De æqualitate divinarum personarum, — de circuminsessione 595
Quæritur. Utrum mysterium SS. Trinitatis Judæis fuerit cognitum 596

CAPUT II. De intrinseca ratione SS. Trinitatis . . 597
Art. I. *De divinis processionibus* 597
Prop. I. In Deo duæ processiones sunt admittendæ . 599
Prop. II. Processio Verbi dici debet vera generatio, non autem processio Spiritus Sancti. 600
Prop. III. Eximiæ sunt divinarum processionum proprietates et prærogativæ 603
Art. II. *De divinis relationibus* 605
Prop. I. Admittendæ sunt in Deo relationes reales. 606
Prop. II. Quatuor sunt in Deo relationes reales . . 607
Prop. III. Relationes divinæ ab essentia non realiter, sed virtualiter tantum distinguuntur 608
Prop. IV. Relationes originis sibi mutuo oppositæ a a se invicem realiter distinguuntur 609
Prop. V. Proprium munus divinarum relationum est personas divinas distinguere ac constituere. 610
Corollarium. De proprietatibus personalibus 611
Art. III. *De notionibus et actibus notionalibus* . . . 612
§ 1. De divinis notionibus 612
Prop. Quinque notiones in Deo sunt admittendæ . . 613
§ 2. De actibus notionalibus 614
Actuum notionalium definitio, existentia, principia, proprietates.

CAPUT III. De Personis divinis in speciali 616
Art. I. *De Persona Patris* 617
Prop. I. Prima SS. Trinitatis persona nomine principii et ingeniti recte designatur 617
Prop. II. Hoc nomen *Pater* recte attribuitur primæ SS. Trinitatis personæ 618
Art. II. *De Persona Filii* 619
Prop. I. Filius nomine Verbi designatur. 619

PAG.

Quæritur I. Cur solus Pater intelligendo producat Verbum 621

Quæritur II. Ex quarum rerum cognitione Verbum procedat 621

Prop. II. Filius nomine imaginis recte designatur. . 622

ART. III. *De Persona Spiritus Sancti* 623

§ 1. De principio Spiritus Sancti 623

Prop. I. Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit . 624

Prop. II. Spiritus Sanctus a Patre et Filio tanquam ab uno principio procedit 626

§ 2. De nominibus tertiæ SS. Trinitatis personæ . 628

Prop. I. Tertia SS. Trinitatis persona nomine Spiritus Sancti recte designatur 628

Prop. II. Spiritus Sanctus nomine amoris recte designatur 629

Quæritur. Quomodo intelligi debet: Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto. — An Pater et Filius diligunt nos Spiritu Sancto 630

Prop. III. Spiritus S. nomine doni recte designatur . 630

CAPUT IV. DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM . . . 632

ART. I. *De missione in genere* 633

Prop. Admittenda est missio divinarum personarum . 633

ART. II. *De missione invisibili* 634

Definitio — missio fit secundum donum gratiæ gratum facientis — una persona non mittitur sola — missio Filii est secundum donum sapientiæ; et missio Spiritus S. secundum donum caritatis — finis missionis invisibilis — quandonam fit missio invisibilis.

ART. III. *De missione visibili* 637

CAPUT V. DE RELATIONE MYSTERII SS. TRINITATIS AD RATIONEM HUMANAM 639

Prop. I. Nullus intellectus creatus, seclusa revelatione, mysterium SS. Trinitatis cognoscere potest 640

Prop. II. Posita revelatione de existentia mysterii, ratio naturalis illud nec evidenter probare, nec ejus naturam intelligere potest 642

Prop. III. Ratio naturalis potest illud congruentiis illustrare 643

PAG.

Prop. IV. Ratio naturalis non potest demonstrare mysterium repugnantiam involvere. 645
Objectiones 647

CAPUT VI. De modo loquendi circa mysterium SS. Trinitatis 650
Art. I. *De modo loquendi in genere* 650
Art. II. *De appropriatione in divinis* 653

IMPRIMATUR
P. Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A.
Magister.

—

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriarc. Antiochen.
Vicesgerens.

ERRATA TOMI PRIMI

ERRATA.				CORRIGE.
Pag.	86,	*linea* 11:	leges simul	leges semel.
»	397,	» 38:	potestatis	potestates.
»	489,	» 10:	conceptum... formale. .	conceptum... formalem.
»	577,	» 34:	observationibus.	obsecrationibus.
»	594,	» 35:	divinarum consubstantialitas	divinarum personarum consubstantialitas.

Alia quædam minoris momenti diligens lector ipse corriget.

208.9
H 436
263
HERRMANN
AUTHOR
Institutiones Theo. Dog. I
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	McCarthy DEC 27	
	Marian	
	STORAGE - CBPL	

263